[illegible]

HOC OPERE CONTINENTUR,

LIBER DE PASSIONE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, CARMINE HEXAMETRO, incerto autore ad Donatum Episcopum scriptus.

ABDIAE BABYLONIÆ episcopi, & Apostolorum DISCIPVLI, DE HISTORIA CERTAMINIS APOSTOLICI, libri decem, Iulio Africano, cuius subinde Hieronymus meminit, interprete.

MATHIAE APOSTOLI VITA, EX HEBRAICA LINGUA incerto interprete uersa.

BEATORVM, MARCI, CLEMENTIS, CYPRIANI, & Apollinaris historiæ, ex scrinijs & archiuis primitiuæ Ecclesiæ notariorum.

VITA B. MARTINI SABARIENSIS, EPISCOPI Turonensis, à Sulpitio Seuero Rhetore Latine conscripta.

Quos omnes autores multis seculis latentes, dum Antiquitatem sacrosanctam rimatur, unà cum alijs pluribus, à blattis & tineis eruit VVOLFGANGVS LAZIVS *Viennensis Austriacus, D. Ferdinandi Rom. Regis à consilijs & historijs.*

Adiecimus & IOACHIMI PERIONII, doctissimi uiri, librum de rebus gestis uitisq; Apostolorum: & locupletem rerum ac uerborum in his omnibus memorabilium Indicem.



inveni[e]s indice[m] vitarum Apostolorum in pagina sequenti.

BASILEAE, EX OFFICINA IOAN. Oporini, cum Rom. Reg. Maiest. priuilegio ad annos quindecim.

index

AD MAGNIFICOS ET CLARISS. VIROS, AC DE SESE BENE MERITOS PATRONOS, D.D. GEORGIVM GIENGERVM, Regis inuicti Rom. FERDINANDI à consultis tacitis, & D. IACOBVM IONAM, eiusdem Principis Procancellarium, utrumq; I. V. consultissimum, & nobilis Austriæ consultorē dignissimum, fidelissimumq;, VVOLFGANGI LAZII Viennen. Austriaci, Medici & Historici Regij, in Abdiam, eiusq; interpretem Iulium Africanum,

PRAEFATIO.



ORONAE honorem, Romani his qui ciuem ex hostium manibus liberassent, largiri solebant, peruetusta admodū consuetudine, et haudquaquam improbando exemplo: ut partim, quantum positum esset momenti in unius hominis assertione, hostes intelligerent: partim uerò, ut cæteri hac imitatione animati, frequentes ac seduli in suis defendendis incumberent. Quod ego, Magnifici, ac de me benemeriti, cōsultissimiq; uiri atq; patroni, cùm aliàs, tum præcipuè in bibliotheca ueterum, ac ijs autoribus hodie faciundum censeo, quos uel uetustas rerum omnium consumptrix, uel Vulcanus edax, uel barbarorum deniq; ingruentium iniuria nobis inuidit. Tametsi autem multi ex doctis & bonis uiris, uel sine præmio, solo reipublicæ literariæ asserendæ studio, in hanc curam incubuerunt, qui nobis aliquot T. Liuij Decades, qui aliquot Taciti libros, Dionem, Nicephorum, Marcellinum, Cassiodorum, Symachum, & alios complures absconditos cùm libros, tum authores restituerunt: tamen tanta mortales habet auri sacra fames, ut ille inquit, ut qui præstare hoc possent, quibus res ampla domi est, contemnant: quibus uerò fortuna præsidium huiusmodi bonæ uolūtatis denegauit, etsi uelint ac contendant, in tanto literarum contemptu nequeant. Quæ mihi causa una uel maxima fuit, ut quando Rhamnusia omnes mihi dotes non denegasset, quamuis medicinæ operatione atq; emolumento, Regisq; inui-

ctiſsimi Romanorum,&c.Diui FERDINANDI,Domini mei clementiſsimi hiſtorijs ſcribendis,ac re familiari,& magna ex parte perquàm acciſa ualetudine, inſigniter impediebar, tamē aliquid ea in re mihi enitendum putarim. Confirmare uerò uidebatur hanc meam haud omnino ineptam uoluntatem,præter eum ardorem, quem erga ſacroſanctam gerimus uetuſtatem, ueſtra, quæ longè maxima eſt, autoritas, quæ mihi in hoc calcar currenti addidit. Quare factum eſt, ut peregrinatione noſtra ſecūda, quam in prouincias inferiores Auſtriæ inſtituimus, abhinc circiter biennio, quo tempore in Charinthia Oſsiacenſe cœnobium,longè omnium eius uiciniæ antiquiſsimum,& à Carolomanno confirmatum, inuiſerem, quia nulla iſthic bibliotheca erat, ob frequentes & ignis & barbarorum deuaſtationes,ſpecus ſubterraneos,illo, quem diximus nobis inſitum eſſe antiquitatis amore, ſeu libidine potius,inueſtigaui. Vbi inter chartas ignobiles, & malè olentem ſitum, incidimus fortè fortuna in codicem membraneum, antiquiſsimis literis & ferè detritis ſcriptum. Quem tum quidem, quòd itineris abſoluendi gratia maturarem, uiſum duntaxat obiter, quia titulus ſub finem ſcriptus erat,& deerant quędam ab initio, cum medium folium legiſſem, placeretq;, coniectū in ſarcinulas meas, uel ob ſolā membranæ & characterum uetuſtatem,Viennam deuexi.Atq; ibi poſtea, cum ſupereſſet ocium, & alueare librorum aduectorum recognoſcerem,deprehendi argumentum eſſe hiſtoriæ Apoſtolicæ: placuitq; non ſolum dicendi genus, quod terſum eſſe animaduerteram,& hebraiſmum redolens:uerùm etiam ipſius hiſtoriæ ueritas, à uulgaribus Legendis (quas uocant) in multis diſſentiens.Iccirco cum & titulum ſub calcem libri tum reperiſſem, SCRIPSIT HAEC GESTA SANCTORVM APOSTOLORVM ABDIAS BABYLONIAE EPISCOPVS, QVI AB IPSIS APOSTOLIS ORDINATVS EST, SERMONE HEBRAEO, QVAE VNIVERSA AB EVTROPIO IN GRAECVM, ET AB AFRICANO LATINO SVNT TRANSLATA SERMONE, ET IN DECEM LIBROS DESCRIPTA.

PTA. Hic uerò dici non potest, quanto gaudio suffusus, tanquam unionem quendam preciosum reperissem, non solum de euoluendo ueteri & Ecclesiæ perquàm necessario authore, uerùm etiam de eodem publicando cogitarem. Quo in proposito hoc me solum remorabatur, quòd nec Abdiæ, nec Africani interpretis nomina mihi satis nota essent. Contigit uerò tum res pernecessaria, ut quo tempore Cæsares nostri comitia cum Germaniæ principibus apud Augustam Rhætiæ transigerent, ego rursus authoritate & indultu Regis nostri clementissimi, posthabita re familiari mea, ad tertiam me accingerem profectionem: ne nihil deesset, quo sitim illam inquirendæ uetustatis extinguerẽ. Ibi in eo itinere, quo bibliothecas per Sueuias, Brisgaudiam, Alsatiam, Sundgouiam, & Heremum Heluetiorum excussimus, quantumuis tempore anni incommodissimo, cœliq; statu improspero, uasto in nemore Harcianæ siue Herciniæ syluæ, diuerteramus ex sancto Blasio in cœnobium S. Trudberti, facilè totius Germaniæ uetustissimum, quod uidelicet Phoca imperante positum est ab Otberto Comite Habsburgensi, eius nominis primo, unde nimirum illa splendidissima Austriadum gens ac prosapia defluxit. Ibi igitur constitutus, comite itineris ascito longè doctissimo uiro Sebastiano Munstero, professore & Mathematico Basiliensi, dum curiosius bibliothecã euoluerem, incidi fortè fortuna in aliud Abdiæ siue Africanianę translationis exemplar, quod erat & membrana & characteribus mihi uisum uetustioribus, quàm quod in Charinthia inueneram, scriptum. (quia ad manum habebam primum exemplar.) Et quo uetustatem magis argueremus, contulimus illud cum diplomate confirmationis cœnobij, quod sub primo erat Ludouico exaratum, ante annos plures quàm septingentos, & longo interuallo relinquebatur à codice Abdiano illo. adeò literæ erant detritæ, & magna ex parte deletæ, uel obscuratæ, ut inumbrationes potius literarum, quàm characteres esse uiderẽtur. Lætatus tum quidem sum non minimum, ut credi facilè potest: quanquã & alios non ignobiles autores reperissem, qui in Theologicis historijs ac poetis lucubrarunt: tamen

ut ex collatione duorum exemplariorum iustam lectionem adsequi possem, rem mihi post hominũ memoriam longè rarissimam accidisse arbitrabar. Itaq; sarcinis librorum collectis, cum post longam peregrinationem Viennam rediissem, emensus miliaria plura quàm ducenta, nihil antiquius habui, quàm autorem hunc collatione utriusq; exemplaris recognoscere. Sed interdum mea & uxoris ualetudine, & onerum molestia, quę mihi usq; indignis modis imponuntur, interdum & autorum aliorum multitudine, mearumq; editionum (quas ingentes molior, & pręter Regem, uobis Patroni clarissimi, aliisq; consecraui) acceleratione impeditus, Abdię operam dare, ut uolebam, sanè nequiui. Destitutus ad postremum librarij ope, cui exscribendum dederam, qui multis mensibus uix medium librum absoluere poterat, premere denuò in aliud commodius tempus statueram: ni Ioannes Oporinus Basiliensis, lõgè doctissimus uir, suis me literis excitasset, qui hunc anxiè à me sæpe requirebat. Itaq; in ipso labyrintho negociorum & molestiarum mearum, aliquot horas describendæ Africanianæ translationi dedi. Quo rursus in labore, cum legerem in historia Symonis & Iudę, Abdiam CHRISTVM Saluatorem nostrum in carne uidisse: cumq; esset unus ex Septuagintaduobus discipulis, Symonẽ & Iudam in Persida abeuntes, ut uerbum Domini eius incolis adnunciarent, secutũ, Babyloniæ postremò ab eisdem Apostolis episcopum esse relictum: iam maior incesserat euulgandi huius autoris cupido. Non enim uitio accessisse hoc autori, ex serie historiæ animaduertebam: propterea quòd subinde prima persona pluralis introducatur, ut cum Apostolis hunc profectum esse, & interfuisse rebus eorum gestis, & potissimum qui in Asia Euangelium adnunciabant, liquidò appareat. Vt sub finem libri tertij, cum beati Andreæ passionem descripsisset: Et hęc dicens, diutissimè Dominum clarificans & gaudens, nobis flentibus reddidit spiritum. Et in libro quinto, cum Drusianam doceret à S. Ioanne Euangelista à mortuis suscitatã: Cum igitur (inquit) appropinquassent sepulchro, subitò pręcepto Ioannis apertæ sunt fores, & iuxta sepulchrum Drusianæ uidimus speciosum

ciosum adolescentem adridentem. Et iterum eodem libro, cum S. Ioannis sepulturam describeret: Vbi autem, sicut uoluit, facta est fouea, nihil quoquam nostrûm sciente, exuit uestem, & strauit eam in illa fouea. Idem libro nono, in historia diui Thomę: Neq; enim serui Dei dormire tum poterant, quos sic CHRISTVS excitabat, neq; patiebatur nos somno dimergi. Transeo orationes, quas Apostoli uel ad CHRISTVM in martyrij coronis fundebant, uel ubi mortuos suscitabant, aut populos ad fidem uel suscipiendam uel retinendam adhortabantur, miro artificio, ac planè rhetoricè scriptas, energiæ ac grauitatis plenissimas.

Hæc inquam, & his similia cum inter exscribendum legissem, iam nihil quicquam dubitans, hunc ipsum dignum luce autorem iudicare: & eo quidem magis, quòd Ioachimus Perionius Gallus, homo alioquin doctissimus, ex fragmentis, cùm illius (ut arbitror) Africanianæ tralationis, tum ex his quas Legendas Ecclesia appellat, alijsq; in fide nostra autoribus, librum superiori anno de Apostolorum historia euulgasset, latinissima quidē phrasi scriptum, sed ubi multa desiderantur (pace optimi uiri dictum sit) adeò ut affirmare ausim, uix tertiam partem, aut etiam minus, huius nostræ historiæ attingere. id quod candido lectori perspicuum euadet, si Diuorum Andreæ, Ioannis, & Thomæ historias utrobiq; contulerit. Fateor quidem, in Diui Pauli historia fusissimum esse Perionium, & longo interuallo Africanum superare, uel Abdiam: ut qui breuior in eius uita propterea (ut arbitror) fuit, quòd procul in Asia remotissimè à Diuo Paulo scripserat: uel quòd epistolę huius Apostoli instar historiæ Christianis essent, ex quibus etiam suam de hoc Apostolo magna ex parte Perionius historiam sumpsit. Hic fortè scrupulū lectori uel Abdias, uel Africanus eius interpres fecerint, quòd in prioribus duobus libris, multa quæ in Actis extant, recensentur: sed tamen breuius, & cursim, ut ita dicam: ut uel Abdiam hęc ex Luca sumpsisse, uel Lucam ex Abdia, credendū sit, cum uterq; eodem tempore uixerit, & Apostolorum discipulus extiterit. Hæc prolixius dico, ut quot & quàm euidentibus rationibus coactus, hunc dare prælo autorē, nec premere

mere diutius constituerim, lector candidus intelligat. Itaque hæc cum ita se haberent, & suam insuper mihi operam longè optimus atq; doctissimus uir, Ioannes Oporinus, polliceretur, excusationem amplius nullam prætendere poteram: erantq; mihi tantum patroni quærendi, quibus tam insignem autorem dedicarem. quorum etsi plurimos habeam, in comitatu Regis nostri inclyti præcipuè multis modis de nobis benemeritos: tamen Magnificentiæ uestrę cum principem locum usurpent, uel hoc nomine primi mihi occurrerunt, quòd utriq; cum seorsim inscripsissem ingentia, ac memoria luceq; dignissima uolumina: tibi quidem GEORGI GIENGERE, duas de Gentium immigrationibus Decades, quę in Austriæ inferioribus Prouincijs ordine coluerunt: & tibi IONA obseruandissime, Archæologiæ Ecclesiæ Primitiuę libros tres: quia magna sunt opera, & temporis nōnihil ad euulgationem, ob icones & alia quædam & mihi & chalcographo desideratur: ut interim animos uestros, dum hi adornantur, aliqua meæ in V. M. obseruantiæ significatione, simul ut expectationem meam sustinerem: Abdiam, siue eius potius interpretem Iulium Africanum historicum, uobis simul & eisdem auspicijs offero, dedo, atq; cōsecro, quorum uterq; æqua ceu lance nexum me sibi beneficijs habet, ut quem alteri præferam, planè dubitem. Quare suscipite hilari fronte, & mei & aliorum qui se literis manciparunt Patroni, & in iure, consilijs, fideq; Principi nostro inuictissimo præstites longè consultissimi, atq; fidelissimi, acceptissimiq;: eisdē inquam auspicijs V. C. autorē uetustum suscipite, ut quorum præsidio in inquirenda sacrosancta uetustate utor atq; nitor, ad eosdem rectè etiam atq; meritò fructus aliquis, & in primis meæ gratitudinis ergò redundet. Neq; uerò uel materia, quæ sacra est, & historiæ nondum satis cognitæ, displicebit. Arridebit, ni fallor, & ipsa phrasis, quæ tametsi patrum Ecclesiæ uetustiorum elocutionem referat, tamen culta est, & multo quàm ea quæ est in Actis Apostolorum, aut ipsa etiam Euangeliorum historia, ornatior. Sat scio obijciet quispiam, historiam Apostolorum in Actis cōtineri, ut ipse etiam Abdiæ

nostri

noſtri interpres in præfatione ſua teſtatur: uerùm quæ ſin guli, poſtquam in gentes diuiſi abierant, diuerſis in regionibus præclarè, & ad fidei ædificationem neceſſaria geſſerint, neq; in Actis, neq; ullo in recepto aut peruetuſto autore haberi exiſtimarim. Nam Legendis uulgaribus, ut ingenuè fateor, multa acceſſerunt, poſtquam illæ primæ & ueritate fundatæ hiſtoriæ fuiſſent deperditę: atq; iſta acceſſoria, dici non poteſt, quàm fidei ſanctiſsimæ hiſtoriæ detraxerint, & beatiſsimos Apoſtolos apud malos & hæreſeos maculis reſperſos, in cõtemptum adduxerint, ut ſeculum noſtrum abundè ſatis teſtatur. Atq; ut de interprete huius noſtræ hiſtorię poſterius dicam, uel in tranſcurſu hiſtoriæ, & præcipuè diuorum Symonis & Iudæ uita, apparet, præter hunc Abdiam Babylonis Epiſcopum, & Apoſtolorum diſcipulum, quiq; Saluatorem noſtrum uiderat in carne, Apoſtolorum beatorum res geſtas & Cratonem quendam ſcripſiſſe: ſed utriuſq; non ſolum opera, uerùm etiam uel nomina ipſa in Eccleſia hactenus ignorabãtur. Interpretis tamen Iulij Africani hiſtoriographi, diuus Hieronymus ſubinde in Epiſtolis, tum præcipuè capite octauo in Danielem, meminit, & ſupputationem hebdomadarum ex eius & Euſebij autoritate adducit. Citat huius autoritatem & Nicephorus Caliſtus Xantopulus, Græcus & ingens autor, quem inclytus Romanorũ Cęſar Diuus FERDINANDVS, ex reliquijs bibliothecę Mathię Regis Hungariæ, inter prædam Turcarum repertum, ueſtro calculo atq; conſilio, uiri longè omnium clariſsimi, latinè redditum à Ioanne Lango eruditiſsimo uiro, iam prelo Oporiniano deſtinauit. Is inquam autor, Louanienſium Theologorum cenſura quoq; approbatus, capite undecimo Tomi primi, de Africano ſic ſcribit, ut Lãgus reddidit: Quandoquidem diui Euangeliſtæ Matthæus & Lucas, genealogiam uariè prodiderũt, & non pauci, qui talibus rebus perſequendis, magni clariq; ſunt habiti, de ea diſſonantia integros libros compoſuerunt: ego tamen prætermiſsis alijs, Africano hiſtorico utar autore, qui aliorum opiniones, utpote quæ ad ueritatem non pertingant, reprehendens atque refellens, quam ipſe à uetuſtioribus acceptam, in Epi-
ſtolis

ſtolis de Euangeliorum diſſonantia ad Ariſtidem expoſuit, inde tranſlatam uerbis ipſius, in opus hoc inſeram ſententiam. Hæc Nicephorus. Meminit porrò Africani & Martinus chronographus, quem ipſi unà cum alijs à ſitu uendicauimus, quiq́; ſub Othonibus ſcripſit. Nam cum Gordiani primi tempora deſcriberet: Floruit (inquit) his temporibus Iulius Africanus, nominatiſsimus in Eccleſia ſcriptor, qui unà cum alijs notarijs geſta Martyrum ſcripſit, & multa in linguam Latinam traduxit. Hæc ille. Habetis igitur, Magnifici ac benemeriti Patroni, & noſtri inſtituti rationem, & interpretis autorisq́; nomina: & quàm uetuſta ea hiſtoria ſit, quam ueſtro patrocinio ſubiecimus, & quàm Eccleſiæ neceſſaria, iam intelligitis. Quæ rogo, M. V. eo animo à me accipiant, quo ipſe offero, nempe candido, & de religione noſtra catholica ſinceriore, ex animo benemereri cupiente. Non ſum tamen neſcius, beneficia ueſtra in me profecta, maiora eſſe, quàm quæ hoc genere muneribus rectè recompenſentur. Sed ea eſt moderatio animorum ueſtrorum, & mihi perſpecta ſatis coniuncta cum ſincera religione humanitas, ut mihi facilè hac in parte ſitis condonaturi, quod præſtare uel ob fortunam non poſſum: uel ob aceruum moleſtiarum & onerum, temporisq́; breuitatem, qua excludor, nondum aſſecutus ſum, ut cogitationes meas, quas utriq; inſtitui, ſtatim non queam repræſentare. Sit igitur Abdias interea pignus, & arrhabonis inſtar, donec opera uobis V. C. deſtinata, lucem adipiſcantur. Cuius non dubito uel euulgationem, uel conſecrationem gratam futuram, uel hoc nomine, quòd non niſi pietatem is docet, & religionis noſtræ ſacroſanctæ fundamenta, quę Apoſtoli beati iecerunt, tot peregrinationibus atq; tormentis, & ad poſtremũ ſanguine proprio, ac morte, & quæ conſecuta ſunt miraculis, confirmarunt. Adieci uerò Abdiæ, ſiue tranſlationi Africanianæ, & alias, quæ mihi partim ob uetuſtatem ſcriptionis, partim uerò ob hiſtoriæ ſeriem, ueræ uiſæ ſunt, Sanctorum Dei hiſtorias, ut iuſtum uolumen editio noſtra adſequeretur. Sic Mathiæ Apoſtoli hiſtoriam, ex Hebraico, incerto autore uerſam, et antiquiſsima membrana literisq́; exceptã, quia apud Abdiam

diam non habetur, coniungere placuit. Sic rursus beatorum Marci euangelistæ, & Clementis, quòd & hi Apostolorum fuerint discipuli: nec non Cypriani episcopi & martyris, & sancti Apollinaris, agones. Deniq; & qui posterius floruit, diui Martini Sabariensis atque Pannonij, qui postea Turonensis in Gallia episcopus fuit, uitam, elegantissimo filo dictionis à Sulpitio Seuero rhetore exaratam, eodem instituto Abdiæ subijcere libuit, quòd uidelicet ueritatis fundamentis hæc posita historia esset, & ab eo uiro conscripta, cuius eruditionem lucubrationes satis ostendunt. Et quia Apostolicum munus passionem Saluatoris nostri sequi cœpit, præmisi Abdiæ luculentum carmen, incerto autore in antiquissima membrana à me repertum, quod passionem illam salutarem affabrè depingit. Habetis igitur, uiri magnifici, atq; benemeriti patroni, totius dedicationis illius elenchum, quem ut obuijs ulnis à cliente uestro accipere dignemini, ita rogo, ut magnam accessionem beneficijs uestris in me collatis non sine fœnore factam existimetis, si non munus ipsum, sed animum dantis, ac uetustissimi autoris dignitatem considerabitis. His me utriq; uestrûm de nota meliori commendo. Viennæ Pannoniæ, ex ædibus nostris, Cal. Augusti, Anno M. D. LI.


W L D

DE PASSIONE DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, CARMEN HEROICVM LVCVlentum, ad Donatum Episcopum, incerto autore.



AXIME coelicolûm, supera qui celsus in aula
Aeterno imperio superes, fortiq; tridente
Res hominum diuûmq; regis: quo turbine diro
Iudæi irruerint, rabies quæ traxerit illos
Tanta, tuo nato pœnas inferre nefandas,
Horrendumq; genus mortis, crudelius ipsa
Terq; quaterq; nece, est animus describere uersu. Propositio autoris.
Tu modò fluctiferũ pater hæc rege uela per æquor,
Primitiasq; meæ, si qua est, en accipe Musæ.
Tu quoq;, quem sanctus uitæ nitor undiq; tollit,
Cuius & eximias orbis penetrauit in oras
Fama, ingens uirtus morum, sanctissima uitæ
Relligio, humanis pulchre comitata camœnis,
Et superis Latialis honos: hinc aspice Præsul Inuocatio poetæ.
Inclyte, tuq; auras classi concede secundas.
Nam mihi Cæsar ades, atq; es mihi uerus Apollo:
Nec dubitem auspicijs tantis deductus, haberi
Et fortunatum, & diuino degere nutu.
Huc adsis Donate pater, tutare canentem
Metra, licet tenui ac iuuenili inducta cothurno.
Nam pòst cum fuero scribendi commoda nactus
Tempora, cum studijs maneat tutissima cœptis
Et parata quies, maiorq; aduenerit ætas,
Incipiam grauiora, tuæq; ab origine gentis
Deueniens tua gesta canam, modò fata secundent.
At mea nunc primo replentur carbasa uento,
Littora destituam, & medium ferar altus in æquor.
Panditur infelix Erebi domus ampla superbi, Hic incipit passio.
Tartareusq; suos misera ad sedilia Pluto
Conuocat inde duces, rabidoq; exæstuat ore.
Rupe caua medij locus est immanis Auerni, Topographia inferni.
Luce carens, ubi perpetuò nox incubat, illic
Circumquaq; palus Stygia, & stagna alta resurgunt
Cocyti: heu quantus dolor hoc è gurgite fusco
Auditur? nigra discurrunt fontis harena
Ingentes angues, horrendaq; monstra per undam
Deformi limo uoluuntur, & impia iactant

Sibila, tetrorum hic natat genus omne colubrûm.
Ignis edax fluuium, medio tamen aere serpit:
Aere, quo peius nihil est. noua adesse putabis
Hic elementa. suum tali regione tribunal
Iuppiter infernus statuit. sede arduus ergo,
Terribili sæuas acies, rabidasq; phalanges
Conuocat ore tonans. miseros hi turbine uasto
Conscendunt, replentq; locos, ipse altior infit:

Satanę oratio.

Lethæi duces, ingens hoc causa subegit
Cogere concilium, nec uos mea dira potestas
Nequicquam exciuit, uarijs terroribus angor.
Accipite hoc memores, nostramq; his discite mentem.
Horrida iamdudum forti cum milite bella
Congerimus, paucæq; ualent in prælia uires.
Sæpius aduersum uidistis quantus in hostem
Insurgat clypeo, & telum quo turbine uerset.
Undiq; conueniunt populi, pars alta sequuntur
Eloquia, & sanctum ueluti pars numen adorant.
Quid loquar? hic urbes, hic hic sermonibus ipsa
Oppida subuertit uarijs, totumq; per orbem
Fama uolat, sua nunc etiam doctrina per omnes
Spargitur, & tandem nostris dominatur in oris.
Vincimur heu miseri, quàm parua potentia nostra est:
Vincimur, iste Deo natum, magnoq; parente
Se facit, & miris testatur & approbat istud
Ominibus. claudi incedunt, sua lumina cæci
Obstupuere, nouas muti dixere loquelas,
Audijt & surdus, turpi dehinc corpore lepram
Depellit, cæcis animas reuocare sub umbris
Nouit, & excitas iterum ad sua membra reuerti,
Hic puer. & medio doctorum celsus honore
Constitit, alta docens: nunquam risisse notatus,
Sæpe dedit gemitus: siccis super æquora plantis
Quiq; maris gradiens, timidum cæca ima petentem
Discipulum dextra tenuit. quare ista fatentur
Esse Deum: atq; ferunt Christum de uirgine natum.
Vidistis quàm magna tonant, qui carcere nostro
Clauduntur, lætiq; diem aduentasse salutant,
Quo patriam repetant, inuisaq; mœnia linquant.
Quis nouus iste furor? tentandum est, an Deus is sit,
Siue homo. si uitæ fuerit sibi terminus, omnis
Quæstio iam pateat. neq; enim regnator Olympi

Extingui,

Extingui, uel morte potest occumbere dira.
Voluimus idcirco uarias in pectore curas,
Et noua consilia atq; nouas demetior artes.
Nam Iesus hic, magna populi comitante caterua,
Hierusalem ingreditur, cui ramis, agmine facto,
Occurrunt oleæ, prostrati corpore terra,
Sub pedibusq; locant pallas, & carmina dicunt.
Hic labor omnis adest, cunctorum uertere mentes
Scribarum, rabidumq; animo instaurare furorem
Principibus, uarios uulgi & miscere tumultus:
Morte reum clament ipsum, quo fida suorum
Agmina destituat, precio tradatur & hosti.
Vadite iamq; citi, pedibusq; accingite pennas.
Tu mea & in primis Alecto concipe uires,
Et solitas artes: maior tibi gloria restat,
Si struere, ac tantam poteris componere mortem.
Quare age, Gorgoneis mea nata accincta uenenis
Aggredere, & diros longis de crinibus angues
Eripe, uipeream scribarumq; infice mentem,
Atq; odijs Pharisææ incendens lumina gentis,
Inde sacerdotes: Scarioth tua uulnera Iudas
Sentiat, hunc auri cogat uis rumpere leges.
Hæc postquam diro latrauit gutture Pluto, Inferorũ indignatio & tumultus.
Extemplo surgunt acies, uastasq; per umbram
Emittunt uoces, frendentq; hinc dentibus olli:
Haud aliter, quàm dant ubi ucti ex rupe fragorem:
Aut cum nube caua rubeo Vulcanus amictu
Frangitur, in medio tonitrus sonat aere longus:
Tali insanibant rabie mala pectora, & ira,
Hinc atq; hinc cæco discurrunt undiq; cursu.
At sata Nocte altum transuerberat aera pennis,
Hierusalemq; petit, primæq; in limine portæ
Ingentem eiecit tristi de crine colubrum,
Qui totam furijs agitaret protinus urbem.
Indeq; tecta petit Scribarum, cordaq; uersat
Praua sacerdotum, & flammis accensa draconem
Cuiq; suum iniecit, qui crebro lubricus orbe
Voluitur, atq; leui summa ad præcordia gyro
Delapsus, mentem furijs agitauit amaris.
Tum uarijs secum dictis, & murmure cæco,
Conueniunt patres, quorum qui maximus æuo,
Incœpit: Quis nos grauis circumuolat horror? Consilia scribarũ & ponti
 Quid

ficum aduersus Iesum.

Quid struimus? populos hic hic narratur in omnes,
Signaq; magna facit, gentes sua dicta sequuntur:
Et quæcunq; docet, ueluti sint numinis alti,
Accipiunt miseri. Quæ nos fortuna sequatur,
Quærendum est. uenient Romani, nostraq; tollent
Imperia, & miseris ignoti errabimus oris.
Inueniat timor iste uiam. Nunc lætus in urbe
Hic homo successu populi, & felicis oliuæ
Frondibus exceptus: medium teneamus, & ipsas
Morte luat pœnas: morte est dolor iste piandus.
Talibus inter se dictis, incœpta fremebant
Consilia, atq; Iesum quærebant tradere morti.
Utq; satis primos acuit fera Gorgo furores,
Atq; omnem euertit ipsis cum patribus urbem,
Ad Iudam Scarioth obscœnis protinus alis

Cõsilia Iudæ de tradendo Christo magistro.

Accelerat, miserumq; omni complectitur angue.
Fodit auaritiæ primùm sua pectora telo,
Post uirus tetrum iniecit, quo prodere tentet
(Heu demens) hostiq; suum, dulcemq; magistrum
Traderet infelix. Iam tum damnare puellæ
Pulchrum opus unguenti quoq; uerbis audet iniquis.
Nec satis hoc misero est, quin mox ad limina patrum
Hinc celeri fertur gressu, preciumq; poposcit,
Quis dare se spondet ignoti signa magistri:
Atq; ubi cum caris socijs uersetur, ut inde
Hunc teneant, quemcunq; sibi monstrauerit, inquit.

Exclamatio Poetæ in proditorem.

O fraudis sæuæ, ô sceleris fabricator iniqui,
Quem neq; culpa mouet, facti neq; pœna nefandi:
An speras tantumq; nefas resideret inultum,
" *Demens? Magna diu nequeunt delicta latere,*
" *Nec scelere est aliquis longo lætatus in æuo.*
Tempus erit, quo mentis inops, lucisq; perosus,
Me mare in abruptum (clamabis) ferte procellæ,
Inq; feros Syrtis scopulos me tollite in altum,
Undiq; disiectum, uastis ubi montibus horret
Aeterno nix alta gelu, detrudar & illinc
Aut ubi uicinus uictum mortalibus omnem
Sol negat, & dira surgunt qua parte uenena.
Tandem incerta putans, Christi pietatis & amplæ
Immemor, heu tristi rumpes tua colla capistro.
Accipit ergo acies sæuas, tristesq; cohortes
Infelix, graditurq; armato milite cinctus.

At Iesus

At Iesus interea uoluens sub pectore summi
Iussa patris, properans Cedrontis protinus alueum
Transuperat: placido iacet hic in gramine campus,
Quem Iesus ingreditur, circũ paruo agmine septus.
Hic quoq; de ueteri, sinuato poplite, more
Orabat, magnoq; dabat sacra uerba parenti.
Ecce armis instructa acies, rabidiq; manipli
Inde superueniunt, medio tradente. Quid inquam
Miles acerbe furis, ueniet quo uictima fiat
Sponte sua innocuus, medijsq; astabit in aris
Agnus, & exposita cupiet ceruice necari.

Epiphonema poetæ.

Ut subitos igitur longis cum fustibus hostes
In se ferre uidet Iesus, ultro accessit, & inquit:
Quem tanto armorum concursu quæritis? Olli
Respondere: Iesum, Iudæa Nazareth ortum.
At Iesus, En præsto sum: quem rogo quæritis? unà
Tunc malesana cohors, Iuda impulsore, supini
In terram exanimes tanta cecidere loquela,
Qua cœlum tellusq; tremit. Rursusq; rogauit,
Quem petitis? dixere, Iesum. quibus ipse ita fatur:
Me me, adsum: me me sæuis ne poscite uinclis,
Ipse comes ueniam, tamen hos concedite abire.
Dixerat, extemplo dextras in pectore diras
Certatim inijciunt, colloq; miserrima turba
Imponunt funem, uinctumq; ad mœnia ducunt.
Non tulit hoc Petrus, quanquã iam tardior æuo:
Et tentat uires, medium quoq; fertur in agmen,
Ac Malchũ adgreditur, iugulo cui dũ petit ensem
Condere, labenti terra dextram abstulit aurem.
Cui Iesus: En gladium uaginæ redde locandum
Petre, quid insanis? nescis, precibus legionem
Si cuperem, poterit, qui auxilia fida ministrat?
Iussa paterna feram: quænam est hæc dira cupido?
Sic fatus, Malchum turpatum sanguine, terra
Subleuat, atq; aurem propria statione reponit.

Petri audacia & fidelitas.

At fera turba Iesum rapiunt, miserabile dictu,
Adq; Annam magno ducunt clamore reuinctum
(Heu) post terga manus, captoq; illudere certant.
Interea Petrum turbat fortuna magistri,
Ingemit, & trepidus fido comitante Ioanne
Insequitur, longè turbæ uestigia seruans.
Iamq; introgressi truculentas præsidis ædes

Iudæi, captum ante pedes statuere tyranni.
Discipulusq; unà ingreditur præstante iuuenta,
Notus custodi, Symonemq; admittier orat
Exclusum. cui mox subeunti portitor inquit:
Nónne comes fueras hominis? negat ille pauore.
Stabant & borea torres urgente, fouebat
Ad quos turba ministrorum, quibus ordine Petrus
Addit se socium pariter, frigusq; leuabat.
Interea præses sic sede effatur ab alta,
Atq; Iesum, qualis sua sit doctrina, requirit.
Qui rerum intrepidus, uerba Annæ talia reddit:
Clam nihil hic docui, clara sum uoce locutus
In synagoga & templo, quò gens tua semper
Conueniunt, mundoq; palàm latè omnia dixi:
Vox mea in occulto nunquam est audita. quid ergo
Me petis? hoscè roga, qui me uidere docentem.
Talia dum memorat, non plura est passus iniquus
Seruus, & in faciem dextra ruit, oraq; tundit
Sancta Iesu: Tu'ne hic scelerata (exclamat) in aula
Pontifici loqueris? Cui mitis reddidit agnus:
Iam testare, meo si quid malè decidit ore:
Sed bene si dixi, quid me crudeliter angis?
Cumq; hæc audisset præses, iubet inde ligatum
Duci ad pontificem Caipham, qui tempore in illo
Protulit, atq; isthæc dederit licet ore nefando,
Prædixit, præstare uirum dimittier Orco:
Pontificis fuerat quoniam proferre futura.
Dumq; ignis cæteri carpebant fortè calorem,
Astanti dicunt Symoni: Tuus iste magister
Nónne erat? Infelix iterum ast timido ore negauit.
Ista negas? inquit Malchi cognatus: in horto
Nónne ego te pariter uidi? negat acrius ille.
Nec mora fit, gallus (ueluti prædixerat illi
Antè Iesus) signum rostro patefecit adunco.
Aurora interea croceo surgebat ab ortu,
Luciferis inuecta rotis, cum pessima mitem
Turba Iesum rapiunt, adq; alta palatia magno
Cum clamore trahunt, Caiphas ubi more priorum
Cum socijs operam festis Paschalibus almam
Læti indulgebant, ne sacra incœpta furore
Turbarent, uerùm ut sedata mente litarent,
Gentilis ueriti tectum. quare antè Pilatus *

Egreditur,

Egreditur, turbamq; rogat rabido ore frementem:
Quid'ue petant, trepidiq; uirum quo crimine causent?
Cui gens sacrilega fatur sic uoce superba:
Ante tuum, insontem non est mos ducere, Ponti,
Iudicium, meruit qui haud, accusare nec ullum.
Accipite ergo uirum, proclamat uoce Pilatus:
Utq; iubent leges, in eum procedite, uestræ.
Sed furor intonuit: Non nostrum est, nec licet ulli
Mortem inferre uiro, propriaq; excludere uita.
Pessima gens, animo ueluti de morte scelesti, Exclamatio poetæ.
Concipis indigna, & pœnis condigna tuorum.
Pontius ergo Iesum propriam subduxit in ædem,
Impiaq; est sancti uerba hæc tum fatus in ora:
Pande mihi, gentis rex es tu? an ista, subinfert,
Verba, Iesus, tua, uel didicisti ex ore loquentis?
Non ego Iudæus sum, reddidit inde Pilatus:
Gens tua, pontifices, mihi te duxere necandum.
Causa necis quæ tanta fuit? uel quod scelus hoc est?
Agnus ad hæc: Mundo mea si nunc esset in isto
Regia, prospiceres certantes magna ministros
Pro domino, atq; armis summa tuerentur ab arce.
Nec darer inuisis, paterentur, gentibus, ultrò
Vitam exponentes pro me. uerùm altera regna
Sunt mihi, nec tali fertur mea gloria mundo.
Regna igitur tibi sunt? fert ille. Ego regis honores
Inde gero, & nullo est regnum superabile bello:
Agnus ait. Latebras & ad hoc sum corporis istas,
Et mundum ingressus, quò ueri testis & autor
Egrederer: mea uox cultoribus almi ueri,
Quiq; pium rectumq; colunt, captatur in aure.
Quid uerum est? quærit tunc Pontius. atq; ita poscens,
Rursum ad Iudæos exit, dehinc talia fatur:
Nullam ego, quam quæris gens isti infligere causam,
Comperio, cuncto uacat hic à crimine iustus.
Ast unum ex nostro mos est dimittere Pascha,
Carcere detentum: manet hæc sententia uobis,
Ut Iudæorum soluam hoc modò munere regem?
Altius exclamant: Barabas soluatur iniquus.
Hic erat in turbis homo, qui confecerat unum
Mortalem, uotis quem gens poposcerat Orco.
Talia conspiciens & uulgi corda Pilatus,
Fune Iesum uinctum, sæuis hinc ergo flagellis

 Subijcit.

Subijcit. Ast illi plectentes sanguine multo,
Sentibus implicitam properant inferre coronam,
Heu singultanti capiti, terramq́ tuenti.
Insuper hanc baculoq́ premunt, ubi multa doloris
Signa uident, circum & pallæ candentis amictum
Purpureæ, mitem ludunt crudeliter agnum,
Atq ipsum risu probrabant: Inclyte salue
Rex Iudæorum. tunduntq́ sacra ora pugillis.
Pontius egreditur rursus, turbamq́ malignam
Talibus alloquitur: Nullam (cognoscite) causam
Inuenio, uobis duco hunc sine crimine iustum.
Spinea serta gerens graditur Iesus, oraq́ terræ
Indefixa tenet, palla circundatus alba.
Utq́ hunc pontifices rabidi, pariterq́ ministri
Conspexere, ulla non sunt pietate reflexi:
In cruce fige uirum, clamant, iterantq́ loquelas.
Pontius hæc contrà: Uos hunc uos tollite: & inde
Huic cum nulla crucis, uos hunc cruce figite, causa.
Iudæi clamant, Nostra hunc lex undiq damnat:
Namq Deo natum populo se dixit in omni.
Præsidis ut talis sermo peruenit ad aures,
Extimuit, rursusq́ subit prætoria, quærens:
Dic mihi amice uolo, unde uenis? tua quæ sit origo?
Contrà nulla dedit Iesus ipsi uerba roganti.
Et quid, prætor ait, mihi nil loquere? ecce potestas
Ut cruce te figam, liberem ue, est tradita: nunquid
Ignoras? Tunc mitis ad hæc sic reddidit agnus:
Uim tibi nequicquam de me fortuna dedisset,
Arbitrium ni iam supera qui regnat in aula
Traderet, ac de me tales laxaret habenas.
Dum Iesus hæc de sese, iterumq́ iterumq́ Pilatus
Quærebat rabidi populi ut diuerteret iras,
Nequicquam: ueluti fluuij qui claudere riuos
Tentet, & alterius cursum retinere fugacem
Fluminis infesti, cum multo cespite longis
Uiminibus, nec non saxis, sudibusq́ præustis
Attollit, paruo mansurum tempore collem.
Nam dum materia adgreditur consternere fluxum,
Rumpit opus colluctans tum ui confluus imber.
Non secus hæc rectos monitus fera turba Pilati
Dissipat, atq omnes ipsas committit in auras,
Et super hæc addit rabies: Tibi Cæsaris omnis

Cedat amicitia, & sæuam consurgat in iram,
Hunc modò si soluas. Nam Cæsaris inficit altum
Imperium, Regis quisquis sibi nomen adegit.
Talibus impulsus præses, feruente furore
Eduxit multo fœdatum sanguine Christum.
Est locus horrenda sublimis structus in aula,
Quem Lycostratum perhibent, sed Gabbata dicunt
Gens Hebræa: manet uetus hic de more tribunal.
Prætor ubi sese populi clamore locauit,
Et sic ore dedit: Uestrum decernite regem,
En rex uester adest. Contrà furor excitat omnes:
Tolle reum, clamantq; reum cruce dede necandum.
Ergo, inquit præses, morti contradere cogor,
Qui fuit hic rex? Pontifices dixere nefandi:
Rex est Cæsar, & hic solus dominator in orbe
Nobis Cæsar adest. Tunc magno rapta furore
Conspiciens populi clamantis corda Pilatus,
Uincitur, inq; manus agnum, & sæua ora luporum
Tradidit. Ecce ruunt alacres, adq; æthera uoces
Tollunt sacrilegas: qualis leo gaudet in oris
Armenijs, ceruam rapuit si quando pauentem,
Exilit in miseram, & clamans lasciuit eundo.
Sic gens, postquam ad Caluariæ uenit impia collem,
In terram (heu facinus) strauere Iesum, atq; beatas
Inde manus, atq; inde pedes fixere, crucemq;.
O` dolor, ô pietas, medium statuere nefandos Exclamatio poetæ.
Inter raptores, atq; est numeratus in illis.
Utq; solet mœstis titulus superesse sepulchris,
Carmine sic uasto signat crucis ora Pilatus,
Significatq; illa pendere ex arbore Christum,
Nazaret eductum, tali notat arte tabella:
Rex erat iste Iesus Iudæorum, & manet isthac
In cruce. Et hunc uersum plures legere, Pilatum
Ultrò accusantes: Regem hunc inscribere noli,
At quia se dixit regem. Sed talia reddit
Pontius: Aeterno maneat hoc carmen in ipso.
Sic cruce tum patulis manibus diuina potestas
Pendebat, cum sæua cohors, suadente furore,
Corripuere pias uestes, atq; inde proterua
Diuisere manu, ne quid superesset in illo,
Quattuor in partes statuunt, atq; insuper horum
Cognouit pars quæq; suum: sic ira ministrat.

Altera

Altera uestis erat, manibus quam fecerat aptis
Ipsa suo nato rerum doctissima mater,
Undique acu totum contextam desuper orbem.
Hanc secare nefas rati dixere uicissim:
Hanc habeat, cuicunque fauet sors aspera ludi.

Elegans comparatio.

Ac ueluti imbellem rapiens frendente bidentem
Martius ore lupus, postquam crudeliter aluo
Immersit pauidam, ac frustra clamore petentem
Auxilia, in partes sanie rorantia mille
Uellera dispergit, uentis atque irrita donat:
Omnia sic similis, ueniet gens impia tempus
Haud expectatum, quo tu spolia ista, diemque,
Et miseri nati, natorumque exitus omnis
Oderitis, uastum miseri peragrabitis orbem:
Uos fugient populi, nulli socia agmina iungent,
Nusquam certa domus, requies & nulla laborum.
Astitit inde Iesu mater, comitata cohorte
Fœminea, laniata comas, laniataque pallam,
Pectora contundens pugnis. hanc natus ab alto
Prospiciens, pariterque suum superesse Ioannem,
Talia tunc matris dimisso nomine fatur:

Christus matrem Ioanni commendat.

O mulier, tibi natus hic est, tua cura: Ioannes
Ipse sibi, spes sola, tuam solabere matrem.
Nec plures lasso rupit de pectore uoces.
At genitrix, ubi uerba sui cognouit alumni,
Succiduo miseranda genu, sine uiribus ullis,
Succumbit mæstum illacrymans. subit ipse Ioannes,
Sustinet, & dictis miseram solatur amicis.
His actis, inscripta Iesus secum omnia uoluens,
Et quæcunque sacri de se dixere prophetæ,
Clamauit: Gens praua, tuæ mihi magna salutis
Est sitis. Ecce canes, raptimque sine ordine currunt,
Crudelesque parant succos, & pocula condunt:
Isopus infelix acri miscetur aceto,

Mors Christi.

Atque Iesu apponunt ori. Sed tristia postquam
Pocula sunt primis Christi percepta labellis:
Omnia, uoce refert, iam iam consumpsimus. Atque hæc
Dum memorat, ceruix ultro collapsa recumbit,
Spiritus & tepidos liquit feliciter artus.
Iudæi interea, quoniam sua festa manebant,
Sabbatique dies aderat, petiere Pilatum,
Ut iubeat ferro contundi membra uirorum.

Turba ruunt, primiq; infringunt crura latronis,
Atq; unà alterius : dum uerò cætera lustrant,
Utq; Iesu sanctos non firmet spiritus artus,
Ossa illæsa sinunt : ualida sed feruidus hasta
Miles erat, qui dulce Iesu latus hausit apertum.
Extemplò tali fluxit de uulnere sanguis
Mixtus aqua. obstupuere omnes, miratus & ipse
Est miles, ueniamq; sui petit ille reatus.
Talibus infandum exactis, uir sanguine claro
Diues opum Ioseph, urbe Arymathiaq; cretus,
Processit, corpusq; Iesu, tradente Pilato,
Suscipit, atq; humilis mœstos instaurat honores.
Instat & unà operi Nicodemus, tristis & unà
Illacrymans funus properat, sanctiq; magistri
Uulnera sæua lauant, dehinc oscula dulcia figunt.
Ast alij niueo inuoluunt uelamine, talem
Seruabant ritum ueteres, conduntq; sepulchro.
Nunc mea de prora in littus iactetur apertum Peroratio autoris.
Ancora, parua cadant ducentia uela phaselum.

FINIS.

IVLII AFRICANI HISTORICI ET EPISCOPI, IN HISTORIAM APOSTOlicam Præfatio.



VANQVAM plurima de Apoſtolicis ſignis ſacra Euangeliorũ, uel illa quæ ab ipſis actibus nomen accepit, narret hiſtoria: tamen uiſum eſt nobis, ut retractis exemplaribus ac uoluminibus iſtis, & maximè quæ ab Abdia, qui Saluatorem in carne uiderat, & ſecutus Symonem & Iudam Apoſtolos in Perſida, primus Babylonis epiſcopus fuit, de uniuſcuiuſq; uirtutibus ſermone Hebraico ſcripta ſunt, quantũ inuenire potuimus, libros ſingulos conſcribamus: ut etiam ſi alicui delectatio fuerit inquirendi, quod ille aut ille proprium geſſerit, ſingulatim reperiatur in ſingulis. Nam de multis, quæ hac de re à ueteribus ſcripta ſunt, nihil ad nos, præter ipſorum paſsionum monumenta uenerunt. Quod nos pro magno complectimur, ſcientes ſcriptum: Honorandi ſunt amici tui Deus. Verùm utrum magna oſtendiſſent prodigia in populis, an minora, non hæc fragilitati humanę ſunt aſcribenda, ſed à nobis fideliter confitendum, quia operatur ea unus atq; idem Dominus IESVS Chriſtus, qui in eis per bonam uoluntatem & ſenſus puritatem habitat. ſicut dudum protulit Propheta: Quia inhabitabo in eis, & inambulabo in illis, & ero illorum Deus. Ergo in huius IESV Chriſti filij Dei omnipotentis nomine, quæ ſcripſit ſanctorum Apoſtolorum geſta Abdias epiſcopus Babyloniæ, qui ab ipſis epiſcopus ordinatus erat, ſermone Hebræo, & quæ diſcipulus eiuſdẽ Abdię Eutropius in Gręcam linguam tranſtulerat, hæc nos uniuerſa Latino reddidimus ſermoni, & in decem libros deſcripſimus, gloriam ſemper referẽtes Deo patri, per unigenitum eius filium, Dominum & redemptorem noſtrum, IESVM Chriſtum, in ſpiritu ſancto, inluminatore animarum noſtrarum, & nunc, & ſemper, & per ſecula ſeculorum: Amen.

INCIPIT

HISTORIAE APOSTOLICAE, AVTORE ABDIA BABYLONIAE EPIscopo, & ipsorum Apostolorum discipulo, quam ex Hebraica lingua in Latinam Africanus uertit,

Liber primus.

De rebus à beato Petro, principe Apostolorum, præclarè gestis.

A 
OST corporeum Dominicæ natiuitatis aduētum, cū ipse Dominus IESVS Christus, uera lux mūdi, mundanis inluxisset tenebris, ambulans iuxta mare Gallileæ, uidit duos fratres, Simonē qui uocatur Petrus, et Andream fratrem eius, mittentes retia in mare: erāt enim piscatores. & ait illis: Venite post me, faciam uos fieri piscatores hominum. At illi cōtinuo relictis retibus, secuti sunt eum. Et cum uenisset in partes Cæsareæ Philippi, interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, alij autem Heliam, alij uerò Hieremiam, aut unum ex prophetis. Tum Simon Petrus constanter & intrepidè respondit: Tu es Christus, filius Dei uiui. Respondens autem IESVS, dixit: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater me-
B us qui est in cœlis. Ego uerò dico tibi: Quia tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & portæ inferni nō præualebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cœlorū, & quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum et in cœlis: et quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Contigerat fortè eodem tempore, ut Christus oraturus, ex more in montem quendam abiret, adsumptis ex discipulis tribus carioribus, Petro, Ioanne, & Iacobo. Cumq; adsumptus paulo altius, solisq; lumine circumdatus, in medio Moysis & Heliæ, clarificatus à discipulis uideretur: Domine (inquit Petrus) bonus est iste locus ad habitandū: itaq; si placet, tria hic tabernacula faciemus: tibi unū, & reliquum Helię ac Moysi. Sed nihil tū IESVS respondit: uerùm ut surgerent, ac timorem exuerent admonuit, reliquumq; de passione sua sermonem protrahebat. Quæ cum postea ante Paschatis solennia instaret, sciens IESVS quia omnia dedisset ei Pater in manus, et quia à Deo exiuerat, & ad Deum uaderet, surgit à cœna, & ponit uestimenta sua: et cum accepisset linteū, pręcinxit se. deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum suorum, & tergere illos linteo. Cumq; uenisset ad Simonem Petrum, dicit illi Petrus:

Domine, tu mihi ne lauabis pedes? Respondit illi IESVS: Quod ego facio, tu nescis modò, scies autē postea. Tum Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternū. Respondit IESVS: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Ad quæ Petrus: Non tantum pedes, sed etiam caput meum, & manus meas. Quē sermonem excipiens IESVS, ait: Qui lotus est, non indiget ut iterum lauetur, sed est mundus totus. Hæc ante resurrectionem à beato Petro gesta sunt. Post resurrectionem autē dicebat Dominus IESVS Petro: Simon Ioannis diligis me? Etiam Domine, inquit Petrus, tu scis quia amo te. Tum Christus: Pasce agnos meos. & subdit: Simon Ioannis, diligis me? Dicit ei Petrus: Tu scis quia diligo te. Pasce ergo oues meas, ait IESVS. Et dicit Petro tertiò: Simon Ioannis, amas me? Quæ cum audisset Petrus, contristatus est, quòd ei tertiò dixisset, amas me, & respondens ait: Domine tu scis, quia amo te. Et IESVS: Pasce ergo oues meas. Amen amen dico tibi, cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas quò uolebas: cum autem senueris, extēdes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non uis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Hæc autē facta sunt eo tempore, quo ad mare Tiberiadis Saluator post resurrectionem, piscantibus discipulis, in littore apparuerat, quærens nunquid pisces aliquot cepissent? Sed illi, qui Dominū tum non cognouerāt, eminus pernegabāt. Quo audito, IESVS rete ad dextram partem nauis mitti pręcepit. Quod ubi hi fecissent, & Petrus se in mare demisisset, rete plenum piscibus retraxerunt. atq; ex eo miraculo attoniti, Dominum cognoscere cœperūt: & appellentes ad littus, prope eum piscem subiectis carbonibus, & panem inuenerunt. Cumq; centū & quinquaginta pisces numerassent, quos ex reti colligebant, inuitabat Christus discipulos ut sederent, piscemq; & panem secum ederent. Et hæc quidem dum adhuc in terris degebat, post resurrectionem, à Petro facta sunt, quæ digna sunt memoria. Postquam autem Dominus IESVS adsumptus est in cœlum, Petrus & Ioannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam. & ecce quidam uir, qui erat claudus ex utero matris suę, baiulabatur: quem ponebāt quotidie ad portā templi quæ dicitur speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. Is cum uidisset Petrum & Ioannem ingredientes, supplicabat, ut eleemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Tum Petrus: Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc do tibi. In nomine IESV Christi Nazareni, surge & ambula. Et apprehēsa eius dextra, alleuauit eū. Et protinus consolidatæ sunt bases eius, & plantæ: & exiliens stetit, & ambulabat: & ingressus cum illis in templum, corā omni populo testificabatur & magnificabat Dominum. Erat autem annorum

Hæc historia recensetur in Actis Apostolorū à S. Luca.

rum

A rum amplius quadraginta. Augebatur uerò interea numerus cre-
dentium in Christum, multitudo uirorum ac mulierum: ita ut in
plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis suis ac grabatis,
secus uias publicas, quibus Apostolos audiuerant uenturos. Con-
ueniebant autem et ex proximis ciuitatibus multi Hierosolymam,
ægros adferentes, & qui à spiritibus immundis uexabantur, quos
omnes curabat Petrus. Interea cum fama uenisset Hierosolymã,
quia Samaria uerbum Domini reciperet, miserũt eò Apostoli Pe-
trum & Ioannem: qui cum uenissent, orauerunt pro ipsis ut acci-
perent spiritum sanctum. Nondum enim in quenquã illorum ue-
nerat, sed baptizati tantum erãt in nomine IESV. At Apostoli im-
ponebant manus super illos, & acceperũt spiritum sanctum & Sa-
maritani. Quam rem cum uidisset Simon qui dicitur Magus,
quia per impositionem manus Apostolorum daretur spiritus san-
ctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc potestatem,
ut cuicunq; imposuero manus, accipiat spiritum sanctum. Petrus
autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia do
num Dei existimasti pecunia possideri. Non sit tibi pars, neq; sors
in sermone isto. cor enim tuum non est rectum coram Deo. Quare
age pœnitentiam, & recede ab hac nequitia tua, & roga Deum si
fortè remittatur tibi. Hæc cogitatio cordis tui praua est: in felle e-
nim amaritudinis, & obligatione iniquitatis uideo te esse. Respon
B dens autẽ Simon, dixit: Precamini uos pro me Dominum, ut nihil
eueniat super me horum quæ dixistis. Et isti quidem testificati, &
locuti uerbum Domini, redibant Hierosolymam, & multis regio
nibus Samaritanorum euangelizabant Dominum. Factum est
autem, ut Petrus, dum pertransiret multas urbes ac uicos, deueni-
ret ad sanctos qui habitabant Lyddæ. Ibi hominẽ quendam inue-
nit nomine Æneam, ab annis octo iacentẽ in lecto, qui erat paraly-
ticus, et ait illi Petrus: Ænea surge, sanat te Dominus noster IESVS
Christus. Et continuò surrexit, & strauit sibi: & uidebãt illum om-
nes qui habitabant Lyddæ, & Saronæ, qui conuersi omnes ad Do-
minum fuerunt. Dum hæc agerẽtur, Christi discipula quædam
nomine Thabitas occurrit, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc
erat plena operibus bonis, et eleemosynis, quas quotidie erogabat.
Accidit autem ut fortè infirmata moreretur. Quam cum lauissent
agnati, deposuerunt eam in cœnaculo. Quia autem non procul di-
stabat Ioppe à Lydda, miserunt duos uiros ad Petrũ, rogantes ut
non differret uenire ad eos. Quæ cum accepisset Petrus, exurgens
peruenit cum illis in Ioppen. Et cum uenisset, duxerunt eum in cœ
naculum, & circumsteterunt illum omnes uiduæ flentes, & osten-
dentes tunicas ac uestes, quas fecerat illis Dorcas. Quarũ fletibus
condolens Petrus, eiectis omnibus qui aderant foràs, extensis in
cœlum cum oculis manibus, & ponens genua orauit. Cõuersusq;

ad corpus, dixit: Thabita surge. At illa aperuit oculos suos, & uiso Petro resedit. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum uocasset sanctos & uiduas ad se, significauit eã uiuam. Notum autẽ factum est per uniuersam Ioppen, & crediderunt multi in Dominum. A

Hæc omnia capite duodecimo Actorũ habẽtur, quare uel Abdiã ex Luca sumpsisse, uel Lucã ex Abdia, cũ fuerit uterque Apostolorũ discipulus, credẽdum est.

Eodem tẽpore misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de ecclesia. Videns autem quia placeret Iudæis, apposuit apprehendere & Petrum: erant enim dies azymorum. Quem cũ apprehendisset, misit in carcerem, tradensq; quatuor quaternionibus militum custodire eum, uolebat post pascha producere eum populo. Et Petrus quidem seruabatur in carcere: fiebat autem oratio sine intermissione ab ecclesia ad Dominum pro eo. Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens, inter duos milites, uinctus catenis duabus. Et custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo carceris: percussoq; latere Petri, suscitauit eum Dominus: Surge uelociter. & ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum: Præcinge te, & calcia te caligas tuas. & fecit sic. Et dixit illi: Circũda tibi uestimentum tuũ, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat quia uerum esset quod faciebat per Angelum: æstimabat autem se uisum uidere. Transeuntes autem primam & secundam custodiam, uenerunt ad portam ferream quæ ducit ad ciuitatem, quæ ultrò aperta est eis. Et exeuntes processerunt uicum unum, & continuò discessit Angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus dixit: Nunc scio uerè, quia misit Dominus Angelũ suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorũ. B His ita gestis, surrexit quidã Simon Samarius genere, qui dudum uisis miraculis Petri, pecunia comparare uoluit donum spiritale, qui se magnum & perpetualiter stantem esse dicebat: promittens eos qui in se crederent, prorsus dissolui non posse. Hic etiam Petri cupiens euertere uias, & ea quæ docebat ad irritũ reuocare: diem constituit, in quo conuenientibus turbis ad disputandum cum Petro, præsens adesset. Erat autem tunc Petrus apud Cæsareã Stratonis. Igitur inlucescente statuta die, Zachæus, qui erat prior ciuitatis, astitit Petro dicẽs: Tempus est ut procedas ad disputandũ Petre. Turba autem in medio atrij cõgregata opprimitur, te opperiens, quorum in medio multis fultus ad se * constitit Simon. Tum Petrus ut hæc audiuit, orationis gratia secedere aliquos iubens, qui nõdum erant diluti à peccatis, quæ ignorantia commiserant, ait ad reliquos: Oremus fratres, ut Dominus per Christum filium suum, pro ineffabili misericordia sua adiuuet me, exeuntem pro salute hominum qui ab ipso creati sunt. Et hæc cum dixisset, oratione facta, processit ad atrium domus, in quo erat multitudo plurima populi congregata. Quò ubi omnes summo cum silentio esse attentos uideret, & magũ Simonem in

nem in

A nem in medio eorũ uelut signiferũ, statim hoc modo cœpit: Pax uobis omnibus, qui parati estis dare dextras ueritati. Quicunque enim obediunt ei, uidentur quidẽ sibi aliquid gratiæ conferre Domino. Porrò autem ipsi ab eo donum summi muneris consequuntur, iustitiæ eius semitas incedentes. Propter quod & primum est omnium, iustitiam Domini, regnumq́ue inquirere eius. Iustitiã quidem, ut rectè agere doceamur: regnum uerò, ut quæ sit merces posita laborum & patientiæ, nouerimus. In quo est bonis quidem æternorum bonorum remuneratio: his autẽ qui contra uoluntatem eius egerint, pro uniuscuiusq; gestis, pœnarũ digna restitutio. Hic ergo, hoc est in præsenti uita, positos oportet uos agnoscere uoluntatem Domini, ubi & agendi locus est. Nam si quis uelit, antequã actus suos emendet, de his requirere quæ non potest inuenire, stulta et inefficax erit huiuscemodi inquisitio. Tempus enim breue est, & iudicium digestorum causa agitur, non quæstionum. Ideóq; ante omnia hoc quæramus, quid nos, aut qualiter agere oporteat, ut æternam uitam consequi mereamur. Mea ergo ista sententia est, sicut & uero prophetæ uisum est: ut primùm de iustitia requiratur, ab his maximè qui Dominum se nosse confitentur. Si ergo habet aliquis quod esse rectius putet, dicat. Et cum dixerit, audiat: sed cum patientia & quiete. Propter hoc enim ab initio saluationis, speciem pacis cunctis imprecatus sum. Ad hæc Simon respondit: Nos pa-

B ce tua opus non habemus. Si enim pax & concordia sit ad inueniendam ueritatem, nihil proficere poterimus: habent enim pacẽ inter se & latrones, & scortatores, & omnis nequitia cum semetipsa concordat. Et nos ergo si ob hoc conuenimus, ut pacis causa omnibus quæ dicuntur præbeamus assensum, nihil auditoribus conferemus: sed è contrario inlusis eis, nos amici discedimus. Propter quod noli inuocare pacem, sed magis pugnam: & si potes expugnare errores, ne requiras amicitiam, iniustis assentationibus partam. Hoc enim te ante omnia scire uolo, quia duobus inter se dimicantibus, tunc erit cum alter ceciderit superatus. Et Petrus ait: Quid times crebrò audire pacẽ? an ignoras, quia perfectio legis est pax? Ex peccatis enim bella nascuntur, & certamina. Vbi autem peccatum non fit, pax in disputationibus, ueritas in operibus inuenitur. Et Simon: Nihil momenti continent hæc uerba, quę loqueris. Sed nunc ostendam uirtutis ac diuinitatis meæ potentiam, ut repentè procidas, & adores me. Ego sum prima uirtus, qui semper & sine initio sum. Ingressus autem in uterũ Rachel, natus sum ex ea ut homo, quo ab hominibus uideri possim. Ego per aerem uolaui, igne commixtus, unũ corpus effectus sum: statuas moueri feci, animaui exanima, lapides panes feci, de monte uolatu transmeaui, manibus angelorum sustentatus sum, ad terram descendi. Hæc non solum feci, sed & nunc facere possum: ut rebus ipsis probem omnibus,

quia ego sum filius Domini, stans in æternum, et credentes mihi similiter in perpetuò stare faciam. Tua autem uerba uana sunt omnia, nec ullum potes opus ostendere ueritatis: sicut & ille qui misit te Magus, qui nec se ipsum potuit liberare de crucis pœna. Possum enim facere, ut uolentibus me comprehendere, non appaream: & rursum uolens uideri, palàm sim: si fugere uelim, mõtes perforem, & saxa quasi lutum pertranseam. Si me de monte excelso præcipitem dedero, tanquam subuectus intrans illæsus deferar. Vinctus memetipsum soluã: eos uerò qui uincula iniecerint, uinctos reddã. In carcere conligatus, claustra spontè patefieri faciam. Statuas inanimatas reddã ita, ut putentur ab his qui uident, homines esse. Nouas arbores subitò oriri faciam, & repentina uirgulta producam. Igni meipsum inijciam, ut non ardeam. Vultum meum commuto, ut nõ cognoscar. Sed & duas facies habere me possum hominibus ostendere, ut ouis aut capra efficiar, puer paruus barbam producã. In aere uolando inuehar, aurum plurimũ ostendam: Reges faciam, adorabor ut Dominus: publicè diuinis donabor honoribus, ita ut simulachrũ mihi statuẽtes, tanq̃ Dominum colãt, et adorent. Et quid opus est multa dicere? quicquid uoluero, facere potero. Multę enim iã mihi experimẽto causę consummatæ sunt. Deniq; aliquãdo, inquit, cũ mater mea Rachel iuberet me exire ad agrum, ut meterẽ: ego falcẽ uidens positam, præcepi ei, ut iret & meteret: messuit decuplo amplius cæteris. Multa iã noua uirgulta produxi de terra, & comare ea ego feci, & sub momento tẽporis apparere: & montem proximũ ego secundò perforaui. His dictis à Simone, Petrus respondit: Ne alijs aliena. Tu enim quòd sis magus, ex ipsis quæ gessisti confessus es, & manifestatus. Noster autẽ magister, qui est filius Domini et hominis, manifestè bonus est. Quod autẽ uerè sit Domini filius, quibus oportuit dictum est, & dicitur. Tu autem si non uis confiteri quòd magus es, cum omni hac turba pergamus ad domum tuam, & tunc apparebit quis sit magus. Hæc autem Petro dicente, Simon blasphemijs & maledictis agere cœpit, & seditione facta, perturbatis omnibus, argui non potuit. Et Petrus, ne quasi blasphemiæ causa secedere uideretur, perstitit immobilis, & arguere eum uehementius cœpit. Tum populus indignatus, Simonem de atrio eiectum, extra ianuas domus repulit: eoq; depulso, unus secutus est solus. Facto autem silentio, Petrus alloqui populum hoc modo cœpit: Patiẽter, fratres, malos ferre debetis, scientes quia Dominus cum possit eos excidere, patitur tamen durare usq; ad præstitutam diem: in qua de omnibus iudicium fiet. Quomodo ergo nos non patiemur, quos patitur Dominus, cui subsunt & obediunt cœli & terræ? Vos ergo qui ad Dominum conuertimini per pœnitentiam, curuate ei genua. Hæc cum dixisset, omnis multitudo genua flexit Domino. Et Petrus re-
spiciens

A spiciens ad cœlũ, cũ lachrymis orabat super eos, ut Dominus pro sua bonitate suscipere eos dignaretur, confugiẽtes ad se. Et postq́ orauit, & pręcepit ut die postera maturius conuenirent, sacrificium fecit: tũ deinde secundũ consuetudinem quieuit. Mane autem facto, ueniẽs quidã ex discipulis Simonis, clamabat dicẽs: Obsecro te Petre, suscipe me miserũ, & à mago Simone deceptũ, cui ego uelut cœlesti Domino intẽdebã, pro his quę ab eo fieri mirabilibus uidebã: auditis tamẽ sermonib. tuis, cœpit iam homo mihi uideri, & quidẽ malus. Veruntamẽ cum hinc exisset, ego eum subsecutus sum solus: nondũ enim ad liquidũ impietates eius agnouerã. Cũ autẽ uidisset me subsequentem, beatum me dicens, perduxit me in domũ suam. Circa mediũ uerò noctis ait ad me: Omnib. te hominibus faciam meliorem, si uolueris usq́ ad finem perseuerare mecũ. Qui cum promisissem, exegit à me sacramentum perseuerantiæ: eóq́ accepto, imposuit super humeros meos polluta quædam & execrabilia secreta sua, ut portarem, & secutus est me. Vbi uerò uentum est ad mare, nauigium quod fortè aderat ingressus, sumit à ceruicibus meis, quod portare me iusserat. & paulo pòst egressus, nihil extulit: certum quòd in mare quid deiecerat. Rogabat ergo me, cũ ipso ut proficiscerer, dicens se Romam petere. Ibi enim se in tantum placiturum, ut Dominus putetur, & diuinis publicè donetur honoribus. Tunc, inquit, te omnibus diuinis repletum, si huc redire placuerit, pluribus fultum ministeriјs remittam. B Hæc ego audiens, nihil in eo secundum hãc professionem uidens, sed magum & deceptorem eum intelligens, respondi: Quæso te, ignosce mihi, quia pedes doleo, & propterea exire Cæsaream non ualeo. Præterea est mihi uxor, sunt paruuli liberi, quos relinquere omnino non possum. At ille hæc audiens, & ignauiæ me incusans, profectus est Romam, dicens: Cum audieris quanta mihi gloria in urbe Roma erit, pœnitebit te. Et post hæc ipse quidem, ut aiebat, Romam petiјt. Ego autem confestim rediј huc, orans ut me suscipias ad pœnitentiam, quia ab eo deceptus sum. Cum hæc dixisset is qui à Simone regressus est, iussit eum Petrus in atrio residere. Procedens autem ipse, & turbas uidẽs multo plures quàm superioribus diebus, stetit in loco solito, & ostendens eum qui à Simone uenerat, ait: Iste, fratres, quem uidetis, paulo antè uenit ad me, de Simonis mihi malis artibus nũcians, quomodo ipsam sceleris sui officinã proiecerit in profundum, non quasi pœnitentia ductus, sed metuens ne deprehensus publicis legibus subiaceret. Hæc dicente Petro, populus uidens hominem qui uenerat à Simone, stupebat. Igitur Petrus à Cæsarea digressus, Tripolim uenit: & ingressus domũ Maronis, uidit locum aptum ad disputandum. Vt autem uidit turbam, uelut ingentis fluuiј inundasse leuem meatum, ascendens supra basim quandã quæ fortè iuxta horti parietem stabat, primùm

religionis

religionis more populum salutauit. Quidam autem ex his qui ade- A
rant, & longo tempore à dæmonibus fuerant fatigati, in terrã pro-
ruunt, obsecrantibus spiritibus immundis, ut uel uno die indulge-
retur eis in obsessis corporibus permanere. Quos Petrus increpãs
statim iussit abscedere: & sine mora discesserunt. Post hos alij lon-
gis afflicti languoribus, rogabant Petrum, ut reciperent sanitatem.
Pro quibus se supplicaturum Domino, populo pollicetur, cũ pri-
us sermo doctrinæ fuisset expletus: sed statim, ut promisit, languo-
ribus resoluti sunt. Et iussit eos seorsum residere, cum his qui à dæ-
monibus fuerant curati, quasi post laboris fatigationem. Petrus
autem egressus à Tripoli, pergebat Antiochiã: & uenit ad insulam
Ancharadum nomine, ubi erant in æde quadam columnæ uitreæ
miræ magnitudinis, ad quas contuendas cum multi abissent cũ Pe-
tro, & Petrus miratus eas egressus esset pro foribus, uidit mulier-
culam quandam stipem ab introeuntibus deposcentem. quam at-
tentius considerans, ait: Dic mulier, quod tibi membrum corporis
deest, quòd huic iniuriæ te subiecisti, ut stipem petas, & nõ potius
manibus tuis quas à Domino accepisti, operum cibum quęras?
At illa suspirans ait: Vtinam mihi quidem manus essent quæ moue-
ri possent, nunc autem species tantum seruata est manuũ. nam ipsę
sunt mortuę, & meis morsibus debiles et sine sensu redditę. Tunc
adprehensis Petrus manibus eius, sanauit eas. Erat enim hæc muli-
er mater Clementis, à quo & in eodem loco cognita est. Nam per B
uirtutes Petri & alios filios recepit, Faustinum & Faustum, qui mu-
tatis nominibus Aquila ac Nicia appellabantur: & uirum suum
Faustinum, qui multo à se tempore fuerant separati. Et cum uel-
lent nauigare ex illa insula, mater ait ad Clemẽtem: Fili dulcissime,
rectum est ut ualedicam muliérculæ quæ me suscepit. Est enim e-
gens & paralytica, iacẽs in lecto. Quibus auditis, Petrus & omnes
qui audierant, admirati sunt bonitatem & prudentiam fœminæ.
Et continuò iussit Petrus adire quosdam, et deferre mulierem in le-
ctulo, ut iacebat. Cum fuisset allata, & in medio turbæ astantis col-
locata, in cõspectu omnium Petrus ait: Si ueritatis ego sum preco,
ad confirmandam fidem horum omnium qui assistunt, ut sciant &
credant quia unus est Dominus qui fecit cœlum & terram, in no-
mine IESV Christi filij eius surgat hæc mulier. & statim ut hæc
Petrus dixit, surrexit mulier sana, et procidit ad pedes Petri, atq; a-
micam suam ac familiarẽ osculis petẽs, gratias Domino referebat.

His expletis, uolente Petro ut iret ad hospitium, dominus do-
mus ait ad eum: Turpe est & impium tali sancto uiro, manere
in stabulo, cum ego penè omnem domum uacantem habeam, le-
ctosq; stratos quàm plurimos, & quæ necessaria sunt, parata. Sed
Petro contradicente, uxor patrisfamiliâs unà cum liberis suis pro-
strauit se ante eum, & exorabat dicẽs: Obsecro te mane apud nos.
sed ne

A ſed ne ſic quidem adquieſcebat Petrus, donec filia eorum qui roga
bant, ab immũdo ſpiritu temporibus multis uexata, & catenis uin-
cta, quæ fuerat intra cõclaue clauſa, effugato à ſe dæmone, & oſtijs
patefactis, cum catenis ſuis ueniens, procidit ad pedes Petri, di-
cens: Rectum eſt mi domine, ut agas hodie hic ſalutaria mea, & nõ
contriſtes me, necꝫ parentes meos. Petro autem requirente cate
narum ſermonumq́ꝫ eius cauſam: parentes pręter ſpem læti effecti,
de filiæ ſanitate, & uelut ſtupore quodam attoniti, ipſi quidem di-
cere nequeunt. Adſtantes autem familiæ aiunt: Hæc à ſeptimo æta
tis anno dæmone tentata, omnes qui accedere tentaſſent ad eã, ſcin
dere, dilaniare, morſibus etiam diſrumpere conabatur. Et hoc à ui-
ginti annis uſque ad præſens facere nunquam deſtitit, nec ab ali-
quo potuit curari: ſed nec accedere quidem quiſquam ualebat ad
eã. Multos enim inutiles reddidit, alios interemit. Omnibus enim
uiris ualidior erat, ſine dubio uiribus dæmonis niſa. Nunc autem,
ut uides, ex præſentia tua dæmon quidẽ fugit: oſtia uerò quæ ſum-
mo cum munimento clauſa fuerant, aperta ſunt, & ipſa ſana ſtat an-
te te, rogans ut diem ſalutarium ſuorum lætum & ipſi & parenti-
bus eius facias, & maneas apud eos. Hæc cum ita unus ex familijs
enarraſſet, ac ipſæ etiã catenæ de manibus eius ac pedibus fuiſſent
ſponte reſolutæ, Petrus certus quòd per ipſum ſanitas hæc reddita
ſit puellæ, adquieuit ut maneret in domo patris eius. Poſt hæc
B autem Petrus Romam ueniens, in ipſis diebus ſibi finem uitæ im-
minere præſenſit. In conuentu ergo fratrũ poſitus, adprehenſa Cle
mentis manu repentè conſurgens, in auribus totius eccleſiæ hæc
protulit uerba: Audite me fratres, & conſerui mei: quoniam ſicut
edoctus ſum ab eo qui me miſit Domino & magiſtro IESV Chri-
ſto, dies mortis meæ inſtat, Clementem hunc epiſcopum uobis or
dinabo, cui ſoli meæ prædicationis & doctrinæ cathedram credo,
qui mihi ab initio uſcꝫ ad finem comes in omnibus fuit, & per
hoc ueritatem totius meæ prædicationis agnouit. Qui in omni-
bus tentationibus meis ſocius extitit, fideliter perſeuerans: quem
præ cæteris expertus ſum, Dominum colentem, homines diligen-
tem, caſtum, diſcendi ſtudijs deditum, ſobrium, benignũ, iuſtum,
patientem, ſcientem ferre nonnullorum etiam ex his qui in uerbo
Domini inſtruũtur, iniurias. Propter quod ipſi trado à Domino
mihi datam poteſtatem ligandi & ſoluendi, ut de omnib. quibuſ-
cuncꝫ decreuerit in terris, hoc decretum ſit & in cœlis. Ligabit e-
nim quod oportet ligari, & ſoluet quod oportet ſolui. Et hæc
cum dixiſſet, manus ei impoſuit, eumq́ꝫ in cathedra ſua ſedere com
pulit: multum eum inſtruens, qualiter aut eccleſiam ſibi commiſ-
ſam regeret, aut oues ſuſceptas aleret. Tunc & Paulus apoſto-
lus Romam ueniens, Chriſtum Dominum prædicabat. Tem-
pore igitur Neronis Cæſaris, erãt Romæ ſalutiferi doctores Chri

stianorum Petrus & Paulus apostoli, per quos dum fides domi- A
ni IESV Christi in omnium cresceret mentes, & religionis propagarentur augmenta, quia essent sublimes operibus, clari magisterio ob uirtutem diuinæ gratiæ, Nero per magum Simonem uehemẽter aduersari cœpit Apostolis: quia diuersis illusionibus dæmonum ita magus Cæsaris animũ obtinuerat, ut eum salutis suæ præsulem, uitæq́ꝫ custodem, remota ambiguitate confideret. Nam & bellorum uictorias, & subiectiones gentium, & prosperitatem rerum se per eum in omnibus habiturum esse credebat. Sed Petrus apostolus uanitates eius & flagitia uniuersa detexit. Quia ueritatis lux, & uerbi diuini claritas, quæ ob salutem hominum nuper obfulserat, totius mendacij caligine de humanis mentibus discussa per Apostolos, ignorantiæ tenebras effugabat. Tunc Simon magus ueri luminis fulgore perculsus, cæcitatem continuò male sanæ mentis incurrit: quippe qui iam in Iudæa per apostolum Petrum de his quæ egerat sceleribus confutatus, transmarinam ingressus est fugam. Et qui in alijs terrarum partibus Petri expertus erat potentiam, tamen præueniens Romam, ausus est se iactare, quòd posset mortuos suscitare. Illo ipso tempore erat quidã defunctus adolescens nobilis, propinquus Cæsaris. Vbi cum multa turba propinquorum conuenisset, sciscitabantur inuicem, si esset aliquis qui posset mortuum excitare. Celeberrimus scilicet & tunc Petrus in his operibus habebatur, sed apud gentiles nulla huius firmabatur B
fides. Dolor tamen exegit inquiri remedium: perrectum est ad Petrum. Fuerunt equidem qui etiam Simonem accersendum putarent, ut uterq́ꝫ adesset. Tum Petrus ad cognatos defuncti ait, ut Simon, qui de sua se iactabat potentia, prior, si posset, mortuum suscitaret. Sin ille nequiuisset, sibi non ambiguum, quin Christus opem ferret defuncto. Ibi Simon, qui putabatur apud gentiles magnæ esse potentiæ, conditionem interposuit, ut si ille mortuum suscitaret, Petrus occideretur, qui tantæ potestati uerbis audacibus lacessendo inrogasset iniuriã. Si uerò illo nihil agente, Petrus mortuum suscitasset, magus sententię quæ in Apostolum data fuerat, subiaceret. Talis cum esset interiecta conditio, quieuit Petrus. exorsus est autem Simon, & accedens ad lectulum defuncti, incantare atq́ꝫ inmurmurare dira clàm carmina cœpit. Visumq́ꝫ est circumstantibus, caput agitari defuncti. Itaq́ꝫ clamor gentilium ingens attollitur, quòd iam uiueret, quòd cum Simone loqueretur. Miraq́ꝫ indignatio in Petrum esse omnium cœpit, eo quòd esset ausus se tantæ potestati conferre. Tum Petrus fieri silentium postulat, & ait: Si uiuit defunctus, loquatur: si suscitatus est, surgat & ambulet, atque fabuletur. Ego uerò phantasma hoc, non ueritatem esse, quòd cernitis motum caput defuncti, docebo. Deniq́ꝫ (inquit) separetur magus à lectulo, & ad plenum figmenta diaboli denudabãtur.

Abducitur

A Abducitur itaq; Simon à lectulo, & sine ulla spe uitæ manet defunctus immobilis. Astitit Petrus à longè, & intra se orationi paulisper intentus, cum magna uoce ait: Adolescens tibi dico, surge: sanat te Dominus noster IESVS Christus. Et statim surrexit adolescens, & locutus est, & ambulauit, & dedit eum Petrus matri suę uiuentem. Quæ cum remunerare beatum apostolum uellet: Secura (inquit) esto mater de filio, & non uerearis: habet enim custodem suum. Et cum uellet populus magum Simonem lapidare, ait Petrus: Satis est ad pœnā eius, quòd agnoscit se in suis actibus superatum. Viuat, & regnum Christi crescere uideat, uel inuitus. Torquebatur interea magus, & apostolica perculsus gloria ad Neronem Cæsarem currit, nouamq; Petro iniuriam molitus, obtinuit ut Petrum uocaret. Itaq; cum uterq; coram imperatore staret, prior Simon: Miror te (inquit) Cæsar, hunc te alicuius momenti hominem existimare, imperitum piscatorem, mendacissimum, & nec in uerbo nec in re aliqua prędiṫum potestate. Sed ne diutius hunc patiar inimicum, præcipiam modò angelis meis, ut ueniant, & uindicent me de isto. Ad quæ Petrus: Non equidem timeo angelos tuos, qui me coguntur timere, & in uirtute & in confidentia huius Christi Domini mei, quem te esse mentiris. Nam si diuinitas in te est, quæ cordis arcana rimatur, dic mihi nunc Simon, quid cogitem, uel quid facturus sim. Quam cogitationem meam, antequam tibi mentiatur magus, Cæsar optime, auribus tuis insinuabo, ut non possit mentiri quid cogitem. Tum Nero: Accede huc, & dic mihi quid cogites. Petrus dixit: Iube mihi adferri hordeaceum panē, & occultè dari. Cumq; hoc iussum fuisset, Petrus ait: Dicat nunc ergo Simon, quid cogitatum, quid dictum, quid'ue sit factum à me. Tum Nero, Quid dicis Simon? Respondet Simon: Imò Petrus dicat quid ego cogitauerim, uel quid fecerim. Tum Petrus: Quid cogitet Simon, me scire docebo, si tamen ipse prius dixerit, quid ego cogitauerim. Quæ cū audiuisset Simō: Hoc (inquit) scias bone Imperator, quia cogitationes hominum nemo nouit, nisi solus Deus: cæterùm Petrus mentitur. Ad quæ iterum Petrus: Tu uerò, qui filium Dei te esse dicis, dic quid cogitem, & quid fecerim modò in occulto, si potes, exprime. Petrus autem benedixerat panem hordeaceum, quem acceperat, & fregerat, & in dextra atq; sinistra manica sua collocauerat. Tunc Simon indignatus, quòd dicere nō posset secretum Apostoli, exclamauit dicens: Procedant canes magni, & deuorent eum in conspectu Cæsaris. Et cum hæc dixisset, apparuerunt canes miræ magnitudinis, & impetum fecerunt in Petrum. Petrus uerò extendens manus in orationem, ostendit canibus quem benedixerat panem. Quem ut uiderunt canes, subitò nusquam comparuerunt. Tum cōuersus Petrus ad Cæsarem: Ecce ostendi tibi Imperator,

B

Concertatio S. Petri cū Simone mago, coram Nerone.

quid cogitarit Simon, nõ uerbis, sed factis. Nam qui angelos pro- A
miserat contra me esse uenturos, canes exhibuit: ut se ostenderet non diuinos angelos, sed caninos habere. Quare indignatus magus, sese ad omnem excitare cœpit carminum suorum potentiam. Congregatq́; populũ, ac offensum se dicit à Galilæis: relicturum se urbem, quam tueri soleret. Deniq́; diem statuit, quo se per uolatum supernis sedibus satis iactanter promittebat inuehendum, ut luti quando uellet cœlum petiturus, in sua potestate consisteret. Statuto igitur die montẽ Capitolinum ascendit, ac se de rupe deijciens, uolare cœpit. Mirari populus, ac uenerari. Pleriq́; etiam dicebant, Dei hanc esse potentiam, non hominis, qui ita corpore uolaret ad cœlũ: nihil'q́; tale Christum fecisse, multi asseuerabant. Tunc Petrus stans in medio, inquit: Domine IESV, ostende uirtutem tuam, & ne permittas his uanis artibus decipi populum, qui tibi est crediturus. Sic decidat Domine (inquit) ut uiuens se contra tuam potentiam nihil potuisse cognoscat. Cumq́; hæc cum lachrymis orasset Apostolus, ait: Adiuro uos in nomine IESV Christi, qui eum fertis, ut nunc demittatis. Et statim ad uocẽ Petri demissus à dæmonibus, implicitis remigijs alarum quas sumpserat, corruit: nec statim exanimatus est, sed totus fractus corpore, debilitatis'q́; cruribus, post paruum horarum spacium inibi exspirauit.

Simõis magi interitus.

Quòd ubi Neroni compertum est, deceptum se ac destitutum dolens, sublatumq́; sibi uirum utilem ac necessarium reipublicæ indignatus, quærere cœpit causas, quibus Petrum occideret. Itaq́; datur à Nerone præceptum, ut Petrus comprehenderetur. Et cum ab omnibus antè fuisset rogatus, ut se aliò conferret, ille semper resistebat, dicens: Nequaquam hoc se esse facturum, ut tanq́; metu mortis territus fugeret. Quippe cum sciret, & sibi & omnibus pro passione Christi immortalitatis gloriã prouenire. Cúmque hæc & talia Petrus obtexisset, plebs lachrymans, ne se relinqueret, ne imminẽte procella Christianorum, despiceret tot bonorum lachrymas, uictus tandem populorũ fletibus adquieuit, promisitq́; se urbem egressurum. Proxima igitur nocte salutatis fratribus, celebrataq́; oratione, proficisci solus cœpit. Vbi uentum erat ad portam, uidit Christum sibi occurrere. quem adorans ait: Domine quò uadis? Cui Dominus, Venio Romam iterum crucifigi. Quod cum audisset, intellexit Apostolus, de sua hoc passione dictũ, in quo scilicet passurus uideretur Christus, quẽ pati constabat in singulis non dolore corporis, sed misericordiæ contemplatione, & pietatis affectu. Itaq́; Petrus ad urbem redijt, captusq́; à custodibus, mox cruci adiudicatus est. Quo audito, ingens subitò populi concursus est factus: ita ut plateæ non reciperent homines utriusq́; ætatis & sexus. Qui summa uoce clamabant dicentes, Cur occiditur Petrus? quid admisit criminis? quid læsit urbem?

Captiuitas S. Petri.

Innocentem

A Innocentem damnare nefas est. Et metuendum est, ne in tanti uiri nece ulciscatur Christus, & nos omnes pereamus. At uerò Petrus mulcebat plebis animos, ne aduersus Principem desæuirent, dicens eis: Viri Romani, qui in Christo creditis, & in illo solò speratis, in mente habitote eius patientiam, & consolationem in his signis quæ uidistis facta per me. Sustinete itaq; eum aduenientem, & retribuentem unicuiq; secundum opera sua. Hoc autem quod nunc in me uidetis fieri, iam antea mihi à Domino est proditum, non esse discipulum supra magistrum, nec seruũ supra dominum. Quare scitote, ad hoc ipsum me festinare, ut carne exutus, Domino adsistam. Sed quid moror (inquit) & non accedo ad crucẽ? Teneant persecutores corpus, ego Domino meo spiritu adhærebo. Et accedẽs ad crucem, rogauit ut cruci inuersis uestigijs figeretur: ea reuerẽtia, ne ita seruus crucifigi uideretur, ut Dominus. Quòd ubi factum est, cœpit de cruce ad populum loqui: O' ineffabile ac profundum mysterium crucis, ò inseparabile uinculum charitatis. Istud est lignum uitæ, in quo Dominus IESVS exaltatus, omnia traxit ad se. Istud est lignum uitę, in quo crucifixum est corpus Domini Saluatoris. At in eo confixa est mors, & mũdus totus æternę mortis est uinculis absolutus. O' gratia incomparabilis, & amor crucis inrecessibilis. Gratias itaq; tibi Domine IESV, fili Dei uiui, *Plena energiæ S. Petri oratio in cruce.*

B non solum uoce & corde ago, sed etiam spiritu, quo te diligo, quo te loquor, quo te interpello, quo te teneo, quo te intelligo, quo te uideo. Tu mihi omnia, & in omnibus: tu mihi totũ, & nihil mihi aliud prẹter te solũ. Qui es bonus et uerus Dei filius, & Deus, cui cũ æterno Patre et Spiritu sancto honor & gloria est, in cũcta semper sęcula sęculorũ. Et cũ magna uoce omnis populus respondisset Amen, emisit spiritum. Cuius corpus Marcellus, unus ex discipulis eius, nullius expectans sententiam, proprijs manibus de cruce deposuit, & preciosissimis aromatibus conditum, in suo ipsius sarcophago collocauit, in loco qui dicitur Vaticanus, iuxta uiam triumphalem, ubi totius urbis ueneratione celebratur in pace.

ABDIAE LIBRI PRIMI FINIS.

LIBER SECVNDVS HISTORIAE Apoſtolicæ, ab Abdia Babyloniæ epiſcopo Hebraicè conſcriptæ, & in linguam Latinam ab Africano uerſæ, de rebus à beato Paulo Apoſtolo & gentium doctore hinc inde geſtis.

VIT uir quidam in Hieruſalem, de tribu Beniamin, A
nomine Saulus, eruditiſsimus in libris Moyſi, et cunctis legis ceremonijs, quæ tunc ſecundum literam gerebantur, nihil in his myſticum ſentiens, aut aduertens. Hic deuaſtabat eccleſiam Dei, ingrediens domos, & trahens uiros ac mulieres in carcerem, & multos quotidie congregabat. Igitur cum adhuc ſpiraret minas & cædes in apoſtolos Domini, acceſsit ad principem ſacerdotum, & petijt ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas, ut ſi quos inueniſſet huius uiæ uiros ac mulieres, uinctos perduceret in Hieruſalem. In eo propoſito cum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damaſco, & ecce ſubitò circumfulſit eum lux de cœlo, & cadens in terram audiuit uocem dicentem ſibi: Saule Saule, quid me perſequeris? Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego ſum IESVS, quem tu perſequeris. Sed ſurge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere. Viri autem illi qui comitabantur, ſtabant cum eo ſtupefacti, audientes quidem uocem, neminē autem uidentes. Surrexit quoq; Saulus de terra, apertisq; oculis nihil uidebat. Ad manus autem illum tra- B
hentes, introduxerunt Damaſcum. Et erat ibi tribus diebus, non uidens, & neq; manducabat, neq; bibebat. Erat uerò diſcipulus Chriſti quidam Damaſci, nomine Ananias, & dixit ad illum in uiſu Dominus: Anania. Et ille ait: Ecce ego Domine. Et Dominus ad illum: Surge, uade in uicū qui uocatur Rectus, & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarſenſem. Ecce enim orat ipſe, & expectat te, ut introiens imponas ſibi manus, ut uiſum recipiat. Reſpondens autem Ananias, inquit: Domine, audiui à multis de uiro hoc, quãta mala ſanctis tuis fecerit in Hieruſalem. Et hic habet poteſtatem à principibus ſacerdotum, alligandi omnes qui inuocant nomen tuum. Tum Dominus: Vade (ait) quoniam uas electionis mihi eſt iſte, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Iſrael. Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Et abijt Ananias, & introiuit in domum, & imponens ei manus dixit: Saule frater, Dominus miſit me IESVS, qui apparuit tibi in uia, qua ueniebas, ut uideas, & implearis ſpiritu ſancto. Et confeſtim ceciderunt ab oculis eius tanquam ſquamæ, et uiſum recepit. Et ſurgens baptizatus eſt: & cum accepiſſet cibum, confortatus eſt. Manſit autem cum diſcipulis qui

Horũ omniũ fit mẽtio in Apoſtolorũ actis cap. 9. Quare uel Abdias illa ex Luca, uel Lucas ex Abdia ſumpſit

erant

A erant Damasci, per aliquot dies: & continuò in synagogis passim prædicabat IESVM, quoniam hic est filius Dei. Quod cum uiderent, stupebãt omnes, & dicebãt: Non'ne hic est, qui expugnabat in Hierusalẽ eos qui inuocabant nomen istud: & huc ad hoc uenit, ut uinctos illos duceret ad Principes sacerdotum? Interea Saulus conualescebat quotidie, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci, affirmans, quoniam hic est Christus IESVS filius Dei. Cum implerentur autem dies multi, consilium inierunt Iudæi, ut eum interficerent. Sed hæ insidiæ Saulo statim notæ factæ sunt. Custodiebant enim portas die ac nocte, ut eum cõprehenderent. Sed accipientes eum discipuli eius nocte, demiserunt per murum submittentes in sporta. Itaq; cum uenisset postea in Hierusalẽ, tentabat se iungere discipulis Christi. At illi timebant eum, nõ credentes quia esset discipulus. Barnabas autem adprehensum illum duxit ad Apostolos, & narrauit illis, quomodo in uia uidisset Dominum, & quomodo locutus fuerit sibi, & quæ Damasci egerit cum fiducia in nomine IESV. Ex hoc autem tempore Saulus, qui & Paulus, cum euangelizaret Christum in multis ciuitatibus, uenit Lystram. Et erat ibi quidam infirmus pedibus, sedens claudus ex utero matris suæ, qui nunquã ambulauerat. Hic ubi audiuit Paulum loquentem, intuebatur eum fortiter. At Saulus, uidens quia haberet fidem, ut saluus fieret, dixit magna uoce: Surge, & sta

B super pedes tuos rectus. Et exiliuit statim homo ille, & ambulabat. Turbæ autem cum uidissent quod fecerat Paulus, leuauerunt uocem suam dicentes: Verè hic minister Dei est, qui tanta facit in Israel. Factum est autem, euntibus nobis ad orationem, puellã quãdam habentem spiritũ Pythonis obuiare, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando. Hæc subsecuta nos paululum, clamabat dicens: Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui adnũciant uobis uiam salutis. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens igitur Paulus, dixit spiritui: Præcipio tibi in nomine IESV Christi, exi ab ea. & exiuit ab ea eadem hora. Postea uerò cum uenissent quidam ex discipulis cum eo in Asiam, disputabat in schola Tyranni per biennium: ita ut omnes qui erant in Asia, audirent uerbum Dei, Iudæi atq; gentiles, uirtutesq; non modicas Deus faciebat per manus Pauli, ita ut etiã supra languidos deferrentur à corpore eius sudaria & semicincta, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. In una autem sabbatorum cum uenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat eis, profecturus in crastinum: protraxitq; sermonem usq; in mediam noctem. Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo, ubi eramus congregati. Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, cum mergeretur somno graui, disputante diu Paulo, depressus somno, cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus

Hæc historia paulò fusius explicatur capite 16. Actorũ; et facta esse Philippis Macedoniæ, refertur à Luca; à quo fortè Abdiã sumpsisse credendum est.

Hoc alij et Romæ cõtigisse scribũt, & nomen adolescẽti Patro

sublatus est mortuus. Ad quẽ cum descendisset Paulus, incubuit super eum, & complexus dixit: Nolite turbari. Anima enim ipsius in eo est. ascendensq; rursus, fregit panem: & cum gustasset, sermonem protraxit usq; in lucem. Interea adducũt puerum uiuentem, qui ex casu obierat, & consolati sunt omnes non minimũ. Post hæc Paulus, ascensa naui, uenit in insulã quæ dicitur Miletus. Barbari uerò præstabant non modicam humanitatẽ nobis, & accensa pyra reficiebant nos omnes propter imbrem qui imminebat, & frigus. Cumq; congregasset Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, & imposuisset super ignem, uipera à calore proru-pit, inuasitq; manum eius. Vt uerò uiderunt barbari pendentem bestiam de manu eius, ad inuicem dicebant: Vtiq; homicida est homo hic, qui cum euaserit de mari, ultio non permittit eum uiuere. Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. At illi existimabant eum in tumorem conuertendum, & subitò casurum, ac moriturum. Cum autem illis sperantibus & uidentibus, Paulo nihil mali fieret: conuertentes se dicebant, eum esse Deum. In locis autem illis erant prædia Principis, nomine Publij, qui nos suscipiẽs triduo, benignè exhibuit. Contigit autem patrem Publij febribus & dysenteria uexatum, iacere. ad quem Paulus ingressus, cum orasset, & imposuisset ei manus, saluauit eum. Quo facto omnes qui in insula habebant infirmitates, accedebant, & curabãtur ab eo. Qui etiam multis honoribus Paulum sunt prosecuti. * Exinde nauigans uenit Romam, ibiq; solutus à uinculis, mansit biennio toto in conducto suo, & suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum, prædicans subinde regnum Dei, & docens quæ sunt de Domino IESV Christo. Post crucem uerò Petri, & elisionẽ Simonis magi, in urbe adhuc libera manebat custodia: qui à corona etiam martyrij eadem die dispensatione diuina subtractus fuerat, ut per eum omnes gentes Euangelij prædicatione implerentur. Itaq; cum Romam à Iulio cẽturione Paulus fuisset perductus, sub unius militis dũtaxat custodia constitutus, post tertiũ diẽ conuocauit primores Iudæorũ: cumq; cõuenissent in hospitiũ eius, loquebatur illis: Ego, uiri fratres (inquit) nihil aduersus plebem faciens, aut consuetudinem maiorum, uinctus ab Hierosolymis traditus sum in manus Romanorum. qui cũ inquisitionem de me habuissent, constituerãt me primò dimittere, eo quòd nulla esset causa mortis in me. Contradicentibus autem Iudæis, coactus sum appellare Cæsarem. Quam ob causam cũ essem in itinere, rogaui uos uidere et alloqui: Propter spem enim Israelis hac sum catena circũdatus. At illi dixerunt ad eum: Nos neq; literas accepimus de te à Iudæa, neq; aduenienś aliquis fratrum adnũciauit nomen & conditionem tuã. Cupimus autem nunc ex te audire, quæ sentis. Nam de secta hac notum est nobis, quia ubiq; ei contradicitur. Igitur

constituto

cliũ indidere, quẽ Neronis fuisse scribũt pocillatorem.

Hæc profectio S. Pauli in Myletũ prolixius recitatur cap. 27. Actorũ. Non enim sponte uenerat in Myletũ, sed Romã missus à Festo præside Iudææ, ad Cæsarẽ unà cũ cẽturione Iulio et cohorte Italica, quibus custodiẽdus cũ alijs captiuis erat traditus tẽpestate xiiij diebus & noctib. iactata naui, uenerãt casu ad littus insulæ Myleti.

** Hic multæ res gestæ à Paulo omittuntur, quas in Macedõia, Attica, Corintho, Asia, Phrygia, Galatia, & Epheso pro uerbo Christi gessit: quorũ meminit tamẽ Lucas, capitib. Actorũ 13.14. usq; ad 27. Porrò missus erat Romã*

A

B

A constituto die uenerunt ad eum plurimi in hospitium, ex Iudæis. Quibus exponebat ille scripturas, testificās regnū Dei, suadensq; eis ex lege Moysi & prophetis, à mane usq; ad uesperam docebat. Sed cum non omnes crederent in IESVM, dixit Paulus ad eos: Spiritus sanctus rectè per Esaiam locutus est: Vade ad populū istum, & dicas: Aure audietis, & non intelligetis: & uidentes uidebitis, et non poteritis perspicere. Incrassatum est enim cor populi huius, et oculos compresserunt, ne fortè uideant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Notū ergo cupio esse uobis, & gentibus missum esse hoc salutare Dei, & ipsos ad salutem uenturos. Et cū hæc dixisset, exierunt ab eo Iudæi, magnas inter se concertationes agitantes. Ipse autem Paulus mansit Romæ toto illo biennio, in conducto suo, & suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens quæ sunt de Domino IESV Christo, cum omni fiducia, sine impedimento. Hæc dum Romę Apostolus faceret, interea apud Neronem Cæsarem defertur, quòd nō solum nouam superstitionem inueheret, uerumetiam aduersus imperium seditiones excitaret. Accersitus igitur, & interrogatus à Nerone, ut rationem doctrinæ suæ redderet, ita coram Cæsare locutus est: De doctrina quidem magistri mei, de qua interrogasti me, non eam capiunt, nisi qui fidem mundo pectore adhibuerint. Quæ enim pacis sunt, &

à Festo preside Iudææ, et Agrippa rege, quia ad Cæsarē appellauerat.

Hæc, quæ sequuntur, omnia in historia Actorum nō habentur.

B charitatis, docui, & per circuitum ab Hierusalem usq; in Illyricum repleui uerbum pacis. Docui, ut homines se inuicem diligant. Docui, ut inuicem se honore præueniant. Docui sublimes & diuites, se non extollere, & sperare in incerto diuitiarum, sed in Deum ponere spem suam. Docui mediocres, in uictu & uestimento contentos esse. Docui pauperes, in sua egestate gaudere. Docui patres, filios suos docere disciplinam timoris Dei. Docui filios, obtemperare parentibus, & monitis salutaribus. Docui possidentes, reddere tributum solicitudine. Docui negociatores, reddere uectigalia ministris Reipublicæ. Docui uxores, diligere uiros suos, & timere eos quasi dominos. Docui uiros, fidem seruare coniugibus, sicut illi seruari sibi pudorem omnibus modis uolunt. Quod enim punit maritus in uxore adultera, hoc punit in marito adultero ipse pater et conditor rerum Deus. Docui præterea dominos, ut mitius cum seruis suis agant. Docui seruos, ut fideliter, & quasi Deo, ita seruiāt dominis suis. Docui ecclesiam credentium, unū et omnipotentem, inuisibilem & incomprehensibilem colere Deum. Hæc autem mihi doctrina non ab hominibus, neq; per hominem aliquem data est, sed per IESVM Christū, et patrem glorię, qui mihi de cœlo locutus est. Et dum me mitteret ad prædicationem Dominus meus IESVS Christus, dixit mihi: Vade, & ego ero tecū, spiritus uitæ omnibus credentibus in me: & omnia quæcunq; dixeris, aut feceris,

De Illyrico Orietali hæc intelligenda.

ego iuſtificabo. Hæc cũ dixiſſet Paulus, Nero Imperator obſtu- A
puit: indignatusq́ poſtea, ſententiam in eum mortis pronuncia-
uit, ut capite afficeretur. Et cum ei de morte illius tardius nun-
ciaretur, miſit duos ex armigeris ſuis Nero, Feregam & Parthemi
um: qui euntes inuenerunt Paulum, cum omni fiducia & liber-
tate uniuerſum populum de Chriſti mirabilibus inſtruentem.

Sententia mortis in Paulũ pronunciata à Nerone.

Hos cum uidiſſet Paulus ſe accedentes, hortabatur eos dicens: Ve-
nite filij, & uos credite in Deum, ut ſaluentur animæ ueſtræ, qui
me & omnes credentes ſibi per aduentum unigeniti filij ſui ſuſci-
tauit, & in regno ſuo quod æternum eſt, collocauit. Qui reſpon-
derunt dicentes: Nos quidem Paule, prius ibimus ad Neronem,
nunciantes ei finem mortis tuæ. Tu autem ora pro nobis, ut cre-
damus illi quem tu prædicas Deum. Rogabant enim Paulum pro
ſalute ſua, ut baptizarentur. Tum rurſus Apoſtolus: Poſt pau-
lulum (inquit) filij uenite huc ad ſepulchrum meum, & inuenie-
tis duos uiros orantes, Titum & Lucam: ipſi poſt me dabunt ſi-
gnum ſalutis. Et cum hæc dixiſſet, ſuperuenerunt milites, qui
correptum eum foràs, extra ciuitatem duxerunt. Paulus uerò
cum ueniſſet ad locum ſupplicij, conuertit ſe contra Orientem: &
eleuatis manibus ac oculis ſuis ad cœlum, diutiſsimè orauit. Et
completa oratione, dedit pacem fratribus qui eum ſecuti fuerant:
& ualefaciens eis, flexis genibus, crucisq́ ſe ſigno muniens, ceruj-
cem præbuit percuſſori. E' cuius gladio, deſecto capite, pro ſan- B
guine lac cucurrit, ita ut percuſſoris dextram lactea unda perfun-
deret. Quod cũ circumſtantibus uiſum fuiſſet, obſtupefacti om-
nes magnificauerunt Deum, qui tantam gloriam donauerat A-
poſtolo ſuo. Cuius corpus Lucina Chriſti famula, ſecũdo ab urbe
milliario uia Hoſtienſi, in proprio prædio, differtum aromatibus
ſepeliuit. Paſſus eſt autem III. Kal. Iulias, duobus iam à paſsione
Petri elapſis annis, regnante Domino noſtro IESV Chriſto,
cui eſt apud æternum Patrem & Spiritũ ſanctum,
honor & gloria, in ſecula ſeculorum: Amen.

S. Pauli corona martyrij.

LIBRI SECVNDI HISTORIAE
APOSTOLICAE FINIS.

LIBER TERTIVS CERTAMInis Apostolici, de gestis beati Andreæ Apostoli, autore Abdia Babyloniæ episcopo, ipsorum Apostolorum discipulo, & Africano episcopo interprete.

A NDREAS apostolus, Simonis Petri, qui Bariona cognominatus erat, frater germanus fuit, & Ionæ filius: ex primis erat, qui Christo à Ioanne in Iordane baptizato adhæserũt. Audiens quippe à Ioanne in deserto, hunc Dei agnum esse, miraculo ductus, simul autoritate Ioannis, ad fratrẽ festinabundus contendit. Cui cum de Christo significasset, Petro persuasit, ut sese ad illum contemplandum sequeretur. Quam rem mox casus insecutus est, ut quo tempore is cum Simone fratre retia in mare mitteret, Christus fortè transiret: à quo ambo uocati fratres, sine mora discipuli magistrũ secuti sunt. Quo in munere cum diu Christum sequeretur, probatus magistro, ad Apostolatus demum apicem ante pasionem uocatus fuit. Et hæc quidem ante Dominicam pasionem, ab hoc Dei uiro gesta sunt. At uerò post illum Dominicæ ascensionis nobilem gloriosumq́ triumphum, cùm beati Apostoli prædicare uerbum Domini per diuersas regiones incepissent, tum & Andreas apostolus apud Achaiam prouinciam, adnunciare Dominum IESVM Christum exorsus est. *S. Andreæ prima ex Iudæa in Achaiam profectio.*

B Eodem tempore Matthæus apostolus, qui & Euangelista, Myrmidoni urbi uerbum salutis adnunciauerat: sed incolæ ciuitatis illius grauiter & indignè ferentes, quæ de Redemptoris nostri uirtutibus audierãt, ac sua nolentes destruere templa, beatum Apostolum erutis oculis, catenisq́ oneratum carceri incluserant: eo animo, ut paucis interpositis diebus interficerent. Quod antequã fieret, Angelus à Domino misius ad Andream apostolum, ut in Myrmidonem ciuitatem maturaret, & fratrem Mattheũ de squalore carceris erueret, monuit. Cui ille ait: Domine, ecce uiã nescio, & quò ibo? Et ille: Vade (inquit) ad littus maris, & inuenies nauem, quã statim conscende. ego enim ero dux itineris tui. Paruit Andreas, inuentamq́ nauem ascendens, flantibus uentis congruis prosperè nauigauit ad urbem. Quam ut ingressus est, ad publicũ se illico carcerem contulit, inueniensq́ cum reliquis uinctis Matthæum, amarissimè fleuit, & facta oratione hæc uerba locutus est: Domine IESV Christe, quem fideliter prædicamus, & ob cuius nomen tanta perferimus, qui cęcis uisum, surdis auditum, paralyticis gressum, leprosis mũdiciam, mortuis uitam, immensa clemẽtia largiri dignatus es, aperi oculos serui tui, ut eat ad annunciandũ uerbum tuũ. Et statim locus ille contremuit, & lumen refulsit in

sit in carcere,& oculi beati Apostoli restaurati,& cũctorum catenæ confractæ sunt,& trabes,in qua pedes eorum coartati erant, scissa est. Quibus factis,omnes magnificabant Dominum, dicẽtes: Quia magnus est Deus,quem prædicant serui eius. Ita educti per beatum Andream de squalore carceris, omnes qui capti fuerant, abiјt unusquisq; ad propria: cum quibus & Matthæus recesserat. Ipse uerò Andreas manens apud Myrmidonem, prædicabat incolis uerbum Domini. quod cum minus audirent,adprehensum Andream,ligatis pedibus per plateas ciuitatis trahebant. Quibus in tormentis cum iam sanguis efflueret, & capilli uellerentur, Apostolus ad Dominum in hæc uerba orationem habuit: Aperi Domine IESV Christe,oculos cordium illorum,ut cognoscant te Deum uerum,& desistant ab hac iniquitate: neq; uelis hoc illis peccatum statuere, quia nesciunt quod faciunt. Hæc cum dixisset,timor subitus inuasit incolas ciuitatis illius,ut dimisso Apostolo, peccatũ agnoscerent,dicentes:Peccauimus in iustum. cumq; se ad pedes Apostoli demitterent,remissionem delicti,& sibi ostendi uiam salutis petebant. Quibus ille erectis,prædicabat Dominum IESVM Christum,& miracula quæ fecerat in hoc mũdo ostendit, & quẽadmodum ipsum mundum iam pereuntem proprio cruore redemerit. Ita uendicatis Domino incolis eius ciuitatis, cunctos in nomine patris & filiј & spiritus sancti, concessa peccatorum remissione baptizauit. Quibus gestis,recedens ab eo loco,uenit in regionem suam: ubi cum ambularet cũ discipulis suis, accessit ad eum cæcus quidam,& ait: Andrea apostole Christi,scio quia posses mihi reddere uisum, sed nolo eum recipere. Hoc tantum deprecor, ut iubeas his qui tecum sunt, tantum conferre pecuniæ, unde uestitum & uictum comparem. Cui Andreas: Verè (inquit) cognosco,hanc non hominis,sed diaboli uocem esse, qui non sinit hominem istum recipere uisum. & conuersus tetigit oculos cæci, & confestim recepit lumen,& glorificabat Deum. Cumq; uestimentum uile haberet,& hispidũ,ait Apostolus ad discipulos suos: Auferte ab eo uestimenta sordida, & date ei indumentum nouum. Et cum omnibus,qui cæcus erat, expoliatus esset,inquit Apostolus: Quod sufficit illi, hoc accipiat. Et sic accepto uestimento, gratias agens rediјt in domum suam. Interea Demetriј cuiusdam, primi ciuitatis Amasæorum, puer erat Ægyptius, quem amore unico diligebat. Is correptus febri, fortè eo tẽpore spiritum exhalauerat. Itaq; auditis Demetrius signis quę faciebat beatus Apostolus,uenit ad eum, & procidens cum lachrymis ante pedes eius,inquit: Nihil tibi difficile est, o minister Dei. Ecce puer meus quem unicè diligebam, mortuus est. Confido autem, et rogo, ut domum meam ingressus, eum,ut potes, reddas mihi. Hæc audiẽs beatus Apostolus,condolens lachrymis eius,uenit ad domum in qua

Ad urbem Amasæorũ profectio.

A

B

A in qua puer decumbebat, & prædicans diutiſsimè ea quæ ad ſalutem populi pertinebant, conuerſus ad feretrum, ait: Tibi dico puer, in nomine IESV Chriſti ſurge, & ſta ſanus. Et confeſtim ſurrexit puer Aegyptius, & reddidit illũ Apoſtolus domino ſuo. Tunc omnes qui erant increduli, crediderũt in Deum, & baptizati ſunt à beato Andrea. Dum hæc fierent, puer quidam Soſtratus nomine, uenit ſecretius ad beatum Andreã, conquerens: Mater mea (inquit) concupiuit formam ſpeciei meæ, & iugiter me inſectatur, ut commiſcear ei: quod ego infandum execratus, fugi. At illa felle commota, adijt Proconſulem prouinciæ, ut crimen ſuum retorqueat in me. Et ſcio, cum accuſatus fuero, quia nihil habebo quod ad hæc reſpondeam. Satius autem duco uitã amittere, quàm matris detegere crimen. Nunc autem hæc tibi confiteor, ut digneris pro me Dominũ exorare, ne innocens pręſenti uita priuer. Hęc eo dicente, uenerunt miniſtri Procõſulis, accerſentes eum. Beatus uerò Apoſtolus facta oratione ſurrexit, & abijt cum puero. Mater autem inſtanter accuſabat eum, dicens: Hic, Domine Proconſul, oblitus maternæ pietatis, ſtuprum mihi inferre uoluit, adeò ut uix ab eo me eripere potuerim, ne uiolarer. Ad quæ Proconſul: Dic (inquit) puer ſi uera ſunt iſta, quæ mater tua proſequitur. At ille tacebat. Iterum atq; iterum interrogabat Proconſul, & nihil ei

Vel hoc autori fidem confirmat. nã Achaia Procõſulẽ perpetuò habebat: id quod in Opere noſtro Reipub. Rom. prolixè oſtendimus.

B quicq; puer reſpondit. Durãte autem eo in ſilentio, Proconſul habebat cum ſuis conſilium, quid eſſet ea re agendum. Mater autem pueri cœpit flere. Ad quam cõuerſus beatus Andreas apoſtolus, inquit: O' infœlix, quæ fletus emittis amaritudinis, propter inceſtum quem in filium es meditata. Quam adeò concupiſcentia pręcipitauit, ut unicum amittere filium, libidine inflãmante, non uereris. Hæc eo dicente, mulier ait: Audi Proconſul, poſtquam filius meus hæc in me molitus eſt, homini huic ab eo tempore adhæſit ſemper. Proconſul autem ſuper his ira commotus, puerum iuſsit in culleum parricidij recludi, & in flumen projci: Andream autem in carcerem retrudi, donec excogitatis ſupplicijs & ipſum perderet. Tum uerò orante beato Apoſtolo, mox terræmotus magnus cum tonitru graui factus eſt, & Proconſul de ſede cecidit, & omnes terræ decubuerunt. Tum & mater pueri percuſſa aruit, & mortua eſt. Quæ uidens Proconſul, proſtratus pedibus ſancti Apoſtoli: Miſerere (inquit) pereũtibus famule Dei, ne terra nos deglutiat. Orante igitur beato Apoſtolo, confeſtim terræmotus ceſſauit, ac fulgura & tonitrua quieuere. Ipſe autem circumiens eos qui turbati iacebant, cunctos ſanitati reſtituit. Ex eo tempore & Proconſul, & multi alij in Achaia prouincia, ſuſcipientes uerbum Domini, crediderunt in IESVM Chriſtum, & baptizati ſunt ab Apoſtolo Domini. Contigit autem, ut eo tempore Cratini quoq; Synopenſis filius, dum in balneo mulierum lauaretur, à dæmone,

In Synopã Achaiæ ciuitatẽ commigratio.

perdito sensu grauiter cruciaretur. Ipse igitur cum & febre graui- A
ter ægrotaret, & uxor similiter hydrope intumuisset, epistolam ad Proconsulem misit, in qua rogabat ut Andream exoraret, ad se ut ueniret. Deprecante igitur Proconsule, Andreas ascenso uehiculo uenit ad ciuitatem. cumq; introijsset in domum Cratini, conturbauit spiritus malignus puerum, & uenit & procidit ante pedes beati Apostoli. Quem ille increpans: Discede (inquit) humani generis inimice, à famulo Dei. & statim multum clamitãs, ab eo discessit. Et ueniens Apostolus ad stratum Cratini: Rectè ægrotas (ait) qui relicto proprio thoro, scorto misceris. Surge in nomine Domini IESV Christi, & sta sanus, & noli ultrà peccare, ne maiorem ægrotationem incurras. Et sanatus est ex illa hora Cratinus. Mulieri quoq; dixit: Decepit te, ô infœlix mulier, concupiscentia oculorum, ut relicto coniuge, alijs miscearis. & ait: Domine IESV Christe, deprecor piam misericordiam tuã, ut exaudias seruum tuum, & prestes, ut si hæc mulier, ad cœnum libidinis, quo prius erat fœdata, fuerit reuoluta, non sanetur omnino. Quare, si Domine nouisti, cuius potentia etiam futura prænoscuntur, quod deinceps hæc mulier ab hoc posit se flagitio abstinere, iam, te iubente, sanetur. Hæc eo dicente, disrupto per inferiorem partem humore, sanata est cum uiro suo. Beatus autem Apostolus, cum gratias egisset, fregit panem, & dedit ei. Quo accepto, credidit Domino cum omni domo sua: nec deinceps illa scelus, aut uir eius, quod prius B
admiserant, perpetrauerunt. Quibus factis, Cratinus cũ magna munera Apostolo, prostratus in terra cum uxore, tribuere uellet: Non est meum (inquit uir Dei) hæc accipere, dilectissimi: sed potius uestrum est, ea indigentibus erogare. Et ita nihil accipiens ex his quæ offerebantur, Nicæam proficiscitur, in Asiam, ubi erant septem dæmones inter monumenta commorantes, secus uiã: qui prætereuntes homines quotidie lapidabant, & morte afficiebant. Veniente autem beato Apostolo, exijt ei obuiam uniuersa ciuitas cum ramis oliuarum, proclamantes laudes, atq; dicentes: Salus nostra in manu tua est, homo Dei. Et cum exposuissent omnẽ rei ordinem, respondit Apostolus: Si creditis in Dominum IESVM Christum, filium Dei omnipotentis, cum spiritu sancto unum Deum, liberabimini eius auxilio, ab hac dæmonum infestatione. At illi clamabant, dicentes: Quæcunq; prædicaueris, credimus, & obaudimus iussioni tuæ, ut modò ab ista tentatione liberemur. At illè gratias agens Deo, pro eorum fide, iussit ipsos dæmones in cõspectu omnis populi eius adsistere: qui uenerunt in similitudine canum. Tunc conuersus Apostolus ad populum, inquit: Ecce dæmones, qui aduersati sunt uobis. Si itaq; creditis, quòd in nomine IESV Christi possim eis imperare, ut desistant à uobis, confitemini corã me. At illi clamauerũt dicentes: Credimus IESVM Christũ

Ex Achaia in Asiã profectio.

filium

A filium Dei esse, quem prædicas. Tunc beatus Andreas imperauit dæmonibus, dicens: Ite in loca arida & infructuosa, nulli penitus homini nocentes, nec accessum habentes, ubicun nomen Domini fuerit inuocatum, donec accipiatis debitum uobis supplicium ignis æterni. Hæc eo dicente, dæmones dato rugitu, euanuerunt ex oculis adsistentium, & liberata est ciuitas ea ex illa hora. Baptizauit quoq incolas illius beatus Apostolus: & instituit eis episcopum Calistum, uirum sapientem, & inreprehensibiliter custodientem, quæ à doctore susceperat. Postea egressus Nicæam Andreas, cum ad portam Nicomediæ appropinquaret, efferebatur mortuus in grabato, cuius pater senex seruorum sustentatus manibus, uix obsequium funeri ualebat impendere. Mater quoq hac ætate grauata, sparsis crinibus sequebatur, dicens: Væ mihi, cuius usq ad hoc tempus ætas producta est, ut funeris mei apparatum in filij funus expendam. Cumq hæc & similia deplorantes cadauer uociferando prosequerentur, affuit Apostolus Domini, cōdolensq lachrymis eorum, ait: Dicite mihi obsecro, quid huic puero contigit, ut ab hac luce migraret? At illi præ timore diu nihil respondere poterant. tandem collecta mente, subiecerunt: Dum esset (inquiunt) iuuenis iste in cubiculo solus, aduenerūt subitò septem canes, & irruerunt in eum. Ab his igitur miserrimè discerptus, cecidit, & mortuus est. Tunc beatus Andreas suspirans,

Primus episcopus Nicææ à B. Andrea ordinatus.



B & in cœlum oculos erigēs, cum lachrymis ait: Scio Domine, quia dæmonum illorum fuerunt insidiæ, quos à Nicæa urbe pepuli: & nunc rogo IESV benigne, ut resuscites eum, ne congaudeat aduersarius humani generis de eius interitu. Et hæc dicens, ait ad patrem mortui: Quid dabis mihi, si restituero tibi filium tuū saluum? Et ille: Nihil habeo preciosius: ipsum enim dabo, si ad uitam surrexerit, te iubente. Quibus dictis, iterum beatus Apostolus ad cœlum expansis manibus orauit, dicens: Redeat quæso Domine anima pueri, ut isto resuscitato, relictis cuncti idolis, ad te conuertantur, fiatq eius uiuificatio salus omnium pereuntium, ut iam non amplius subdantur morti, sed tui effecti uitā mereantur æternam. Respondentibus autem fidelibus, Amen, conuersus ad feretrum, inquit: In nomine IESV Christi surge, & sta super pedes tuos. Et statim admirante populo surrexit, ita ut omnes qui aderant, uoce magna clamarent: Magnus est Deus Christus, quem prædicat seruus eius Andreas. Parentes quoq pueri multa munera dederūt filio suscitato à mortuis, quæ beato Apostolo offerret. sed ille nihil ex his accepit: puerū tantum secū ad Macedoniā abire præcipiēs, salutaribus uerbis instruxit. Egressus itaq Nicomedia Apostolus, nauem conscendit, ingressusq Hellespontum fretum nauigabat, ut ueniret Byzantium. Et ecce commotum est mare, & incubuit super eos uentus ualidus, ita ut nauis mergeretur. Itaq cum omnes mortis

S. Andreæ ex Asiá in Macedoniā profectio.

nes mortis periculum præstolarentur, orauit beatus Andreas ad A Dominum, præcipiensq́ue uento, siluit. Quieuerunt autem mox & fluctus maris, & tranquillitas secuta est: ereptíq́ue omnes à præsenti

S. Andreas Constantinopoli fuit, hoc est Byzantij, in itinere cũ in Macedoniã iret.

discrimine, Byzantium peruenerunt. Inde progreßi, ut transirent Thracias, occurrit eis multitudo hominum à longè cum euaginatis gladijs, lanceas manu gestantium, qui uolebant in illos irruere. Quod cum uidisset Andreas apostolus, faciens crucis signum contra eos, ait: Oro Domine, ut decidat pater eorum, qui hæc eos agere instigauit. Conturbentur uirtute diuina, ne lædant sperantes in te. Hæc eo dicente, angelus Domini cum magno splendore præteriens, tetigit gladios eorum, & mox corruerunt proni omnes in terram. Et ita beatus Apostolus cum suis sine detrimento præteriuit. Et qui hostes antea fuerant, proiectis gladijs adorabant illum, angelusq́ue Domini cum ingenti lumine receßit. Interea Andreas emenso itinere, ad Peryntum ciuitatem Thraciæ maritimam per-

E' Perintho in Macedoniã transfretatio.

uenerat, ut naue in Macedoniã trajceret. Cumq́ue angeli monitu, qui ei iterum apparuit, nauem conscendisset, antequam soluerent à terra, uerbum Domini cunctis in naui secum existentibus prædicabat. Cuius uerbis salutaribus persuasi cuncti, cum ipso nauis præfecto, in IESVM Christum credentes, glorificabãt Deũ. Quare lætatus sanctus Apostolus, quòd nec in mari defuerit qui uerbum Domini audiret, & ad filium Dei omnipotentis conuerteretur, glorificabat & laudabat Deũ conditorem cœli & terræ. Dũ B hæc fierent, & antequam adhuc Apostolus in Macedoniam peruenisset, accidit quòd duo uiri in Philippis fratres germani essent, nobiles, & quibus erat magna domi facultas: erãtq́ue alteri filij duo, alteri totidem filiæ. Hi, cum in ciuibus nulli forent qui dignè generationi illorum iungi possent, inito fœdere obligauerunt se mu-

In Philippos Macedoniæ urbẽ cõmigratio.

tuò, ut unam domum facerent, & unius filij alterius filias in matrimonium acciperent. Cumq́ue iam dies nuptiarum esset constitutus, factum est uerbum Domini ad eos, dicens: Nolite coniungere liberos uestros, donec huc ueniat famulus meus Andreas: ipse enim uobis, quę agere debeatis, ostendet. Iam autem thalamus pręparatus erat, & conuiuæ uocati erant, omnisq́ue apparatus nuptialis in promptu tenebatur. Interea triduo elapso, aduenit beatus Apostolus, & uidentes eũ gauisi sunt magno gaudio: & occurren-

Mos antiquus, cũ coronis obuiã procedere, cuius sæpe T. Liuius meminit.

tes ei cum coronis, processerunt ante pedes eius, & dixerunt: Te admoniti præstolamur, famule Dei, ut uenias, & adnuncies nobis, quid faciamus. Sumus enim oraculo diuino iussi te operiri: & ne antea cõiungerentur liberi nostri, quàm tu uenires, indicatum est nobis. Erat autem tunc uultus beati Apostoli tanquam sol relucens, ita ut omnes admirarentur, & honorarent eum. Qui cum audiuisset quæ gesta essent, Nolite (ait) filioli, nolite seduci, nolite decipere hos iuuenes, quibus potest fructus apparere iustitię. Sed

magis

A magis pœnitentiam agite, quia deliquiſtis in Dominum, ut proximo ſanguine uelletis polluere coniugia filiorum ueſtrorum. Neque uerò nos nuptias euertimus, aut uitamus, cum ab initio Deus maſculum iungi præcepiſſet, & fœminam: uerùm inceſta potius damnamus. Hæc eo loquente, cõmoti parentes eorum dixerunt: Oramus Domine, ut depreceris pro nobis Deum tuũ, quia neſcientes fecimus hoc delictum. Adoleſcentes autem uidentes uultum Apoſtoli ſplendere tanquam angeli Dei, dicebant: Magna & immaculata eſt doctrina tua, uir beate, quod neſciebamus. Nunc enim uerè cognouimus, quia Deus loquitur in te. Ad quos conuerſus ſanctus Andreas: Cuſtodite (inquit) ſine pollutione, quæ audiſtis à me, ut ſit Deus uobiſcum, et accipiatis mercedem operis ueſtri: id eſt, ſempiternam uitam, quæ nullo clauditur fine. Hæc dicens Apoſtolus, benedixit eis: & relictis Philippis, perrexit in Theſſalonicam. Vbi iuuenis quidam nobilis erat, diues opibus, Exoos nomine, cuius parentes magno in ea ciuitate loco erant. Hic cum de uirtutibus beati Andreæ cognouiſſet, uenit ad Apoſtolũ inſcijs parentibus: & procidẽs ad pedes eius, rogabat eum, dicens: Oſtende mihi Domine uiam ueritatis, ut immortalitatem conſequi poſsim. Cognoui enim, quòd uerus miniſter ſis eius qui te miſit. Sanctus uerò Apoſtolus prædicabat ei Dominũ IESVM Chriſtum, & credidit adoleſcens, ex illa hora adhærens uiro Dei, nulla

B facta uel parentum uel facultatũ ſuarum mentione. Interea parentes requirentes filium, cum audiuiſſent quòd cum Apoſtolo moraretur, accedẽtes muneribus filium ab Andrea ſeparare nitebantur. Sed noluit adoleſcens obtemperare, dicens: Vtinam nec uos has opes haberetis: & mundi ſimul cognoſcentes autorem, qui eſt uerus Deus, animas ueſtras ab ira futura erueretis. Quæ dum iuuenis faceret, ſanctus quoq; Apoſtolus deſcendit de triſtega, & prædicabat eis uerbum Domini: ſed non audientibus, redijt ad puerum, & clauſit oſtia domus. At illi uocata cohorte, uenerunt ut incenderent domum. cumq; ſcirpos & faculas ſubieciſſent, & iam flamma ferretur in altum, arrepta adoleſcens ampulla aquæ: Domine (inquit) IESV Chriſte, in cuius manu omnium elementorũ, natura cõſiſtit, qui arentia inficis & infecta facis areſcere: qui ignita refrigeras, & extincta ſuccẽdis: extingue iã hos ignes, ut tui non tepeſcãt, ſed magis ad fidẽ accendantur. & hæc dicens, effudit deſuper aquã ex ampulla: & ſtatim omne incendium ita ſublatum eſt, ac ſi nũquam accenſum fuiſſet. Quod uidentes parentes pueri, dicebant: Ecce filius iam noſter magus effectus eſt. Et adhibentes ſcalas, uolebant aſcendere in triſtegam, ut eos interficerẽt. Dominus autẽ excęcauit eos, ne uiderent aſcenſum ſcalarum. Quumque in hac peruerſitate durarent, quidam Lyſimachus è ciuibus ait: Vt quid ô uiri, caſſo uos labore conſumitis? Deus enim pugnat

Triſtega, habitatio trium cõtignationũ in ædibus altißima. Græca uox eſt.

pro uiris istis, & uos non cognoscitis. desistite ab hac stultitia, ne uos cœlestis ira consumat. Hæc eo dicente, compunctionis corde dicebant: Verus est Deus, quem isti colūt, quem & nos sequi constituimus. Aduenerant autem iam tenebræ noctis, & subitò lumē affulsit, & omniū oculi inluminati sunt: ascendentesq; ubi erat Apostolus cum puero, inuenerunt eum orantem. Prostrati igitur in pauimento, clamabant dicentes: Te rogamus Domine, ut ores pro seruis tuis, qui errore seducti sunt. Tanta autem omnes compunctio cordis tetigerat, ut diceret Lysimachus, qui uicinus erat: Verè Christus est filius Dei, quem prędicat seruus eius Andreas. Itaq; cum omnes corroborati ab Apostolo in fide crederent, parētes tamen infideles manserunt, & execrantes adolescentē, domum regressi sunt, subdentes omnia quæ habebant publicis ditionibus. Qui haud multo pòst, quinquaginta diebus elapsis, unius horæ momento expirauerunt. Et posthæc, propterea quòd diligerent omnes uiri ciuitatis adolescentem, ob mansuetudinem eius, patrimonium ei à publico est restitutum. Et cum possideret cūcta quæ parentes eius habebant, non tamen discedebat ab Apostolo, sed fructus prædiorum in pauperum necessitatibus, & curis indigentium expendebat. Igitur cum multo tempore apud Thessalonicam sanctus Apostolus Domini unà cum adolescente moraretur, congregati subinde in theatrum multis hominum millibus, prædicabat non solum Andreas uerbum Dei, sed ipse etiā iuuenis, adeò ut mirarentur cuncti prudentiam eius. Itaq; euenit postmodum, ut Carpiani cuiusdam ciuis filius ualde ægrotaret, pro quo cum multi & apud adolescentem, & apud Apostolum ipsum precibus intercederent: Nihil est (inquit sanctus Andreas) impossibile apud Dominum. Sed tamen ut credatis, adducite eum in conspectum nostrum, & sanabit illum Dominus IESVS Christus. Quę audiens pater ægroti, cucurrit mox ad filium suum domū. Hodie Adimathe, inquit (hoc enim erat ægroti pueri nomen) sanus eris. Ad quē filius: Iam uideo insomnij mei exitum. nam per quietem hunc uidi uirum, qui me sanabit. Et hæc dicens, induit uestimenta sua, surrexitq; à grabato, & pergebat ad theatrum cursu ueloci, ita ut non possent parentes uestigia eius adsequi. & procidens ad pedes beati Apostoli, gratias egit pro sanitate recepta. Populus autem qui aderat, obstupescebat, uidens eum post uiginti tres annos ambulantem, ex quo lecto fixus fuisset: glorificabantq; cuncti Dominum, dicentes: Quia non est similis Deo Andreæ. Accessit & alius à ciuibus tum ad beatum uirum, cuius filius spiritum immundum habebat: Sana quęso (ait) uir Dei filium meum, quia malè uexatur è dæmonio. Dæmon uerò sciens futurum se eijci, seduxit puerum in secretum cubiculum, & suffocauit eū laqueo, extorquens animam eius. Deniq; pater cum inuenisset filium mortuum,

A tuum, plurimum fleuit, & ait amicis: Ferte cadauer ad theatrum. confido enim quòd poterit resuscitari ab hospite, qui prædicat Deum uerum. Quod ubi factum fuisset, ac posito coram Apostolo cadauere, totam rei causam cognouisset, conuersus ad populum Andreas: Quid (inquit) uobis proderit, uiri Thessalonicenses, cum hæc fieri uidetis, & non creditis? At illi dixerunt: Ne dubites, quin isto resuscitato, omnes in Deum tuum credituri simus. Hæc illis dicentibus, ait Apostolus: In nomine IESV Christi surge puer. & statim surrexit, & stupefactus omnis populus, clamabat dicens: Nunc credimus Deo illi cuncti, quem prædicas. Sufficiunt hæc nobis. Et deducentes eum ad domum suam cum facibus & lucernis, eo quòd iã nox aduenisset, manserũt apud eũ per triduum: quo tempore de illis quæ Dei erant, abũdè omnes instruxit. Dũ hæc apud Thessalonicã fiunt, interea uir quidã ex Philippis, Medias nomine, cuius filius graui ægritudine torquebatur, Thessalonicam ad Apostolum uenit, deprecans filij sanitatem, tanto animi affectu, ut lachrymas emitteret. Beatus uerò Apostolus abstergẽs genas eius, & caput manu demulcens, dicebat: Confortare fili: tantum crede, & implentur uoluntates tuę. adprehensaq́ manu illius, cum eo ibat in Philippos. Cumq́ ingrederentur portam ciuitatis, occurrit eis senex, rogans pro filijs, quos carceri conclusos Medias habebat, ulceribus penè, & tẽporis diuturnitate putrefactos. Reditus in Philippos.

B Vbi conuersus ad Mediam S. Andreas: Audi homo, tu quidẽ deprecaris, ut sanetur filius tuus: cum apud te uincti retineãtur, quorum iam sunt carnes exesæ. Quare si preces tuas uis ad Dominum proficisci, solue prius miserorum catenas, ut filius tuus à debilitate laxetur. Nam sentio impedimentum fieri precibus meis, maliciam quam exerces. Quæ audiens Medias, procidit ad pedes Apostoli, & deosculans inquit: Absoluãtur & hi duo, & alij septem, de quibus nihil audiuisti, tantum ut sanetur filius meus. & iussit eos in cõspectum beati Apostoli exhiberi. At ille imponens eis manus, & per triduum abluens uulnera eorum, sanitati restituit, libertatiq́ donauit. Postera uerò die ait ad puerum: Surge in nomine IESV Christi, qui me misit ut medear infirmitati tuæ: & adprehensa manu eius, leuauit eum. Qui statim surrexit, & ambulabat, magnificãs Dominum. uocabatur autem puer ille Philomedes, qui tribus decubuerat annis. Clamante autẽ plebe, & dicente: Et nostris medere infirmis, famule Dei. conuersus ait Andreas ad puerum: Vade per domos ægrotantium, & in nomine IESV Christi, in quo sanatus es tu, iube eos exurgere. At ille, admirantibus cunctis, abijt per domos infirmorum, inuocatoq́ Christi nomine, restituebat sanitati quotidie quàm plurimos. Credidit igitur ex eo tempore omnis populus Philipporum, offerensq́ ei munera, rogant multi ut audirent uerbum Dei. Beatus uerò Apostolus prædicans De-

um uerum, nihil de muneribus accipiebat. Denique Nicolaus quidam ex ciuium numero, exhibens carrucam deauratam cum quatuor mulis candidis, totidemque equis, obtulit beato Apostolo, dicens: Hęc accipe famule Dei, quibus nihil inueni in rebus meis pręstantius, tantū ut sanetur filia mea, quæ diutino morbo cruciatur. Cui subridens beatus Apostolus: Accipio quidem (inquit) munera tua Nicolae charissime, sed non hæc uisibilia. Nam si pro filia quæ preciosa in domo tua habes, offerre cupis, quanto magis pro anima debes tale quoddam munus preciosum offerre? Ego uerò hoc solum à te accipere cupio, ut homo ille interior cognoscat uerum Deum factorem suum, rerumque omnium creatorem, qui terrena respuat, & æterna desideret: qui caduca negligat, sempiterna diligat: qui illa quæ uidentur contemplatione spiritalis intentionis aduertat, ut cū in his exercitato sensu uigueris, uitam æternam consequi merearis: filiam hic sanitati redditam, etiam in illo æternitatis gaudio perfruaris. Hæc eo dicente, persuasit omnibus, ut relictis idolis, Deum uerum crederent. filiam quoque ipsius eiusdem Nicolai sanauit ab infirmitate in illa hora, & omnes magnificabant eum, percurrente per totam Macedoniam fama de uirtutibus, quas faciebat super infirmos Apostolus Domini. Euenit porrò sequenti die, cū doceret beatus Andreas populos, ut adolescens quidam exclamaret uoce magna dicens: Quid tibi & nobis Andrea famule Dei? uenisti ne ut nos è proprijs sedibus exturbares? Tunc beatus Apostolus uocato ad se iuuene, ait: Enarra autor criminis, quod sit opus tuū? Et ille: Ego (inquit) in hoc puero, ab adolescentia eius habitaui, suspicans quòd nunquā ab eo recederem. Nudiustertius autem audiui patrem illius dicentem amico suo: Vadam ad hominem famulum Dei Andream, & sanabit filium meum. Timens igitur cruciatus quos nobis infers, ecce egrediar ex eo coram te. Et hæc dicens, prostratus solo ante pedes Apostoli, exijt à puero, & sanatus est ex illa hora, surgensque uoce magna glorificabat Deum. Tantam uerò gratiam Deus præstiterat sancto Apostolo, ut sua sponte quotidie multi uenirent ad audiendū uerbum salutis. Sed & philosophi ueniebant, & differebant cum eo, & nemo poterat resistere doctrinæ eius. Igitur cum hæc agerentur à uiro Dei apud Thessalonicam, surrexit quidam inimicus prædicationis Apostolicæ. is accessit Proconsulē prouinciæ Quirinum, & ei de Andrea significauit, quemadmodum multos quotidie à religione maiorum & deorū cultura auerteret, in Thessalonica: qui templa deorum prædicaret destrui, cæremonias respui, & omnia pristinæ legis decreta conuelli, unum Deum tantum coli præcipiens, cuius etiam se famulū profiteretur. Quibus commotus Proconsul, milites qui comprehenderent ipsum, misit. Qui uenientes ad portam, in qua domo commoraretur Apostolus, didicerunt, ingredientesque

A ingredientesq́ illam, cum uidissent uultum eius fulgore nimio resplendentem, timore perterriti, ceciderunt ante pedes eius. Beatus uerò Apostolus narrabat audientibus, quæ de eo Proconsuli nunciata fuissent. & uenientes populi cum gladijs & fustibus, uolebāt milites interficere: sed prohibuit sanctus Apostolus. Impeditus igitur Proconsul ijs quæ constituerat, fremuit ualde: & misit alios uiginti, & ipsi ascendentes in domum, cum uidissent beatum Apostolum, turbati nihil dixere. Quæ Proconsul ut accepit, iratus misit aliam militum cateruam, qui eum cum ui adducerent. Quibus uisis, Apostolus ait: Nunquid propter me uenistis? Et illi: Propter te (inquiunt) si tamen tu es magus, qui prædicas deos non coli. Quibus ille respondit: Ego magus non sum, sed Apostolus Dei mei IESV Christi, quem prædico. Dum hæc agerentur, unus militū arreptus à dæmone, euaginato gladio clamans dixit: Quid mihi & tibi, Quirine Proconsul, ut mitteres me ad hominem, qui non modò extrudere ab hoc uase, uerumetiam suis me uirtutibus incendere potest? utinam uenires ad occursum ei, & nihil mali ageres contra illum. Quum autem hæc dixisset, egressus est à milite, cecidítq́ miles, & mortuus est. Interea adfuit Proconsul cū magno furore, & stans secus sanctum Apostolum, eum tamen uidere nequiuit. Cui ille dixit: Ego sum quem quæris Proconsul. & statim aperti sunt oculi eius, & uidit illum, & indignans ait: Quæ est hæc

B insania, ut contemnas iussionem nostram, & ministros nostros subijcias ditioni tuæ? Iam uerè te magum atq́ maleficum esse, manifestum est. Quapropter feris te obijciam, & quod nos & quod deos contemnas: et tūc uidebo, si te possit eripere crucifixus quem prædicas. Cui beatus Apostolus: Oportet (inquit) & te credere Proconsul, Deum uerum, & quem misit filium eius IESVM Christum, præsertim cum uideas unum de militibus tuis interijsse. & prostratus ad orationem sanctus Apostolus, cum diutissimè preces fudisset ad Dominū, tetigit militē, dicens: Surge, suscitat te Dominus meus IESVS Christus, quem prædico. & statim surrexit miles, & stetit sanus. Cumq́ populus acclamaret, Gloria Deo nostro: Procōsul ait, Nolite credere ô simplices, magus est. At illi clamabant, dicentes: Non est hæc magica, sed doctrina uera & sana. Ad quæ Proconsul: Hominem istum bestijs tradam, & de uobis scribam Cæsari, ut uelociter pereatis, quia contemnitis leges eius. Illi autem uolentes eum lapidibus obruere, dicebant: Scribe Cæsari, quia Macedones recepere uerbū Dei, & contemptis idolis Deum uerū adorant. Ad quæ iratus Proconsul, abijt in Prætorium: & facto mane, intromisit feras in stadium, & iussit eò trahi ac proijci beatū Andream. Quo adprehenso, cum capillis tractus ac fustibus impulsus in harena fuisset relictus, admiserūt aprū ferocem & horribilem, qui ter cum circuisset sanctū Dei, nihil nocuit. Vi-

Macedonū magna ciuitas.

dentes autem hæc populi, dederunt gloriam Deo. Proconsul uero iussit adduci taurum, qui à triginta militibus tractus, & à duobus uenatoribus impulsus, Andream non attigit, sed uenatores in frusta discerpsit: & postremò dans mugitum, cecidit, & mortuus est. & statim acclamabat populus dicens: Verus Deus Christus. Dum hæc agerentur, angelus Domini uisus est descendisse de cœlo, & confortabat S. Apostolum in stadio. Denique Proconsul feruens ira, iussit leopardum ferocissimum dimitti. qui dimissus, reliquit populum: & ascendens ad sedem Proconsulis, arripuit filiũ eius, & suffocauit eum. Tantaque insania Proconsulem obtinuerat, ut neque de his aliquid aut doleret, aut diceret. Inter hæc beatus Apostolus conuersus ad populum dixit: Ex his cognoscitis uiri Thessalonicenses, quia uerum Deum colitis, cuius uirtute bestiæ superatæ sunt, quem nunc Quirinus Consul ignorat. Sed ego, ut credatis facilius, etiam filium illius in nomine Christi, quem prædico, suscitabo, ut confundatur stultissimus pater eius. & prostratus terræ, diutissime orauit. adprehensaque manu suffocati, suscitauit eum. Hæc uidentes populi, magnificauerunt Deum, & quærebant Quirinum interficere: sed non sunt permissi ab Apostolo. Proconsul autem confusus, discessit in Prætorium suum. His ita gestis, adolescens quidam, qui diu iam cum Apostolo manserat, indicauit matri suæ quæ acta erant: & accersiuit eam, ut ueniret ad occursum sancti. Quæ accedens, procidit ad pedes Apostoli, & quærebat audire uerbum Domini. Cui cum satisfactum esset, deprecatione multa rogauit, ut accederet ad agrum eius, in quo serpens miræ magnitudinis erat, qui totam regionem illam deuastabat. Adpropinquãte autem Apostolo, sibila magna emittens, erecto capite obuiam uenit. Erat enim longitudo eius quinquaginta cubitorum, ut omnes qui aderant metu terrerentur, & terræ decubarent. Tunc sanctus Dei ait ad eum: Abde caput funeste, quod erexisti in principio ad perniciẽ generis humani, & subde te famulis Dei, ac morere. Et statim serpẽs emittens grauẽ rugitũ, circumdedit quercũ magnam, quę propinqua erat, & obligans se circa eã, euomensque riuũ ueneni expirauit. Sanctus uerò Apostolus post hæc ad prędium peruenit, in quo paruulus, quem serpens perculerat, mortuus decubabat. & uidens flere parẽtes illius, inquit: Dominus noster, qui uult uos saluos fieri, misit me huc, ut credatis in eum. Nunc autem abeũtes, uidete interfectorem filij uestri. At illi dixerũt: Nihil de morte dolemus filij, si ultionem de inimico uidemus. Illis uerò abeuntibus, dixit Apostolus ad uxorem Proconsulis: Vade, & suscita puerũ. At illa nihil addubitans, accessit ad corpus, & inquit: In nomine Dei mei IESV Christi, surge puer incolumis. Et statim surrexit. parentesque redeũtes, cũ uidissent & serpentem mortuũ, & inuenissent filium uiuentem, prostrati coram Apostolo,

A stolo,gratias Deo agebant. Sequenti uerò nocte uidit per quietem beatus Andreas uisionem,quã et fratribus enarrauit,dicens: Audite somnium meum,dilectissimi. Videbam, & ecce mons magnus erat,in sublime elatus,qui nihil super se de terrenis rebus habebat,nisi quòd luce resplendescebat in tantum, ut mundum putaretur inluminare. Et ecce astiterũt mihi dilectissimi fratres,Petrus & Ioannes. Et Ioannes quidem extensa manu Petro apostolo, leuabat eum in uerticem montis,& conuersus ad me,rogabat ascendere post Petrum,dicens: Andrea,poculum Petri bibiturus es. & extensis manibus, subdit: Appropinqua mihi, & extende manus tuas, ut coniungantur manibus meis, & caput tuum capiti meo societur. Quæ cum fecissem, inuentus sum breuior esse Ioanne. Et post hæc ait mihi: Vis cognoscere imaginẽ huius rei quam cernis,uel quis sit qui tibi loquatur? Et ego: Desidero,inquam. Et ait mihi: Ego sum uerbum crucis,in qua pendebis in proximo,propter nomen eius quem prædicas. Et multa alia dixit,quæ nunc silere oportet: prodebuntur autem tunc, cum ad hanc æmulationem accessero. Quare rogo,conueniant omnes qui suscepere uerbum Dei,ut commendem illos Domino IESV Christo, quo eos in doctrina sua immaculatos custodire dignetur. Ego uerò iã resoluor à corpore,& uado ad promissionem illam, quam mihi polliceri dignatus est Regnator cœli et terrę,qui est filius omnipotentis Dei,

Somniũ S. Andreæ de futura passione.

Præparatio D. Andreæ ad paßionem.

B cum sancto spiritu uerus Deus, permanens in sæcula sempiterna. Hæc audientes fratres, flebant ualde,& cędebant palmis facies suas,cum gemitu magno. Deniq; conuenientibus cũctis, ait iterum: Scitote dilectissimi,me discessurum à uobis. Sed credo in IESVM, cuius uerbum prædico,quia custodiet uos à malo,ut non diuellatur ab inimico hæc messis,quã in uobis seui: id est, cognitio & doctrina IESV Christi Domini mei. Vos autem orate iugiter,& state fortes in fide, ut euulsa Dominus omni zizania scandali, tanq; triticum mundum,in horreo uos cœlesti congregare dignetur. Et sic per dies quinq; docebat eos, & confirmabat in præceptis Dei. Posthæc autem expansis manibus orauit ad Dominũ,dicens: Custodi quæso Domine gregem hũc, qui iam tuã cognouit salutem, ut non præualeat ille malignus: Sed quæ te iubente, & me dispensante suscepit, inuiolata custodire mereatur, in sæcula sæculorum. Et his dictis,omnes qui aderant, responderunt, Amen. Apostolus uerò accipiens panem,& gratias agens fregit,et dedit omnibus dicens: Accipite gratiam,quam uobis tradidit per me famulum suum Christus Dominus Deus noster. & exosculans singulos, atq; cõmendans Domino, ex Philippis Thessalonicam profectus est, ibiq; biduo docens,discessit ab eis. Multi autem ex Macedonia fideles profecti sunt cum eo, quorum fuerunt duæ naues. Quærebant autem omnes,ut illam nauem, in qua Apostolus uehebatur, conscenderent,

Oratio S. Apostoli.

conſcenderent, deſiderantes eum audire loquentem, ſcilicet ut nec A in mari deeſſet eis uerbum Domini. Ad quos conuerſus Apoſtolus: Noui (inquit) deſiderium ueſtrum, dilectiſsimi, ſed nauis hęc paruula eſt. Quare rogo, ut pueri cum impedimentis in maiorem nauem tranſeant: Vos uerò in iſta quæ minor eſt, nobiſcum properabitis. & dato eis Antymo, qui conſolaretur eos, iuſsit aliã conſcendere nauem, quam propè ſibi ſemper eſſe iuſſerat, ut & ipſi uiderent eum, & uerbum Domini audirent. Hæc dum fierent, accidit ut quidam ſolutus in ſomnum, uento impulſus caderet in mare. quod uidens Antymus, conuerſus ad Apoſtolum: Succurre doctor (inquit) bone, perijt enim unus de famulis tuis. Tũc beatus Andreas increpauit uentum, & ſtatim ſiluit, & tranquillum redditum eſt mare. Homo uerò qui ceciderat, unda famulante ad nauem deuectus eſt. Cuius manu Antymus adprehenſa, leuauit eum in nauem: & omnes admirati ſunt uirtutem Apoſtoli, quòd etiam mare obediret ei. Duodecima igitur die Patras Achaiæ ciuitatẽ adpulſi ſunt, egreſsiq; de naui in quodam diuerſorio morabãtur. Deniq; cum multi precibus inſiſterent, ut in domos eorum ingrederetur, dixit: Viuit Dominus, quia non uadam niſi quò præceperit ille. Et nocte dormiens, nihil reuelationis accepit. Altera uerò nocte, cũ eſſet ex hoc triſtis, audiuit uocem dicentem ſibi: Andrea, ego ſum tecum, & non derelinquam te. Quæ audiens ille, glorificabat Dominum pro hac uiſione. Dum hæc fierent, interea Lisbius B Proconſul admonetur diuinitus, ut ſuſciperet hominem Dei. Qui miſit in occurſum Apoſtolo homines, qui eum hoſpitio exciperẽt, & ſibi adducerent. Quod cum ille audiuiſſet, uenit ad Proconſulem, & ingreſſus cubiculum eius, uidit eum iacentem clauſis oculis quaſi mortuum. pungensq; latus eius, inquit: Surge, & enarra nobis quæ tibi contigerunt. Et ille: Ego (inquit) ſum qui execrabar uiam quam doces: & miſeram milites cum nauibus ad Proconſulem Macędoniæ, ut uinctũ te tranſmitterent mihi, teq; ipſum morte damnarem. ſed ecce naufragia perferentes, nunquam potuerunt accedere quò iuſsi ſunt. Dumq; in hac mente eſſem, ut deſtruerem uiam tuam, apparuerũt mihi duo uiri Æthiopes, qui me flagris cędebant, dicentes: Non poſſumus hic iam ullam poteſtatẽ habere, quia uenit homo ille quem perſequi cogitabas. quare iſthac adhuc nocte, qua poteſtatem habemus, ulciſcemur nos in te. Et ſic grauiter cęſo, receſſerunt à me. Nunc igitur uir Dei deprecari uelis Dominum, ut dimittat hoc mihi delictum, & ipſe ſaner ab infirmitate qua teneor. Hęc eo corã omni populo narrante, beatus Apoſtolus prædicabat aſsiduè uerbũ Domini, & credebant omnes. Proconſul uerò ſanatus, credidit & ipſe, & corroboratus eſt in fide affatim. Qua ex re accidit, ut Trophima, quæ Proconſulis quondam concubina fuerat, & alio poſthęc uiro ſociata uiuebat, relinqueret

Antymus S. Andreæ diſcipulus.

Ex Macedonia in Patras Achaiæ urbẽ profectio.

A & ipsa uirũ suum, & Apostolicæ doctrinę adhæreret. Veniebat e-
nim ipsa plerunq; in domũ Proconsulis, in qua iugiter scilicet doce
bat Apostolus. Istud in iram maritum eius cõcitauit, ut accederet
Proconsulis coniugem, dicens: Si nescis Domina, Trophima uiri
tui scortum est, quam ipse sub prętextu mihi collocauit, ut ea nihi-
lominus pro libito, ut facit, potiretur. Quę illa audiens, succensa fel
le, inquit: Iccirco ergo me reliquit uir meus. iam enim sex menses
transiërunt, ex quo non coniũgitur mihi. Iam autẽ intelligo, quòd
diligit ancillam suam. Et hæc dicens, uocauit Procuratorem suum,
iussitq; Trophimam ut scortum damnare, atq; in lupanar retrudi.
Nec mora, deducitur ad lupanar, ac lenoni donatur. Sed nihil ho-
rum Lisbius sciebat: requirens tamẽ eam, ab uxore deludebatur.
Trophima uerò, ex quo die lupanar erat ingressa, proiecta humi
assiduè orabat. Cumq; uenissent qui eam cõtingerent, ponebat e-
uangelium quod secum habebat, ad pectus suum, & statim omnes
uires perdebãt. Quare cum accederet eam impudicissimæ uitæ iu
uenis quidam, ac illudens uim iam pararet, adeò ut scissis uestimen
tis euangelium è pectore caderet, Trophima cõsternata, ac lachry
mãs, extensis ad cœlum manibus, inquit: Ne patiaris Domine me
pollui, ob cuius nomen diligo castitatem. & statim apparuit ei an-
gelus Domini, & iuuenis cecidit ante pedes eius, & mortuus est.
Itaq; confortata pia mulier, benedicebat & glorificabat Dominũ,
B qui non permiserat eam deludi. ipsa quoq; tantam ex illo tempore
in fide constantiam acceperat, ut non ita multo pòst in nomine IE-
SV Christi puerum à mortuis resuscitarit: ad quod quidem specta
culum uniuersa ciuitas conuenerat. Interea temporis uxor Pro
consulis abijt ad balneum, cum Procuratore suo: cumq; lauarẽtur
simul, apparuit eis dæmon teterrimus, à quo percussi ambo cecide
runt, & mortui sunt. Quæ dum ita fierent, planctus factus est ma-
gnus: & nunciatum est Apostolo & Proconsuli, quòd uxor eius
cũ lenone mortua esset. Motus igitur his turbis beatus Andreas,
plebem in hæc uerba alloquitur: Videte dilectissimi, quantũ præ-
ualeat inimicus. nam Trophima propter pudicitiam lupanari in-
clusa est. Sed non defuit iudicium diuinum. mox enim & materfa-
miliâs, quæ hoc præceperat, cum lenone suo percussa in balneo
cecidit, & extincta est. Hæc eo dicẽte, ecce aduenit nutrix mortuę,
quæ prę senectute manibus portabatur. Et ipsa scissis uestibus, cũ
clamore magno: Scimus (inquit) quia dilectus Deo es, & quęcun
que petieris Deum tuum, præstat tibi. Quare miserere, & resusci-
ta illam. Cuius lachrymis motus beatus Apostolus cõdolebat. con
uersusq; ad Proconsulem, ait: Vis ut resuscitetur? Cui ille: Absit
(inquit) ut uiuat, quæ tantum flagitium commisit in domo mea.
Et Apostolus: Noli (ait) sic agere. misereri enim nos oportet pe-
tentibus, ut misericordiam & ipsi consequamur à Domino. Hæc

eo dicente,perrexit Proconsul ad Prætorium. Sanctus uerò Apostolus,iussit corpus exhiberi in medium,& accedens ait: Rogo benigne Domine IESV Christe, ut resuscitetur hæc mulier, ut cognoscant omnes quia tu es Deus solus, qui nō patieris innocentes perire. & conuersus tetigit corpus mulieris,dicens:Surge in nomine IESV Christi Domini mei. & statim surrexit mulier. Quæ demisso uultu flens & gemens, respiciebat in terram. Cui Apostolus:Ingredere (ait) in cubiculum tuum,& esto secretius orans,donec cōforteris à Domino. Cui illa respondit: Facito me prius cum Trophima pacificam, in quā tantum mali misera admisi. Ad quæ Apostolus:Noli (inquit) timere, non enim Trophima eorū amplius meminit,neq; ultionem ullam desiderat: sed gratias agit Domino,in omnibus quæ acciderant ei. Vocata tamen ab Apostolo Trophima,cum Calista uxore Proconsulis,quæ resuscitata à mortuis fuerat,reconciliata est. Lisbius uerò ipse, uidelicet Proconsul,in tātum profecit in fide, ut quadam die Apostolum accedens, omnia ei peccata ultrò confiteretur, Cui sanctus Apostolus:Gratias(inquit)ago Domino ô fili,quòd times futurū iudicium: sed uiriliter age,& cōfortare in Domino,quē credis. & tenens manū eius, ambulabat in littore. Post deambulationem uerò cum sedisset, sedebant & singuli qui cum eo erant,super arenā,audientes uerbum Domini. Et ecce cadauer necatum in mari,proiectum est ad littus maris,& proximè ad pedes S. Andreæ. Quod uidens beatus Apostolus,exultans in Domino,ait:Oportet hūc resuscitari,ut cognoscamus,quæ in eum aduersarius operatus est. Et fusa oratione, tenens manum mortui,erexit illum: et statim reuixit,& loquebatur. Cumq; nudus esset,dedit ei tunicam,dicens:Dic nobis ordine, expone omnia quæ contigerūt tibi. At ille respondit:Nihil te celabo, quicunq; sis homo. Ego sum Sostrati filius, ciuis Macedonis, qui nuper ab Italia nauigaui. Sed cum reuertissem ad propria, audiui doctrinam surrexisse nouam, quam nullus hominum prius audiuisset. Sed & signa,prodigiaq;, ac medelas magnas fieri à quodam doctore,fama erat,qui se ueri Dei affirmat esse discipulum. Ego autem cum hæc audiuissem, properaui ut talem uidere hominē possem. nō enim aliud tum arbitrabar,nisi diuina esse quæ is gereret. Itaq; nauigare cœpi cum amicis & pueris meis. & cum essem in alto,subitò orta tempestas,nos fluctibus oppresit: & utinam simul proiecti fuissemus,ut et illi resuscitati à te fuissent, sicut ego sum. Et hæc dicens, uoluebat multa in corde suo, & arbitrabatur ipsum iā esse,quem cum tanto periculo quęsisset. & procidēs ad pedes eius ait:Scio quia tu es famulus Dei ueri. Rogo pro his qui mecum fuerunt in naui, ut & ipsi, te impertiente,uitam mereātur,ut cognoscant Deum uerum,quem prædicas. Tunc sanctus Apostolus,repletus spiritu sancto, prædicabat ei constanter uerbum Domini,

ita

A ita ut admiraretur adolescens super doctrina eius. Et demum expansis manibus ait: Ostende nobis quæso Domine & reliqua cadauera mortuorum, ut et ipsi cognoscant, te duce, Deum solum & uerum. Hæc eo dicente, statim apparuerunt triginta nouem corpora, ad littus unda famulante deuecta. Itaq; flente iuuene, simul omnes flere cœperunt: prostratiq; ante pedes Apostoli, rogabant, ut & isti resuscitarentur. Sed & Philopator (hoc enim erat nomen adolescentis) dicebat: Genitor meus per bonam uolūtatem impositis necessarijs, & largitus uim pecuniæ, misit me huc. Quare si audierit quæ mihi contigerunt, blasphemabit Deum tuum, & doctrinam eius refutabit. Sed absit ut hoc fiat. Rursus flētibus omnibus, rogauit Apostolus ut congregarentur corpora simul: sparsim enim proiecta fuerant. Tunc congregatis omnibus in unum, ait Apostolus: Quem uis prius resuscitari? At ille dixit: Vuarum, conlactaneum meum. Hæc audiens Apostolus, flexis in terram genibus, palmisq; extensis ad coelum, diutissimè orauit cum lachrymis, dicens: IESV bone, resuscita hunc mortuum, qui cum Philopatore nutritus est, ut cognoscat gloriam tuam, et magnificetur nomen tuum in populis. Et statim surrexit iuuenis, & mirabantur omnes qui aderant. Apostolus autem iterum super singulos orationem fundens ait: Quæso Domine IESV, ut & isti resurgant, qui de profundo æquoris sunt delati. Quæ cum dixisset, iussit fratribus, ut u-

Nota mirā dam & tremendam historiam.

B nusquisq; tenens mortuum diceret: Resuscitat te IESVS Christus filius Dei uiui. Quod cum factum fuisset, resuscitati sunt triginta octo, & glorificauerunt Deum qui aderant cuncti, dicentes: Quia non est similis Deo Andreæ. Lisbius uerò Proconsul, cum multis muneribus fuisset Philopatorem prosecutus: Non contristet te frater, inquit, facultatum amissio: consulo, ut non recedas à famulo Dei. Et erat semper cū Apostolo Philopator ex illa hora, intendens omnibus diligenter, quæ dicebantur ab eo. Dum hæc fierent apud Patras Achaiæ ciuitatem, contigit ut mulier Caliopa nomine, quæ homicidæ coniuncta, conceptum susceperat inlicitum, magnis in partu doloribus arctaretur, nec partū proferre posset. Hęc ad sororem suam inquit: Vade quæso, & inuoca Dianam, deam nostram, ut misereatur mei. ipsa enim habet patrocinium obstetricandi. Faciente igitur sorore quæ sibi imperata fuerant, uenit ad eam nocte diabolus, dicens: Quid me casso inuocas, cum tibi nihil prodesse possim? Sed mage apostolum Dei Andream accede, qui in Achaia moratur, & ipse miserebitur sorori tuæ. Surrexit igitur mulier, & uenit ad Apostolum, & narrauit ei omnia quæ contigerunt. At ille nihil moratus, uenit in Corinthum ad domum mulieris ægrotantis. erat autem Lisbius Proconsul cum eo. Vidensq; Apostolus mulierem grauidam dolorum cruciatu torqueri, ait: Meritò hæc pateris, quæ malè nupsisti, & ex dolo cōcipiens, nunc

Ex Patris Corinthum profectio.

intolerabiles labores sustines. Insuper consuluisti dæmonia, quæ A
neq; ulli, neq; sibi prodesse possunt. Crede nũc IESVM Christũ filium Dei, & proijce puerperiũ: ueruntamẽ mortuus egredietᷣ, quod indignè cõcepisti. Hæc ut mulier credidit, mox egredientibus cunctis de cubiculo, proiecit partum mortuum, & ab omnibus doloribus liberata est. Itaq; cum multa prodigia faceret in Corintho Apostolus, Sostratus, pater Philopatoris, admonitus per uisum ut Andream accederet, maturauit iter in Achaiam: & cum cognouisset ubi esset, peruenit in Corinthum. habensq; occurrentem Apostolum, statim cognouit eum Sostratus, sicut iam antea ei per quietem erat ostensus. complexusq; pedes illius, inquit: Miserere mei quæso famule Dei, sicut & filio meo misertus es. Philapator autem ait Apostolo: Hic est pater meus, quẽ cernis. Is te interrogat iam quid eum oporteat agere. Ad quæ beatus Apostolus: Scio (inquit) quia pro cognoscenda ueritate ad nos uenerit. Gratias agimus Domino IESV Christo, qui se credentibus reuelare dignetur. Dum hæc diceret Andreas, interea Leontius Sostrati seruus, ait domino suo: Vides Domine, qua luce refulgeat uultus hominis huius? Cui ille: Video (inquit) dilectissime, & ideo non discedã ab eo, sed simul ambo cũ illo uiuamus, & audiamus uerba uitæ æternæ. & sequẽti die obtulit Apostolo munera multa. Sanctus uerò Dei dixit ad eum: Non est meum, accipere aliud à uobis, nisi ut uos ipsos lucrifaciam, cum credideritis in IESVM, qui me misit e- B
uangelizare in hunc locum. Si pecuniam desiderassem, Lisbium equidem ditiorem reperissem, qui me multo magis ditare potuisset. Hoc autem cupio, ut conferatis mihi, quod uobis poterit prodesse ad salutem æternam. His gestis in Corintho, post paucos dies beatus Apostolus iussit sibi balneum præparari. & cum uenisset lauandi gratia, uidit senem dæmonium habentem, & trementẽ ualde. Quem dum admiraretur, alius puer adolescens egressus de piscina, procidit ad pedes Apostoli, dicens: Quid nobis & tibi Andrea? uenistine huc, ut destruas nos de sedibus nostris? Erectus autem, adstante populo, dixit Apostolus: Nolite timere, sed credite in IESVM saluatorem nostrum. Clamantibus igitur omnibus, Credimus quæ prædicas: increpauit utrumq; dæmonem Andreas, & egressi sunt confestim à corporibus possessis, dimissiq; & senex & adolescẽs redierũt ad propria. Interea Apostolus lauans, nihil quidq; de doctrina intermittebat: sciens inimicũ generis humani ubiq; insidiari, siue in lauacris, siue in fluminibus. & idcirco nomen Domini assiduè inuocandum suasit, ut is qui uult insidiari, non habeat potestatem. Quod uidentes uiri ciuitatis, ueniebant & adferebant ægrotos, ponentes coram eo, & curabantur: & multi etiam de alijs ciuitatibus, qui uerbum Domini acceperant, quotidie accedebant beatum Apostolum, ut ab eo erudirentur.
Dum

A Dum hęc agerentur in Corintho, ecce quidã senex Nicolaus nomine, scissis uestibus uenit ad Apostolũ, dicens: Famule Dei, ecce septuaginta quatuor anni sunt uitæ meæ, quibus non discessi ab immunditijs ac scortatione, in lupanaribus subinde exercens inlicita. Et nunc tertia dies est, ex quo audiui miracula quæ agis: & prædicationes tuas, quæ sunt plenæ uerbis uitalibus. Cogitabam enim mecum, ut relicto hoc opere, uenirẽ ad te, & ostenderes mihi meliora. Sed dum hæc cogitarem, uenit mihi rursus aliud in mentem, ut priorem sensum relinquerem, & non facerem bonum quod cogitabam. luctante igitur conscientia mea, accepi euangelium, & oraui Dominum, ut hæc aliquando me faceret obliuisci. Itaq; post paucos dies oblitus euãgelij, quod super me erat, inflãmante cogitatione peruersa, abij iterũ in lupanar. & ecce mulier meretrix uidẽs me, ait: Egredere senex, egredere. angelus enim Domini es tu, non contingas me, neq; appropinques huic loco: uideo enim in te mysterium magnum. Cumq; ego obstupefactus cogitarem, quid hoc esset? recolui, quod euangelium mecũ haberem. Abij, & conuersus uenio nunc ad te, famulum Dei, ut miserearis erroribus meis. Spes enim mihi est maxima, quòd non pereo, si oraueris pro humilitate mea. Hęc audiens beatus Andreas, cum multa contra fornicationem disseruisset, prostratus genibus, expansisq; manibus tacitus orabat. emittensq; gemitus cum lachrymis, ab hora diei
B sexta usq; ad horam nonam, surgebat abluta facie, nihil cibi accipere uolens, dixitq;: Non gustabo, donec cognoscam, si miserebitur Deus huic homini, & si sit reputandus inter saluatos. Et cum ieiunasset etiam altera die, nihil tamen ei reuelatum fuit de homine isto, usq; ad quintum diem. in quo flens uehementer, dicebat: Domine, pro mortuis obtinemus pietatem tuam. et nunc iste quia tua cognoscere desiderat magnalia, cur nõ reuertatur, ut sanes illum? Hęc eo dicente, uox de cœlis delata est dicẽs: obtines Andrea, pro sene: sed sicut tu ieiunijs fatigatus es, ita & ipse studeat, per ieiuniũ ut saluetur. Et uocans eũ, prædicauit ei Apostolus abstinentiam. Die uerò sexto uocauit omnes Christianos, & rogabat ut orarẽt uniuersi pro eo. qui prostrati solo, orabãt dicẽtes: Domine pie, misericors, remitte homini delictũ suum. Quo facto, & ipse gustauit, & cęteros mãducare permisit. Nicolaus quoq; redijt ad domũ suã, & omnia quę habebat distribuit indigentib. Ipse quoq; multum se excruciauit, ita ut per sex mẽses nihil aliud quàm aquã acciperet, & pane arido uesceret. Igitur exacta digna pœnitẽtia, haud ita multo pòst senex iste excessit è sęculo. Aberat tũ beatus Andreas. sed circa ipsam mortẽ senis, uox ad Apostolũ facta est alio loco: Andrea, meus effectus est Nicolaus. At ille gratias agens, narrauit fratrib. Nicolaũ excessisse de corpore, orans ut in pace quiesceret. Dum hæc apud Corinthum ab eo fierent, & fama de uirtutibus eius

quotidie cresceret, uenit ad Apostolum Antiphanes ciuis Megarensis, & ait: Si qua in te est bonitas iuxta præceptum Saluatoris, quem prædicas, hanc ostende iam nobis, uir Dei, & libera domum de insidijs quibus tentatur. Ad quem Apostolus: Enarra nobis homo, quæ contigerunt tibi. Et ille: Dum de itinere (inquit) domum reuersus fuissem, & ingrederer ianuã atrij mei, ecce audiui uocem ianitoris, miserrimè declamantis. Quumq; interrogassem quæ essent hæ uoces, narrauerunt mihi qui aderant, ipsum cum uxore & filio male à dæmonio torqueri. Tum uerò ascendens ad superiora domus, uidi & alios pueros stridentes dentibus, et in me impetum facientes, risusq; insanos arridentes. Quos cum præterirem, ascendi iterum ad alia superiora, in quibus coniunx iacebat, ab his uerberata grauissimè: quæ ita erat amentiæ fatigatione turbata, ut cæsarie supra oculos dimissa, neq; aspicere me, neq; cognoscere posset. Hanc ergo, rogo uir Dei, ut restituas mihi. de cæteris uerò curam nullam habeo. His dictis, sanctus Apostolus misericordia motus, respondit: Non est acceptio personarum apud Deum, qui propterea uenit, ut cunctos saluos faceret, ne perirent. & ait: Eamus ad domum eius. Cumq; progrediens Andreas & Lache, uenisset in Megaram, iam iamq; ianuam domus ingrederetur, dæmones unius uocis impetu clamauerũt, dicentes: Vt quid nos hic Andrea persequeris? ut quid domũ non tibi concessam adis? Quę tua sunt, posside: quæ nobis concessa sunt, ne uelis penetrare. Quę sanctus Apostolus, ut erant insolita, admiratus, ascendit in cubiculum, ubi mulier decumbebat. & cum flexis genubus orasset, adprehensa manu mulieris inquit: Sanat te Dominus IESVS Christus. et statim surrexit mulier à lectulo, et benedicebat Deum. Similiter & singulis quibusq; qui à dæmonio uexabãtur, imponens manum, sanitati cunctos in domo restituit: habuitq; deinceps Antiphanẽ & uxorem eius firmissimos adiutores in Megara, ad prædicãdum uerbum Domini. His gestis, non ita multo pòst beatus Apostolus Patras ciuitatẽ reuertit, in qua Proconsul Ægeates erat, qui nuper adeò Lisbio successerat. Hic mulier quædam Ephidama nomine, quæ ex doctrina Sosiæ cuiusdam Apostolici discipuli, Christo mancipata fuerat, Andream accedit, amplectensq; pedes beati Apostoli, inquit: Rogat te, uir sancte, domina mea Maximilla, quæ magnis febribus retinetur, ut eã accedere digneris. cupit enim audire doctrinam tuam. Hæc autem Proconsulis coniunx erat, cuius morbum uir tam grauiter ferebat, ut educto mucrone sibi uellet mortem consciscere. Sic igitur præcedente Ephidama, Apostolus uenit in cubiculum, in quo mulier iacebat ægrota, & uidens stantem præsidem cum euaginato gladio, ait illi: Nihil tibi nunc mali feceris ô Proconsul, sed reconde gladium tuum in locum suum. Erit enim tempus quando ad nos is exercendus erit. Sed nihil intelligens

E Corintho Megaram proficiscitur.

In Patras reditus.

A

B

gens

A gens Præses, dedit accedendi locum. Tunc Apostolus ueniens ante lectum infirmæ, facta oratione apprehendit manum eius, & statim sudore perfusa est mulier, & discessit ab ea febris, iussitq; ei Apostolus dare cibum. Quæ ut uidit Proconsul, centum argenteos iussit numerari sancto Dei: quos ille nec aspicere uoluit. Egressusq; domum illius, in itinere uidit hominẽ iacentem in cœno debilem, cui multi è ciuibus stipem porrigebant, unde alimentũ haberet. Misertus itaq; miseri, ait ad eum Andreas: In nomine IESV Christi surge sanus. Qui protinus surgens, glorificabat Deum. Et cũ progressus fuisset paululũ, in alio loco uidit hominem cæcum cũ uxore & filio, & ait Apostolus: Verè diaboli est hoc opus, qui hos homines mente & corpore excæcauit. Ecce ego uobis in nomine Dei mei corporalium oculorum restituo lumen: ipse quoq; mentium uestrarum tenebras reserare dignetur, ut cognita luce, quæ inluminat omnem hominem uenientem in hũc mundum, salui esse possitis. Et imponẽs eis manus, aperuit oculos illorum. At illi procidentes, osculabantur pedes eius, & dicebant: Quia nõ est alius Deus, nisi quem prędicat famulus eius Andreas. Hęc dum apud Patras faceret beatus Apostolus signa, abduxit quidam ad littus Andream, ubi nauta quispiam, quinquaginta annis debilitate nimia proiectus in cœno iacebat, ulceribus scatẽs, & uermibus, cui nullius medici potuit cura mederi. Hic cum aspexisset Aposto-
B lum: Forsitan tu es (inquit) discipulus Dei illius qui solus saluare potest. Cui sanctus Apostolus ait: Ego sum, qui in nomine Dei mei te sanitati restituo. Et adiecit: In nomine IESV Christi surge, & sequere me. At ille relictis pannis purulentis, in quibus tabes defluxerat, sequebatur eum, profluente pure cum uermibus à corpore eius. Cumq; uenissent ad mare, ingressus est uterq; aquam: abluensq; eum Apostolus in nomine trinitatis, ita sanũ reddidit, ut nullũ penitus infirmitatis huius corporeæ resedisset indicium: tantumq; fide post acceptam sanitatem accensus est, ut nudus per ciuitatem cucurrerit, adnuncians: Quia ille est uerus Deus, quem Andreas prædicat. Et mirabantur omnes, congratulantes sospitati eius. Cumq; talia, & alia plura digna admiratione, apud Patras per beatum Apostolum agerentur, interea aduenit ex Italia Stratocles, frater Procõsulis. huic erat puer Alcmana nomine, quem in precio singulariter habebat. Euenit autem, ut ab impulsu dæmonis percussus tunc iaceret, spumansq; in atrio, tumultũ magnum excitaret. Quæ uidens Stratocles, nimis molliter casum dilectissimi pueri ferebat. Et ecce Maximilla & Ephidama consolantes uirum, dicunt: Noli contristari frater, mox enim puer recuperabitur. Est enim hic uir quispiã, qui uiam salutis ostendens, multos reuocat ab infirmitate ad integram sanitatem. Mittamus ad illum, & statim reddet tibi puerum sanum. Haud mora, accersitur

Apoſtolus. qui rogatus à matronis, adprehenſa manu eius, ait: Surge puer in nomine IESV Chriſti, Dei mei, quem prædico. Et ſtatim ſurrexit incolumis. Stratocles uerò credidit exinde in Dominum, & ita confortatus eſt in fide, ut ex illa hora non diſcederet ab Apoſtolo, ſed quotidie adhærens lateri eius, audiebat uerbum ſalutis. Interea dum hæc fierent apud Patras, contigit ut abeunte Proconſule in Macedoniam, Maximilla uxor uerbis ſalutaribus inſtructa, in tantum beato Apoſtolo adhæreret, ut reuerſus Præſes, parum abfuerit quin & uxorem, & magnã inſuper hominum multitudinem, in Prætorio cum Apoſtolo audientes uerbum ſalutis inueniſſet. Quod præſentiens beatus Andreas, flexis genubus: Ne patiaris (inquit) Domine ingredi Proconſulem in hunc locum, donec omnes egrediãtur exinde. Quod cum feciſſet, antequam Proconſul Pretoriũ fuiſſet ingreſſus, accidit illi uolũtas purgandi uentris: cumq́ꝫ ſeceſſum petijſſet, & moras innecteret, ſanctus Apoſtolus ſingulis manus imponens, & conſignans cruce, eos abire permiſit: nouiſsimè autem ſe ſignãs & ipſe, diſceſsit. Maximilla autem iam & antea, & poſt illa tempora ſæpe, domum ubi Apoſtolus morabatur cum alijs Chriſtianis ingrediebatur, & uerbum Domini aſsiduè audiebat. Qua ex re factum eſt, ut rarius uiro ſuo commiſceretur. quòd ille ęgreferens, & cauſam in Apoſtolum conijciens, Andream accerſit: cui cum religionem ſaniorem exprobraſſet, & ut ad idola adoranda mentem conuertere uellet, perſuadere conaret, reſpondit intrepidus beatus Apoſtolus: Ego ſum, inquit, Proconſul, qui prædico uerbum ueritatis, & Dominum IESVM, ut recedentes homines ab idolis manufactis, uerũ Deum agnoſcere incipiant, per quem facta ſunt omnia. Adhuc enim cũ eſſet Dominus maieſtatis, deſcendit de cœlo, hominis formam ſuſcipiens, qui primus perierat: & cum eſſet Deus, ſponte pati dignatus eſt, ut eum quem ipſe fecerat, de morte liberaret. Hæc audiens Proconſul, iuſsit eum recludi in carcerem. Vbi, quamdiu clauſus tenebatur, plurima quotidie turba ad eũ confluebat, quam his uerbis Sanctus Andreas alloquebatur: Ego quidem ſum miſſus Apoſtolus à Domino meo, ad uos, chariſsimi fratres, ut homines poſitos in tenebris & umbra mortis, per uerbum Dei ad uiam ueritatis & luminis reuocarem. Quo in inſtituto, haud unquam ceſſaui, hortans uos ſubindè, ut recedentes à dæmonum culturis, uerum Deum quærentes, & in mandatis eius perſeuerantes, promiſsionis eius hæredes inueniamini. Hortor autem uos dilectiſsimi, & moneo, ut fidem ueſtram, quam ſupra fundamenta Domini mei IESV Chriſti poſuiſtis, creſcere ſinatis in ſpem & laudem Domini. Cæterùm in his quæ mihi contingunt, nolo uos quidq́ꝫ contriſtari. iſta enim promiſſa ſunt à Domino meo IESV Chriſto, ſicut ſcriptum eſt: Pro nomine illius mulctandos nos eſſe, paſſuros, & flagellandos:

Exhortatio S. Andreæ in carcere.

A & flagellandos: atque adeò ante iudices staturos, in testimoniũ eius. Qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit. orate ergo sine cessatione, ut diabolus, qui circuit ut leo rugiens, quęrens aliquem deuorare, elusus & prostratus iaceat, à seruis Domini superatus. Cũ hęc & alia plurima exhortans turbam per totam noctem doceret, & cum prolongasset sermonem, sequenti die primo diluculo procedens Ægeas Procõsul, tribunal cõscendit, accersitoque sancto Andrea, illum in hæc uerba conuenit: Scis quare te custodire mãciparim? ut dum uana & superstitiosa nescio quæ in uulgũ disseminas, ita aliquid certius cognoscerẽ de te. Interim audio nescio quę ridicula tota nocte locutũ. Cui Andreas respondit: Ego nõ cesso, quæ mihi à Domino sunt iniuncta exercere, ut populus de uia erroris liberatus, ad uerã posit cognitionem perduci. Tum Procõsul: Recede (ait) ab hac stultitia, & noli bene uiuentes subuertere. Andreas dixit: Mihi Deus meus IESVS Christus præcepit, ut opportunè & importunè uerbum eius prædicare nõ cessem, atque errãtibus pœnitentiam ostenderem. Tum rursus Ægeas: Aut promitte te recessurum (ait) ab hac superflua & superstitiosa doctrina, aut statim iubebo te interfici. Andreas respondit: Ego non solum interfici, sed diuersis etiam pœnis excruciari paratus sum, priusquam à prædicatione diuina recessero. Sic Procõsul septem eum ternionibus flagellorum cæsum, crucifigi præcepit, mandans nominatim quæ-
B stionarijs, ut ligatis manibus & pedib. & non clauis affixus suspenderetur, quo diutino cruciatu deficeret. Hæc uidens plebs indigna in uirum Dei committi, in turba dicebat: Iustus homo, et amicus Dei, & doctor bonus, ducitur immeritò ad mortem. Andreas uerò cum plurimis uerbis eos alloqueretur, peruenit tandem ad locum, uidensque procul crucem, exclamauit, dicens: Salue crux, quæ diu fatigata requiescis, tanto tempore expectãs me. Certissimè autem scito, te gaudere suscipientem discipulum eius qui pependit in te. Quapropter lętus pergo ad te: quia secretũ tuum cognosco, & mysteriũ noui, qua de causa fixa sis. Suscipe nunc quem desideras, quia tandem speciem tuã desiderãs, inueni in te. Video enim in te, quæ à Domino mihi sunt promissa. Suscipe itaque electa crux humilem propter Deũ, & transfer seruũ eius ad Dominũ suum. Et hæc dicens beatissimus Andreas, exspolians se, tradidit ministris. Qui ligantes manus & pedes eius, secundum quod eis fuerat præceptum, suspenderunt eum in cruce. Astante uerò turba ingenti uiginti fermè millium hominum, inter quos etiam stabat frater Ægeatis Stratocles, aperuit beatus Apostolus os suum, & ita loquutus est: Ego quidem gratias habeo Domino meo IESV Christo, qui me tãdem perfunctũ iussione sua, abire corpore uult, ut per bonã confessionem, perpetuam consequar misericordiam, dilectusque & notus eius efficiar, qui me ad uos misit. Vos autem manete in uer-

S. Andreæ ad crucẽ exclamatio.

bo uobis tradito, docentes & admonentes alterutrũ, ut & ipsi sitis A cum Deo meo in perpetuũ, & cum eo habitetis, promissionesq́ eiusdem recipiatis. Et cũ respondissent qui aderãt Christiani, Amẽ: toto eo die, & nocte quę insecuta est, iugiter loquebať, neq; in aliquo fatigabať aut deficiebat. Sequenti igitur die uidentes eius tolerantiã & animi cõstãtiã, deniq; spiritus prudentiã, & mẽtis robur, uenerũt turbę ad Aegeatẽ, ac sedente eo pro tribunali, uociferãtes dixerũt: Quę ista tua est tã crudelis sententia Proconsul, ut hominem probũ, qui nihil mali cõmisit, crucis supplicio uelis condemnare? Perturbata est tota ciuitas, & simul cum eo omnes perimus. Quæsumus te, ne Cæsaris tam celebrem perdas ciuitatẽ. Concede nobis hominem iustũ, redde nobis hominem sanctũ, ne interficias hominem Deo carum, ne perdas hominem mansuetũ & pium. Biduo enim suspensus uiuit, quę res miraculo nõ caret: & quod plus est, loquiť adhuc, & nos suis sermonib. reficit. Quare reddas nobis hunc uirũ, ut uiuamus: solue pudicũ, & omnes patriæ erũt in pace. His cõmotus Proconsul, cum & minas ac tumnltũ populi metueret, surgens de tribunali, Andreã soluere cogitabat: profectusq́ ad locũ crucis, lęto populo quòd famulus Dei liberaretur, et frequẽti comitãte, tristis & facti pœnitẽs, Andreæ suspenso appropinquabat. Ad quem ille: Quid ad nos (inquit) Ægeas uenisti? nũquid soluere me cupis, et pœnitentia ductus credere desideras? non mihi, crede, persuadebis, ut ex ista cruce recedã. Et cũ populus, ut solueret hominem, iuberet: sanctus Andreas exclamauit uoce magna, B & dixit: Ne permittas famulũ tuũ Domine IESV Christe, qui propter nomen tuũ pendet in ligno, solui: neq; permittas quæso Deus misericors, secretis tuis inhęrentem, humanis amplius conuersationibus tradi. Sed suscipe tu magister me, quẽ dilexi, quem cognoui, quem retineo, quem uidere desidero, in quo sũ quod sum. Suscipe exitũ meũ IESV bone & misericors. & hęc dicens, diutissimè Dominũ clarificans & gaudens, nobis flentib. reddidit spiritũ. Cuius corpus Maximilla Proconsulis uxor accipiens, conditũ aromatibus, celebri in loco sepeliuit, & ex illo tempore pudicitiã & castitatã seruãs, in fide quoq; accepta cõstans permãsit. Aegeas uerò maritus illius, arreptus ea nocte à dęmonio, de loco alto se præcipitauit, et mortuus est. Stratocles porrò frater eius, cũ hęc audiuisset, de bonis Procõsulis nihil cõtingere uoluit, dicens: Quę tua sunt, tecũ pereãt. Mihi sufficit Dominus IESVS, quem cognoui per famulũ eius Andreã. Est aũt passus uenerabilis & sanctus Dei Andreas Apostolus apud Achaiã, in ciuitate Patris, sub Aegeate Proconsule, prid. Kal. Decembris, regnãte Domino IESV Christo, cui sit gloria in sęcula sęculorũ, Amen.

Oratio beati Andreæ ante mortẽ.

Ex hoc apparet, Abdiam huius historiæ autorẽ passioni interfuisse.

FINIS LIBRI III. HISTORIAE APOSTOLICAE.

LIBER QVARTVS ABDIAE

Babyloniæ episcopi, De historia ac rebus gestis à Iacobo Ioannis fratre germano, Domini nostri Iesu Christi discipulo atque Apostolo, ab Africano historico ex Hebraica lingua in latinum sermonem translatus.

A IACOBVS Zebedæi filius, & Ioannis qui euangelium reliquit, frater germanus fuit: quem Christus saluator noster, in naui cum patre et fratre uisum, sequi se iusserat. quod diuino compunctus amore fecit, adhæsitque Domino nostro ex eo tempore non solum ut discipulus, quos multos habuit, uerùm etiam in monte ad Apostolatus apicem ab eodem uocatus, post passionem Domini, Iudæam & Samariam in diuisione Apostolica sortitus est. Quas prouincias cũ peragraret, ingrediens per synagogas secundum scripturas, ostendebat omnia quæ à Prophetis prædicta erãt de Domino IESV Christo, ea in ipso impleta esse. Quod dum fieret, op ponebant se sancto Apostolo Hermogenes & Philetus quispiam, asserentes, quòd non uerus Dei filius esset IESVS Christus Nazarenus, cuius se ille Apostolum memoraret. Iacobus autem in spiritu sancto confidenter agens, omnes assertiones illorum euacuauit, ostendẽs de scripturis sanctis, hunc esse uerum filium Dei, generi humano promissum. Qua re motus Philetus, cum Iacobi prudentiam admiraretur, reuersus ad Hermogenem, dixit ei: Iacobum, qui se seruum Christi IESV Nazareni

B adserit, & Apostolum eius, scias superari non posse. nam in nomine eius uidi eum dæmones ex obsessis corporibus eijciẽtem: uidi eum & cæcos inluminantem, leprosos mundantem. Asserunt etiam amicissimi mei, quòd uiderint insuper eum mortuos suscitantem. Sed quid multis moramur? Omnes scripturas sanctas memoriter retinet, ex quibus ostendit, non esse alterum filium Dei, nisi illum quem Iudæi crucifixerunt. Quare si consilio meo obtemperas, eamus ad eum, & indulgentiam impetremus. Quod si non feceris, ego saltẽ relicto te, ad ipsum me conferam, ut discipulus eius esse merear. Quæ ut audiuit Hermogenes, ira succensus, Philetum uinculis magicis constrinxit, & ait: Videbimus si Iacobus tuus soluat te. Philetus autem misit festinanter puerum suum ad Iacobum, ut ei nunciaret quæ gesta essent. & statim misit beatus Apostolus sudarium suum Phileto, dicens: Dominus IESVS Christus erigit allisos, & ipse soluit compeditos. Statim autem ut de sudario eius tetigit eum is qui missus erat, resolutus à uinculo magi, currens uenit ad Iacobum, & cœpit insultare maleficijs magistri. Hermogenes uerò magus dolens quòd ei insultaret, arte sua excitauit dæmones, & misit eos ad Iacobum dicens: Ite, & ipsum Iacobum mihi, &

ſimul Philetum diſcipulum meum adducite, ut uindicer in his, ne A mihi & cæteri diſcipuli mei ita illudant. Venientes igitur dæmones, ubi Iacobus orabat, ululatum in aere habere cœperunt, dicentes: Iacobe Apoſtole Dei, miſerere noſtri: quia antequam ueniat tempus incendij, nos etiam exurimur. Quibus Iacobus: Vt quid ueniſtis ad me? Dicunt ei dæmones: Miſit nos Hermogenes, ut te & Philetum ad ipſum perduceremus. Mox autem ut ingreſsi ſumus, angelus Dei ſanctus catenis igneis religauit nos, & miſerè cruciamur. Dicit eis Iacobus: In nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, exoluat uos iterũ angelus Dei, ita ut reuertẽtes ad Hermogenem, non eum lædatis, ſed uinctum huc illum ad me adducatis. Qui cum abijſſent, ligauerunt Hermogeni ad tergum manus de reſtibus, & ita uinctum adduxerũt eum ad Apoſtolum, dicentes: Ad quem nos miſeras, cum incenſi flagraremus, ecce hunc adducimus tibi. Ad quem Apoſtolus Dei: Stultiſsime hominũ (inquit) cum inimicus generis humani rationem tecum haberet, quare nõ cõſideraſti quos ad læſionem meam mitteres? Sed tamen illos adhuc non permitto, ut furorem ſuũ tibi oſtendant. Clamabãt quoque tum ipſi dæmones: Da nobis eum in poteſtatem, ut poſsimus & tuas iniurias uindicare, & noſtra incẽdia. Ad quos Apoſtolus: Ecce (inquit) Philetus ante uos ſtat, cur eum non tenetis? Dicũt ei dæmones: Nos non poſſumus uel formicam contingere, quæ in cubiculo tuo eſt. Tunc beatus Iacobus ad Philetum ait: Vt cogno B ſcas ſcholam Domini noſtri IESV Chriſti hanc eſſe, ut diſcant homines bona pro malis reddere, ille te ligauit, tu eum ſolue: Ille te uinctum à dæmonibus ad ſe conatus eſt adducere, tu eum captum à dæmonibus liberum ire permitte. Itaq; ut ſoluit eum Philetus, deiectus & confuſus Hermogenes ſtetit. Ad quem conuerſus Apoſtolus Domini: Vade liber, quócunq; uolueris. Non eſt enim diſciplinæ noſtræ, ut inuitus aliquis conuertatur. Dicit ei Hermogenes: Ecce noui iras dæmonum, niſi mihi dederis aliquid quod mecum geram, tenebunt mè, & diuerſis cruciatibus interficient me. Cui beatus Iacobus: Accipe (inquit) baculũ itineris mei, & cum eo perge ſecurus quócunq; uolueris. Qui accipiens baculũ Apoſtoli, abijt ad domum ſuam. Et haud mora, collectis libris magicis: zabyras plenas ad Apoſtolum attulit, ceruicibus & ſuis & diſcipulorum impoſitas, & cœpit eos ignibus córam eo comburere. Sed Iacobus prohibuit: Ne fortè odor incendij (inquit) uexet incautos, appende zabyris lapides & plumbũ, & mitte in mare. Quod cum feciſſet Hermogenes, reuerſus cœpit tenere plantas Apoſtoli, rogans eum & dicens: Animarũ liberator, accipe pœnitentem, quem inuidentem & detrahẽtem hactenus ſuſtinuiſti. Reſpondens dixit Iacobus: Si uerã Deo pœnitentiã obtuleris, ueram eius indulgentiam conſequêris. Dicit ei Hermogenes: In tantum uerã Deo

Ζάβειρον Græcis armamẽtorũ repoſitorium eſt.

A Deo pœnitentiam offero, ut omnes codices meos, in quibus erat inlicita præsumptio, abiecerim, & omnibus simul artibus renunciauerim inimici. Tunc sanctus Apostolus: Vade (inquit) per domos eorum quos euertisti, ut & reuoces Domino quæ tulisti. Doce hoc esse uerum, quod antea docebas esse falsum: & hoc esse falsum, quod modò docebas uerum. Idolũ quoq; quod adorabas, & diuinationes tibi putabas ab eo responderi, confringe. Preterea pecunias quas malo opere acquisisti, bona ratione expende: ut sicut fuisti filius diaboli, imitando diabolum, efficiaris ita filius Dei sequendo Deum, qui quotidie etiam ingratis præstat beneficia, & se blasphemantibus exhibet alimenta. Si enim cum malus esses circa Deũ, bonus circa te extitit Dominus: quanto magis erit circa te benignior, si magus esse cessaueris, & bonis ei operibus cœperis cõplacere? Hæc & his similia dicente Iacobo, in omnibus obtemperauit Hermogenes, & ita cœpit in Dei esse timore perfectus, ut etiam uirtutes per eum plurimæ fierent à Domino. Videntes igitur Iudæi, quia hunc magum, quem inuictum putabant, ita conuertisset Apostolus, & omnes simul discipulos & amicos eius, qui solebant ad synagogam cõuenire, IESV Christo per Iacobum credidisse, obtulerunt pecunias centurionibus duobus, qui præerant Hierosolymis, Lysiæ & Theocrito, ut comprehẽderent Iacobum. Exorta autem à populo seditione, cum duceretur in custodiam, di-

B cebant ei Pharisæi: Vt quid prædicas IESVM, hominem, quem inter latrones crucifixum omnes scimus? Ad quæ Iacobus repletus spiritu sancto: Audite me (inquit) uiri fratres, & omnes qui Abrahæ filij esse cupitis. Promisit Deus patri nostro Abrahæ, quòd in semine eius hæreditarentur omnes gentes. Semen autem eius nõ est super Ismahel, sed supra Israhel. Ille enim cum matre sua Agar eiectus, à portione seminis Abrahæ exclusus fuit. Abrahæ à Deo dictum est, quia in Isaac uocabitur tibi semen. Amicus autem Dei Abraham, pater noster appellatus est, antequam circumcisionem acciperet, & antequã Sabbata coleret, & antequã legem aliquam diuinæ constitutionis sciret. Amicus autem factus est, nõ quidem circumcidendo se, sed credendo in Deum, hoc, quod in semine eius hæreditarentur omnes gentes. Si ergo Abrahã amicus factus est credendo, constat, inimicum Deo esse, qui nõ credit in Deum. Hæc cum disseruisset Apostolus, dixerunt Iudæi: Et quis est qui non credit in Deum? Iacobus respondit: Qui non credit, quòd in semine Abrahæ hæreditentur omnes gentes: Qui non credit Moysen dicentẽ, Suscitabit uobis Dominus Prophetã magnum, ipsum audietis tanquã me, per omnia quæ præceperit uobis. Hoc autem promissum Esaias prædixit, quo ordine fieret. ait enim: Ecce uirgo in utero concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emmanuel: quod est interpretatum, nobiscum Deus. Addit *Vaticinia Prophetarũ de Christo.*

Hieremias: Ecce ueniet redemptor tuus Hierusalem, & hoc eius signum erit: Cæcorum oculos aperiet, surdis reddet auditum, & uoce sua excitabit mortuos. Ezechiel hunc etiam designat, dicens: Veniet rex tuus Syon, uenit humilis, & restaurat te. Daniel quoque dicit: Sicut filius hominis, ita adueniet, & ipse obtinebit principatus & potestates. Prædixit hunc & Dauid: Dominus dixit ad me, filius meus es tu. Et patris uox de filio dicit: Ipse inuocabit me, Pater meus es tu, & ego primogenitum ponam illum, excelsum apud reges terræ. Et iterum: De fructu uentris tui ponam supra sedem meam. Quin & passionem eius prædixerunt prophetæ. Esaias enim dicit: Sicut ouis ad occisionem ductus est. Et Dauid in persona eius dicit: Foderũt manus meas & pedes meos, dinumerauerũt omnia ossa mea: Ipsi uerò considerauerũt et inspexerunt me, diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meã miserunt sortẽ. Et alio loco Dauid ait: Dederunt in escam meã fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Et iterum de morte eius uaticinatus: Caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques in inferno animã meam, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionẽ. Vox autem filij ad patrem dicit: Exsurgam adhuc, & tecum sum. Et iterũ: Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exsurgam, dicit Dominus. De ascensione præterea illius dictum est à Propheta: Ascendit in altum, captiuam duxit captiuitatem. Et iterum: Ascendit Deus in iubilatione. Et rursus: Ascendit super Cherubim, & uolauit. Item Anna mater sancti Samuelis dicit: Dominus ascendit in cœlos, & tonat. Et multa alia inueniuntur in lege de ascensione eius testimonia. Nam quòd sedeat ad dextram patris, itẽ Dauid inquit: Dicit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Et quòd uenturus sit iudicare sęculum per ignem, dicit Propheta. Et iterum: Dominus manifestè ueniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas ualida. Hæc omnia in Domino nostro IESV Christo & impleta sunt partim quæ fuerunt prædicta, & quæ nondum facta sunt implebuntur propediem, ita sicut Prophetæ prædixerunt uobis. Ait enim Esaias: Surgent mortui, & resurgent qui in monumẽtis sunt. Si interroges, Quid erit, si resurrexerint? Respondit Dauid, audiuisse se Dominum loquentem. Semel loquutus est Deus, duo hæc audiui: Quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, qui reddes unicuique secundum opera sua. Vnde, uiri fratres, unusquisque uestrûm pœnitentiam agat, ut non recipiat secundum opera sua, qui se scit participem esse eorum qui cruci affixerunt eum, qui mũdum totum à cruciatibus liberauit. Siquidem è sputamẽto suo oculos cæci nati inluminauit: & ut probaretur ipse esse qui Adam de limo terræ formauerat, lutũ fecit de saliua sua, & imposuit oculis, ac sanauit eos. Et cũ nos discipuli eius interrogassemus illũ, qui

A qui peccassent, hic an parentes eius, ut cæcus nasceretur? Respõdit nobis Magister, dicens: Neq; hic peccauit, neq; parẽtes eius, sed ut manifestent opera Domini in eo: id est, ut manifestus fieret artifex qui eum fecerat, cum ipse faceret quod minus fuerat factũ. Nam & hoc quod pro bonis mala recepturus esset, prædictũ est in persona eius, per Dauid regem, cum diceret: Retribuebant mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Deniq; post tanta beneficia in Iudæos collata, cum tot paralyticos curasset, leprosos mũdasset, tot dęmones fugasset, & mortuos suscitasset, omnes una uoce clamauerunt: Reus est mortis. Præterea quod à suo discipulo tradẽdus fuerat, hoc ordine item prædictũ fuit à Dauid: Qui edebat panem meũ, ampliauit aduersus me supplantationem. Hæc omnia, uiri fratres, filij Abrahæ prædixerunt, loquente per os eorum spiritu sancto. Nunquid si hæc nõ credimus, poterimus euadere perpetui ignis suppliciũ, aut non meritò puniendi erimus? cũ etiam gentes credant uocibus Prophetarum: nos uerò populus quondam electus, nullam Patriarchis & Prophetis nostris fidem adhibebimus? Equidẽ censeo erubescenda & punienda tot factis & scelerib. crimina, lachrymosis uocibus lugẽda esse nobis, ut pœnitentiã nostram pius indultor accipiat: ne illa nobis tãdem eueniant, quę gentilib. maioribusq; nostris acciderũt. Aperta est terra, & deglutiuit Dathã, operuit super synagogã Abyrõ. Exarsit ignis
B in synagoga eorũ, & flãma consumpsit peccatores. Hęc cũ disseruisset, nõ sine admiratione et singulari gratia Dei corã turbis, clamauerũt omnes una uoce, dicẽtes: Peccauimus, iniustè egimus: da nobis remediũ, quid faciamus. Quib. Iacobus ait: Viri fratres, nolite desperare: credite tantũ, & baptizamini, ut deleant omnia peccata uestra. Cũ itaq; post hunc sermonẽ beati Apostoli, multi ex Iudæis baptizati essent, Abiathar põtifex anni illius, uidens magnũ quotidie populũ in IESVM credere, per pecunias excitauit seditionẽ grauissimã, ita ut unus ex scribis Pharisęorũ mitteret funem in collũ Apostoli, et perduceret eũ ad Prętoriũ Herodis regis. Herodes is filius Archelai erat: qui ut causam accepit, iussit beatũ Iacobum decollari. Cumq; duceretur ad locũ supplicij, uidit paralyticũ iacentẽ, & clamantem sibi: Vir sancte libera me à doloribus, quibus omnia membra mea cruciant. Ad quem conuersus Apostolus: In nomine (inquit) crucifixi Domini mei IESV Christi, pro cuius fide ducor ad mortã, exurge sanus, et benedic saluatorem tuũ. Et protinus exsurrexit, & cœpit gaudẽs currere, & benedicere nomen Domini IESV. Tũc ille Pharisęorũ scriba, quem diximus funẽ collo eius circũdedisse, Iosias nomine, procidẽs ante pedes Apostoli: Obsecro te (ait) ut des mihi indulgentiam, & facias me nominis sancti participẽ. Ad quẽ cõuersus Iacobus, dicit: Tu credis, quia Dominus IESVS Christus, quem crucifixerũt Iudęi, ipse sit uerus filius

Dei uiui? Et ait Iosias: Ego credo, & hæc est fides mea, ex hac hora, A
quia ipse est filius Dei uiui. Quę uidens Abiathar Põtifex, scribã iussit cõprehendi, & dixit ei: Si nõ discesseris à Iacobo, & maledixeris nomẽ IESV, cũ ipso decollabere. Cui Iosias: Maledictus (inquit) tu, & maledicti omnes dies tui. Nomen aũt Domini IESV Christi, quẽ Iacobus prędicat, est benedictũ in sęcula. Tũc Abiathar felle succensus, pugnis cędere scribã pręcepit: & missa relatione de eo ad Herodem, impetrauit ut simul cum Iacobo decollaretur. Iacobus igitur cum Iosia ductus ad locũ supplicij, antequã decollaretur, rogauit spiculatorem, ut aquę illi facultas fieret. & allata est ei lagena plena cum aqua. Quam accipiens Apostolus: Credis (inquit) in nomine IESV Christi, filij Dei? At ille dixit: Credo. Et perfudit eum Iacobus, & dixit: Da mihi pacis osculum. Cumq́ osculatus esset eum, posuit manum super caput eius, & benedixit eum, & fecit signaculũ crucis Christi in fronte eius. & haud mora, ceruicem spiculatori porrexit. Post & Iosias, perfectus iam in fide, martyrij palmam exultans accepit, pro eo quem in mundum nobis saluti Deus ęternus miserat: Cui sit honor & gloria, in sęcula sęculorum.

FINIS LIBRI QVARTI HISTORIAE APOSTOLICAE.

LIBER QVINTVS HISTORIAE

Apostolicæ, de rebus à sancto Ioanne euangelista gestis, autore Abdia Babyloniæ episcopo, & Iulio Africano interprete. B



IOANNES Iacobi superioris frater germanus, sed minor natu, Zebedæo patre, cum piscaretur, uocatus à Christo fuit: quem postea non solũ ad Apostolatus culmen euexit, sed præcipuo quodam amore complectebatur. Vnde & in monte cum se Christus manifestasset, & in horto cum caperetur, ex tribus unus fuit. Quin & in cœna postrema cum nouum illud testamentum salutis nostræ mundi Saluator conderet, proximè Christo assidens, in sinu eius reclinans obdormiuit. De quo & illud euangelista scribit, quòd mater Christũ rogauerit, ut filiorũ alter illi à dextris, alter à sinistris in regno cœlorũ sederet. Iacobũ nimirum, & istum ipsum Ioannem intelligens. Is, ut Christus in ligno crucis præcepit, uirginis matris Domini curam à passione magistri semper habuit: & communibus cum fratre Iacobo auspicijs, Iudæis Samaritanisq́ IESVM saluatorẽ prædicabat. Petro quoq́ subinde adhærebat. unde post resurrectionem, cum Dominus piscantibus ocurrisset, Ioannes agnitum prius Petro significauit. Accepto quoq́ spiritu sancto, cum Petro hora nona templum Hierosolymitanum

A ſolymitanum ingreſſus, Aeneæ paralytico & claudo ex utero matris ad ſpecioſam portam ſtipem petenti, ſanitatem contribuit. Secutus poſthęc iuſſa magiſtri, ut euangelium gentibus annunciaret, ex Palæſtina in Aſiam, atq; inde in Epheſum traiecit, ubi ad Domitia ni Cæſaris ætatem uſque Apoſtolico munere ſuo fungebatur, nonagenarius ferè, quod de illo in uita Chriſtus prædixiſſe uidetur. Nam cũ Chriſtus Petrum, ut ſe ſequeretur, iuberet, & Ioannes citius ſequeretur, quia moleſtè Petrum ferre uideret, qui ab ipſo etiam quæſiuerat, quid Ioannem facere uellet: Chriſtus ei reſpondit: Si eum manere in uita uellet, quoad ipſe ueniret, quid eius intereſſet? Quod diſcipuli non intelligentes uerbum, uana opinione, antequam ſpiritum adhuc ſanctum accepiſſent, Ioannem nunquam moriturum exiſtimarunt. Eſt igitur & hoc ipſum amoris Saluatoris in beatum Ioannem indicium nõ uulgare, quòd uita reliquos omnes ſuperauerit, & ut dictum eſt, ad Domitiani temporis ætatem uſq; in Aſia uerbum ſalutis populis adnunciarit, & paulopòſt defuncto Timotheo eccleſiam gubernare cœperit apud urbem Epheſum. Cui Proconſul loci cum edictum Imperatoris, ut Chriſtum negaret, & à prædicatione ceſſaret, legiſſet, beatus Apoſtolus intrepidè reſpõdit: Obedire oportere Deo magis quàm hominibus. Proinde nec Chriſtum Deum meum (inquit) negabo, nec à prædicatione nominis eius quieſcam, donec conſumpſero

Meminit Paulus quoque in epiſtola ad Gãlatas, ſe cũ Tito et Barnaba profectũ Hieroſolymã, atq; ibi Iacobo, Petro, et Ioanni dextrã porrexiſſe.

Euſebius lib. 3. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, Ioannẽ in Aſia euãgelizaſſe ſcribit.

B curſum miniſterĳ mei, quod à Domino ſuſcepi. Ad cuius reſpõſionem motus Proconſul, iuſsit eũ uelut rebellem, in dolio feruentis olei mergi. Qui ſtatim ut coniectus in æneo eſt, ueluti fortis athleta, unctus, non aduſtus, de uaſe exĳt. Ad quod miraculum Proconſul ſtupefactus, uoluit eum libertati ſuæ reddere: & feciſſet, niſi timuiſſet edictum Cæſaris: mitiorem igitur pœnam excogitans, in exilium eum relegauit, in inſulam quæ dicitur Pathmos. In qua & Apocalypſim, quæ ex nomine eius legitur, & uidit, & ſcripſit. Poſt mortem autem Domitiani, quia omnia illius decreta Senatus infringi iuſſerat, inter cæteros qui ab illo relegati fuerant, & ad propria remeabant, etiã ſanctus Ioannes Epheſum redĳt; ubi & hoſpitiolum, & multos amicos habebat. Plenitudine enim gratiæ diuinæ, & conuerſatione ſyncera cõmendatus, omnibus amabilis erat. In qua ciuitate ſeneſcẽs, etiam prędicationẽ uerbi diuini ſignis & uirtutibus cõfirmabat, ita ut tactu ueſtimẽti eius languentes ſanarentur, infirmi curarẽtur, cęci illuminarent̃, leproſi mundarent̃: deniq; dęmones paſsim ab hominibus expellerentur. Cũ ergo redĳſſet Epheſum Apoſtolus, rogabatur etiã uicinas inluſtrare prouincias, quo uel eccleſias fundaret, in quibus non erãt locis: uel in quibus erãt, ſacerdotes ac miniſtros inſtitueret, ſecundum quod ei de unoquoq; ſpiritus ſanctus indicaſſet. Cum igitur ueniſſet ad quãdam urbẽ haud longè poſitam omnib. eccleſiaſticis

Hoc Legẽdæ et Perionius falſò Romæ cõtigiſſe ſcribunt.

Relegatio Ioannis in Pathmum.

Reditus in Epheſum.

solenniter impletis, uidit iuuenem quendam ualidum corpore, & uultu elegantem, sed animo acrem nimis. respiciensq́; ad episcopum, qui nuper fuerat ordinatus: Hunc (inquit) summo studio tibi commendo, sub testimonio Christi, & totius ecclesiæ. Tum ille suspiciens, omnem se adhibiturum, sicut præcipiebat, diligentiam pollicetur. Sed iterum atq; iterum eadem sæpius repetens, iuuenem commendabat attentius, & posthæc Ephesum rediȷt. Tum uerò presbyter in domum suam adolescentem suscepit commendatum, & cum omni diligentia enutrit, amplectitur, fouet, ad ultimum etiam baptismi gratiam tradit. Posthæc iam uelut confidens gratiæ, qua fuerat communitus, paulo indulgentius habere iuuenem cœpit. Sed ille ubi immatura libertate potitus est, continuò per æquæuos, quibus luxus & desidia cordi est, amare uitia, & corruptæ uiæ incedere tramitem perdocetur. Et primo quidem conuiuiorum inlecebris decipitur, inde nocturnis eum furtis socium mali sibi, participemq́; consciscunt: post hæc iam ad maiora flagitia pertrahunt. Cum interea sensim iuuenis formabatur & instituebatur ad scelera, & qui esset acer ingenio, sicut equus effrenis & ualidus, duris morsibus obfirmatis, recti itineris lineam derelinquens, rectore contempto, rapido cursu totus fertur in præceps. Ita succedentibus sibi malis, ut desperationem quoque à Domino præstitæ salutis acceperit, dedignatur iam de paruis sceleribus cogitare, grandia quæque molitur: B & ex integro perditioni se tradēs, nulli inferior esse in flagitijs cupit. Denique illos ipsos qui prius magistri criminum fuerant, discipulos facit: & latronum ex his turmam, quibus ipse dux & princeps uiolentus præesset, instituit, & cum his omni crudelitate grassatur. Verùm tempore elapso, cum rei ita poposcisset utilitas, inuitatur iterum ad illam urbem Ioannes. Et cum cętera, quorū gratia uenerat, ordinasset: Age (inquit) ô episcope, depositum repręsenta, quod tibi ego planè & Christus commendauimus, ecclesia teste, quam regis. At ille obstupuit, primùm pecuniam putans à se reposci, quam non acceperat. Sed rursum considerabat, nec posse fallere Ioannem, nec quod non dedit, quærere: hærebat igitur stupens. Quem Ioannes hærentem uidens: Iuuenem illum (inquit) repeto à te, & animam fratris. Tunc grauiter suspirans senior, & in lachrymas resolutus: Ille, ait, mortuus est. Quomodo (inquit) uel quali morte? Domine (ait) mortuus est, quia pessimus & flagitiosus euasit, ad ultimum etiam latrocinium adgressus est: Et nunc adeò montem quendam cum multa latronum manu occupat. Quibus auditis, Apostolus uestem continuò, qua erat indutus, scindit, & cum ingenti gemitu feriens caput suum: Bonum te (inquit) custodem fratris animæ dereliqui. Sed iam nunc mihi equus paretur, & dux itineris. Et ita confestim ab ipsa ecclesia

Elegans historia de educatione iuuentutis bona.

A

A ecclesia ascendens, eò concitus properabat. Cumque peruenisset ad locum, attinetur ab his latronibus, qui custodias obseruabant. Sed ille neque effugere, neque prorsus declinare usquam nitens, ingenti tãtum uoce clamabat: Quia ad hoc ipsum ueni, adducite mihi Principem uestrum. Qui cum ueniret armatus, eminus agnito Ioanne apostolo, pudore tactus, in fugam uertitur. Ille equo post eum admisso, confestim insequitur fugientem, etiam ætatis oblitus, simul & clamans: Quid fugis ô fili patrem tuum? quid fugis inermem senem miser? noli timere, habes adhuc spem uitæ. Ego Christo rationem reddam pro te. Equidem pro te mortem excipio libenter, sicut & Dominus excepit pro nobis, et pro tua anima dabo animam meam. Sta tantum, & crede mihi, quia Christus me misit. At ille audiens, restitit, ac uultum demisit in terram: post hoc arma proiecit, tremefactusque flebat amarissimè. Et accedentis ad se senis genubus prouolutus, gemitibus ac ululatibus quibus poterat satisfecit, denique uberrimis lachrymarum suarum fontibus iterum baptizatur, occultans solam dexteram suam. Apostolus uerò iurisiurandi sacramento se ei à Saluatore impetraturum ueniã pollicens, simulque genibus eius prouolutus, atque ipsam dextram, ex cuius cædis conscientia torquebatur, tanquam iam per pœnitentiam purgatam, deosculans, ad ecclesiam reuocat, & indesinenter pro eo orationes profundens: & cum ipso pariter ducens crebra ieiunia, in-
B dulgentiã à Domino, quã ei pollicitus fuerat, expetebat. Sed & uarijs sermonũ consolationibus, ueluti quibusdã præcantationibus, efferos & exterritos eius animos mitigabat. Nec prius abstitit, quàm eum in omnibus emendatum, etiam Ecclesiæ præficeret loci illius: præbens per hoc magna exempla ueræ pœnitentiæ, & documentum ingens nouæ regenerationis, atque insignia quædam & tropęa uisibilis in eo resurrectionis ostendens. Ita igitur cum plurimas urbes adijsset sanctus Ioannes, prædicans uerbum Dei, reuertitur Ephesum, quòd sibi finem uitæ adesse intelligeret. Apud Ephesum uerò in tanta gratia hominum exinde Apostolus semper extitit, ut alius manus eius gauderet contingeret, alius applicare eas oculis suis, & pectori admouere, si ita usus exposceret. Plerique etiam tactu uestis exhilarati, quia tetigerant amictum eius, sanabantur. Sed hæc sancta gaudia & piam celebritatem aduersarius ingemiscens, immunem fraudis esse non passus, interturbare conatus est, uas sibi ad nocendum eligens gentilis hominis, qui Deum nesciret: causam uerò arripiens, de pulchritudine fœminæ nobilis & Christianæ, Drusianæ nomine. adsciscebat quoque idem inimicus noster ad facilitatem prolapsionis, adolescentis ætatem. Adolescẽti nomen Callimacho erat. Is Drusianam cum uidisset, perditè adamare cœpit. Et quamuis Andronici nosset uxorem, etiam in adulterij crimẽ exæstuabat. Frequens erat sermo, & certa opinio,

S. Ioannis In Ephesum reditus.

Hanc de Drusiana historiã Perionius uix attigit quidẽ; et nuclẽũ omnino, ob quã cau

sam sit excogitata, omisit.

opinio, quòd ea fœmina Apostolicis intenta sermonibus, propter Dei cultũ uiro non cõmisceretur, clausaq; in sepulchro, ne ita quidem uicta in arbitriũ concessisset mariti. Quin etiã mori elegerat, quàm consuetudinẽ repetere coniugij, cũ præsertim maritus insisteret dicens: Aut reddes te mihi uxorẽ qualem antè prębebas, aut morte persequar repugnantẽ. Sed nec mortis timore reuocata est, nec à cõtemplatione cœlesti uel donis uel ullis illecebris reuocari potuit. Verùm hęc, amore insaniẽs adolescens, quem diximus, tametsi sciret atq; audiret, cũ reuocaret à plurimis, eo quòd nihil esset effecturus, contẽpsit, & cõfirmatã Dei uerbo, suo furore tentandam putauit, quę maritũ proprium etiam ad obseruantiã prouocauerat castitatis, coniugij copulam mentis tantũmodo caritate seruans. Itaq; cum cõpellasset fœminã, nuncio speq; potiundi deiectus, mœstiorẽ indies cœpit ducere uitã. Drusiana quoq; procaci interpellatione offensa, post biduũ in febrem incidit, dolens quòd ad patriã reuertisset, & tantum ex eius forma nefas exortum esset: Vtinã (inquit) uel in patriã nunq; redijssem, uel ille uerbo Dei instructus, in hũc se errorẽ non cõiecisset. Ego igitur quia causa tanti uulneris infirmę animę sum, solui me ab hac uita cupio, Domine IESV, ut euocata ancilla tua, quietius uitã miser proroget. Hæc pręsente Ioanne apostolo Drusiana dicebat: sed quò tenderet sermo, nec Apostolus, nec alij intelligebant. Tristis igitur ac mœsta, propter uulnus adolescentis illius, obijt diem. Mœstiorem quoq; maritum fecit, quia conturbatũ uxor eius habuisset exitum, & mœrore affecta, animã optasset absolui. Flebat igitur Andronicus, ita ut reprehenderetur ab Apostolo dicente: Ita ne fleueris, quasi ignores, quò illa concesserit. nescis illam conuersationẽ esse meliorem, quæ in cœlo est, ad quam sancta & fidelis Drusiana transiuit, exspectans spem resurrectionis à mortuis? Cui respondit Andronicus, se non diffidere quòd resurrectura sit Drusiana, nec mutare fidem: sed putare, qui purè huius uitæ confecerit cursum, ille saluetur. Sibi autem hoc dolori esse, quòd cognouerit latentẽ quendam mœrorem subijsse sorori suæ (ita Drusianam appellabat) cuius causam cognoscere ex illa nunquã potuerat, nec humato iam corpore sciret. Et cum interrogasset Apostolus Andronicum secretò, quæ causa fuisset: residens paulisper præsentibus fratribus omnibus qui conuenerant, alloquio dulci Apostoli frui cupientes, in hæc uerba locutus est. Gubernator nautis & omnibus qui nauigant, & ipsi etiam naui, cum eam in portu constituerit, ac fideli commiserit stationi, tunc ualedicit. Sic agricola cum dederit terræ semen, & multo labore nouale exercuerit, diligentiam exhibuerit, detulerit custodiam, tunc requiem laboris accipit, cum in apothecis multiplicatam messem locauerit. Præterea qui currit in stadio, tunc exultat, cum brauium acceperit. Qui athletarum

Elegans & plena grauissimi argumẽti disputatio, de uita humana, & eius fine.

more

A more decertare parat, tunc gaudeat, cum coronam acceperit. Omnes postremò, qui diuersis artibus student, & operibus incūbunt, in fine muneris uel operis Deum meritò laudant omnes, quòd destituti non sint, sed iustificati iuxta promissum Domini, quòd sanctis suis dignatus est polliceri. Quod non cōuenire arbitror, ut unusquisq; tunc fidem suam, quam exercet, probatam sciat, cum explens uitalis muneris cursum, purum reddat quod sibi creditū est. Multa sunt enim quæ fidem facile singulorū frangant, & quasi turbationem quandā inferunt humanæ cogitationis solicitudini: filij, parentes, gloria, paupertas, adulatio, iuuētus, pulchritudo, iactantia, cupiditas diuitiarum, prelatio, negligentia, inuidia, dissimulatio, iniuria, amor, tristitia, possessio serui, patrimonium, occasio, & alia huiuscemodi impedimenta, quæ obsistere solent: sicut gubernatori currenti cursum propriū, uentus frequenter exortus occurrit, & properantem retardat, & tempestatem excitat & procellas. Agricolæ quoq; adultā spem tristior ludit euentus: ita etiam, priusquam uitę huius aliquis exitum subeat, effectū prospicere debet, et qualem sit habiturus, addiscere: uidelicet, uigilantem'ne ac sobriū, & cui nihil impedimenti possit adferri, an uerò conturbatum & obligatum uoluptatibus sæcularibus. Sicut enim laudat corporis decorem nemo, nisi cum omnia deposuerit indumenta: nemo ducem, nisi eum qui gloriose uniuersum bellum cōfecerit: nemo medicum, nisi eū qui curauerit ęgritudines uarias: ita nemo potest laudare uitā, nisi is qui plenum fidei animū, & templo Dei dignā carnem suam præstiterit: quæ non ipso cursu uana specie dissoluta corruerit, nō obstupefacta & hebetata rebus humanis sit, neq; inclinata ad temporalia, neq; perpetuis caduca prętulerit, & non manentibus manentia cōmutarit, neq; honorauerit quę honorificanda nō sunt, neq; deniq; amauerit plena opera cōtumelijs: & qui pignus satanæ non acceperit, aut intra pectus suū serpentē clauserit: qui nō riserit non ridenda, uel opprobrium non erubuerit pro Christo. Est etiā qui uerbo aliquid dicit, & opere negat. Nō igitur lubricā carnem prestare unusquisq; suā debet, ne uas faciat immūdicię: sed talē quę nō sordida exuratur libidine, non immūditia uincatur, non auaritia superetur, nō cupiditati pecunię subiuget, non ferocia corporis dometur, non ira & indignatione prodatur, non absorbeatur tristitia, nō ludicris quibusdā in hac uita actibus eneruetur: sed ea quę fidem in IESVM Christū Dominū nostrū adaugent et prouehunt, suscipiat, ut uitā recipiat ęternā, pulcherrimum prēmiū pro illis quę in hoc sęculo despexerit. Hęc cum adhortationis gratia sanctus Apostolus disseruisset grauiter, ut fratrum animos prouocaret ad cōcupiscenda æterna, & cōtemnenda temporalia: is tamē de quo diximus adolescens, qui Drusianā adamabat, cæcū pectore uulnus alens, suo indies magis magisq; consumeba-

B

tur incendio, quod nec mulieris potuit morte restingui. Nec mirũ A
si nullam accipiebat Ioannis sermone medicinam, qui negligens audiendi, non remedium uulneri adhibere quærebat, sed scelus quotidie immane desiderabat augere. Itaq; accidit postea mortua Drusiana, atq; sepulchro illata, cum in mortuam adhuc Callimachus deperiret, Procuratorem Andronici precio corrupit, ut sibi tumulum in quo Drusiana condita erat, reseraret, corporisq; adamatæ copiam faceret. Quod ubi procliuè tandem impetrauit, tentabat inlicitum nefas corpori inferre defuncto. In quod non repentino quodam motu, sed furiosa quadam meditationis amentia latus: Etsi uiua (inquit) coitus noluisti mecum subire consortium, mortuæ eam tibi tamen inrogabo iniuriam. Ita adhibito flagitij procuratore, adolescens furens cum sepulchrum fuisset ingressus, corpus primò inuolutum pannis exuere cœpit. Subiecit procurator sceleris immanis: Quid profecisti infelix Drusiana, negando uiua quod mortua sustinebis? Ita sermone pariter atq; opere geminabatur scelus. Et cũ iam sublatis propè omnibus exuuijs sepulturæ, solum genitalis partis superesset uelamen, cõmixtionem inlicitam molitur immani iuuenis libidine furens. Et ecce subitò, incertum unde, ingens serpens occurrit, cuius uno saucius morsu, sed magis diro furentis terrore perculsus, corruit iuuenis, ita ut ueneni frigore subitò omnis eius uis euanuerit. supra quẽ statim serpens lapsum ascendens quiescebat. Sequenti uerò die, qui erat tertius à die mortis Drusianæ, cum sanctus Ioannes, & uir mulieris Andronicus, matutinis horis ad tumulum conuenissent, ut sacra celebrarent, ecce claues non inueniebantur. Quocirca Ioannes: Rectè, inquit, claues sepulchri perierunt, quoniam Drusiana in sepulchro inter mortuos non est. uerùm ingrediamur, sponte fores aperientur. Non enim dubitare possum de Domini misericordia, quin & hoc conferat nobis, qui multa concesit. Cum igitur appropinquassent sepulchro, subitò præcepto Ioannis apertæ sunt fores: & iuxta sepulchrum Drusianę uidimus speciosum adolescentem, adridentem. Quem uidens Ioannes, cum clamore ait: Et hic nos præuenis Domine IESV Christe? Qua causa igitur uenisti Domine? Et audiuimus sono uocis exprimi: Propter Drusianã, quam habes nunc resuscitare: & propter illum qui propior sepulchro eius exanimatus iacet: qui & honorificabunt propter me Deum. Et hæc cum dixisset bonus ad Ioannem, in cœlum, uidentibus Ioanne & cæteris, reuertebatur. Conuersus autem Ioannes, cum uidisset duo iacentia prope sepulchrum corpora, quorum unum Callimachi erat, qui princeps Ephesiorum erat, supra cuius corpus serpens cubabat immensus: alterũ uerò corpus erat Fortunati, qui procurator fuerat Andronici: Intuens igitur utriusq; corpus, cogitabat secum ipse, & dicebat: Quid sibi uult hęc species, & quare mihi

Nota horrendũ scelus.

Ex his apparet, Abdiã hanc historiã scripsisse ex relatione alicuius qui rebus à S. Ioanne gestis interfuerat.

A re mihi Dominus non demonstrauit quæ hic gerebãtur, qui nunquam dedignari solet? Verùm Andronicus cum semi nudum corpus Drusianæ uidisset, cum uno tantum uelamine iacere in sepulchro, illos autem duos mortuos, ait ad Ioannem: Intelligo quid factum sit, ô Ioannes. Nã iste Callimachus iuuenis adamauerat Drusianam, dum uiueret. & cum esset eius petitum refutata, nihilominus tamen mulierem non desinebat incessere. Verùm frequentis repulsæ dolore commotus, Procuratoris mei amicitiam ambiuit, ut eius opera ad usus nefandos uteretur. Quin aiunt eum crebrò uiuente Drusiana dixisse, si non posset concubitu eius potiri uiuentis, iniuriam tamen defunctæ esse facturum. Et fortasse, Ioannes, propterea bonus iste uelauit eius reliquias, ne scilicet corpus pateretur iniuriam. Et ideo arbitror istos morte mulctatos esse, quia immanes ausus flagitij tentauerunt. Puto etiam ideo hanc ad te factam esse uocem, resuscitandæ Drusianæ, quòd cum mœrore & tristitia uitæ istius exitum immaturè clausisset, dolens quòd iuuenem formæ suæ culpa affecisset. Quæ igitur causa, ut cum tria uideamus corpora, de duobus tantum resuscitandis facta uox sit, de tertio autem siluerit: nisi quòd reformari Drusianam Dominus uoluerit, ex eo quòd cum mœrore decesserat, ut diem suum cum trãquillitate componeret. Hic quoque iuuenis, quam causam ueniæ habet, nisi quod uideatur ipse, tanquam unus de errantibus, esse



B deceptus. Tertius autem, puto quòd indignus beneficio Domini nostri IESV Christi existimetur. Accingere igitur Ioãnes obsecro, & primo omnium Callimachum resuscitato, ut ipse nobis quæ gesta sunt, prodat. Accedens autem Ioannes iuxta corpus defuncti iuuenis, dixit serpenti: Discede ab eo, quia seruiturus est Domino nostro IESV Christo. & statim recessit serpens. Quo facto, procumbens humi, precatus est Dominum in hæc uerba: Deus, cuius gloria honoratur à nobis, qui omnem operationem inferiorem domas: Deus, cuius uoluntas uirtute tua consumatur, propter gloriam tuã, exaudi nos: & nunc consummetur in isto iuuene gratia tua. Et si qua facta sunt per istum iuuenem, hęc nobis surgente eodem, demonstrato. Et statim iuuenis surgens, integram horam requieuit. Sed ubi ad uigorem sensus sui reuersus est, interrogatur à Ioanne, ut causam sui aperiret. Ita ingressus rem omnem explanauit, quemadmodum suprà Andronicus intimauerat. Amorem sibi Drusianæ causam fuisse, ut nec à desiderio mortuæ temperarit, Qui interrogatus rursum à Ioanne, utrum nunc temeritatis suę circa reliquias plenas uenerationis & gratiæ, aliquem habere potuisset effectum? Respondit: Quomodo aliquid poteram uel audere, uel facere, cum talis bestia repentè in me irruisset, quę Fortunatum uulnere etiam perculit, qui incentiuum addiderat huius insaniæ, quę uidebatur iam posse quiescere. Mihi autem illud causa mortis fuit,

Plena grauitatis oratio ad Deũ.

fuit, quod cum animi quadam dementia, & plane infœlici languore correptus, detraxissem defuncto corpori exuuias, ac discedens paulisper, me iam ad impium facinus præparabam, quo uolebam cum defunctæ corporis reliquijs conuenire: ecce uidi, quemadmodum speciosus iuuenis corpus Drusianæ sua ueste uelabat, à cuius facie scintillæ ignis resiliebant in totum sepulchrum. Ex quibus una in me ueniens, uocem dedit: Callimache morere, ut uiuas. Quis fuerit homo iste, nescio. Sed quia te uideo hic Dei seruum, & nunc apparuisti mihi, cognosco & illum angelũ Dei fuisse, & noui quia uere à te Deus adnũciatur. Vnde rogo & deprecor, ne me in hac ęrũna relinquas. Scio enim atq; reminiscor quæ gesserim, & quàm indigna tentauerim. Et ipse animo mœreo. utinam uiscera mea reserare posses, & uidere interiorẽ mei sensum doloris. Deniq; mœreo, quod nequaquã à tantis flagitijs tentauerim * Sed huius mœroris à te expecto medicinam: qui ut es Dei omnipotentis prædicator, cuius est filius uerus Dominus noster IESVS Christus, ita à te uerbum eius cupio scire. Nec dubito, si manum porrigas, ut & uocis eius compleatur ueritas, quę dicebat, Oportere me mori ut uiuerem. Mortuus sum autem ille insolens, sed resuscitatus sum mitis atq; mansuetus. mortuus sum gẽtilis, sed resuscitatus sum Christianus. cognosco iam quidem ueritatem, sed peto ut plenius mihi tuis magisterijs reueletur. Quibus uerbis lætatus Apostolus: Et quid agam (inquit) Domine IESV Christe, nescio. Obstupui in excessu meo, tantam tuam esse misericordiam: simul insolitam quandam patientiam tuam recognosco. Hæc cum dixisset, benedicens Dominum, apprehendit Callimachum, & osculatus est eum, dicens: Benedictus Dominus Deus, & filius eius IESVS Christus, qui tui misertus est, & à furore atq; dementia mortis specie liberauit, qui illa tua refrigerauit incendia, qui occasionem culpæ ademit, qui uesanæ libidinis tentamina succidit, qui iam mortuum peccato rursum reddidit uitæ, ut in Domini nostri IESV Christi fide gratiáq; requiescas. Vides quanta multitudo ad ministerium nostrum, & ad salutem tuam uenerit. Andronicus autẽ ubi uidit Callimachum resuscitatum, uiscera maritali resolutus affectu, rogare cœpit Apostolũ, ut Drusianam quoq; resoluta morte reuocaret, dicens: Oportere eam resurgere, ut tristitiam exuat, cui iam mortua uidebatur, mœrorem quo posit absoluere: eo quòd doluit occasione formę suę iuuenem esse deceptum. Rogat ergo ut & ipsam resuscitaret, & quando uellet Dominus, iterum auocaret eam. Motus itaq; Ioannes, & petitione uiri, & modestia Drusianæ, accedẽs ad sepulchrum, & manũ eius tenens, cum Dominum esset deprecatus: Drusiana (inquit) surge in nomine IESV Christi Domini nostri, surge in gloria eius. Quæ surgens ascendit de tumulo. & cum uidisset se nudam, in illo tenui tantum uelamine, causam quæsiuit.

Nota admirandam historiam.

Quam

A Quam ubi ab Apostolo cognouit, honorificauit Dominum, ac se induit. Deinde respiciens Fortunati corpus iacere, ait ad Ioannem: Pater, & hic resurgat quæso, quãuis funeris mei se præbuerit proditorem. Quod ubi audiuit Callimachus, rogare cœpit, ne hominem improbum resuscitare uellet, cuius incentiuo præcipitatus sit in furorem, quòd hunc etiam quam audierat gratia non contigerit, eo quòd de se tantum & Drusiana resultauerit uenerabilis illius uocis oraculum: Dignum (inquit) morte iudicauit, quem dignum resurrectione non prodidit. Cui respondit Ioannes: Non didicimus fili, malum pro malo reddere. Nam & nos peccatores sumus, qui grauia commisimus, & per Dominũ nostrum IESVM Christum consecuti sumus misericordiam, qui non putauit mala pro malis esse reddenda, sed pœnitentia & conuersione sepelienda delicta. Sed si mihi non permittis ut Fortunatus resurgat, Drusianæ hoc munus atque opus erit. Quæ repleta spiritu sancto, accedens ad corpus Fortunati, ait: Domine omnipotens, qui concessisti ut hæc tam miranda opera tua cernerem, qui me consortem nominis huius esse uoluisti: qui denique contulisti mihi ut non solum te ipsa cognoscerem, sed etiam maritum consortio quodam germanitatis agnoscerem: qui mortem elegisti meã, ut separata paulisper à corpore, magis essem tua: qui iuuenẽ istum obire iussisti, ut in eo culpa moreretur, uita repararetur: Et nunc igitur Domine, ne despi-
B cias preces famulæ tuæ: iube Fortunatum resurgere, etsi proditor meus esse tentauerit. Et adprehendens manum eius, inquit: Surge Fortunate in nomine IESV Christi, Domini & Dei nostri. Qui cum surrexisset, & uidisset Drusianam resuscitatã, Callimachum Domino credidisse, ingratus salutis suæ, ait: Mori sibi melius fuisse quàm resuscitari, ne uideret quod etiã ad illos uirtutis gratia perueniisset. Quẽ aspiciens Ioanues ait: Hoc est quod Dominus in Euangelio locutus est, quia arbor mala malos fructus facit. Malæ enim radicis succus inoleuit, & ideo non potest bonus fructus succo degenerante concrescere. Nihil hic communis natura deliquit, sed radicis totum est uitium. Eadem omnes arbores fœcunditate, & quasi quodam gremio parentis ac sinu fouet terra mater, ac prouehit: eiusdem quoque aeris temperie ager omnis utitur. Dominus quoque omnipotens pari usu omnia imbre perfundit, & eodem sole tepefacit secreta terrarum & ligna syluarum: sed diuersus est fructus, uariusque prouentus arborum singularum. alia sterilis est, alia fœcunda. Atqui in illa sterili, radix uitij causa est, quæ terrenæ ubertatis & cœlestium beneficiorum gratiam sentire non potuit. Similiter autem omnes homines Deus noster ad imaginem suam fecit, hoc est, ad illam diuinam gratiam prouocauit, ut misericordiam, uirtutem, pietatem atque iustitiam, & cætera quæ in Deo laudamus, & nos imitari debemus: suũ oriri iussit solem, & omnibus Dominus

noster IESVS Christus aduenit, omnibus crucifixus est, omnibus A
surrexit. Sed hoc tantum munus ac donum Dei patris, qui pro nobis tradidit filium suum, itemq; Domini nostri IESV Christi, qui se pro nostra redemptione obtulit, pauci usq; ad finem uendicant. Alij fastidiunt, & oblatam salutem recusant, dum nolunt credere auctorem salutis. Pleriq; etiam, dum inuident gratiæ diuinæ, quæ operatur in nobis, se hoc cœlesti fructu abdicant: ut iste miser inuidia deceptus, nec redditæ sibi uitæ munere gratulatur. habet igitur carbones suos, habet & fructum malæ arboris, quē accendat ignis, & suis se consumit incendijs. Separetur radix huiusmodi à fidelium conuersatione, & ab omni opere timentiū Deum, ab omni deuotorum munere, à congregatione sanctorum, & à communione sacramentorum. Non habeat communionem cum uiuente Drusiana, cuius & mortem iniuria dignam putauit, & uitam inuidia ferre non potuit. Nos autem communionem quā deferebamus mortuæ, uiuenti impertiamus. Ita gratiarum Domino nostro IESV Christo actione celebrata, domum Andronici Apostolus repetiuit: ubi suggerente sibi spiritu, fratribus ostendit, Fortunatum uulneratum denuò à serpente esse. iussitq; citò aliquē dirigi, qui nunciaret fidem ueri. Vnum igitur ex iuuenibus destinarunt, qui regressus uidit eum iam frigidū, & per corpus eius uenena serpentia. Sed ubi nunciatum esset Ioāni, quòd intra tres moriturus esset horas, ait: Habes filium tuum diabole. & illam diem cum fratribus lętum exegit. Altera uerò die Craton philosophus in foro propo- B
suerat, de contemptu diuitiarum exempla se editurū. Erat autem spectaculum huiusmodi. Duos iuuenes persuaserat, ditissimos ciuitatis fratres, ut distracto patrimonio, gemmas emerent singulas, quas in conspectu plebis publicè fregerunt. Quod dum facerent illi, contigit ut transiret fortè Apostolus. Qui uocans ad se Cratonem philosophū, ait: Stultus est iste mūdi contemptus, qui hominum ore laudatur, diuino iampridem iudicio condemnatus. Sicut enim uana medicina est, ex qua non abscinditur morbus: ita uana doctrina est, ex qua non uitia curantur animarum & morum. Atqui magister meus iuuenem cupientem ad uitam æternam peruenire, his uerbis instruxit, quibus diceret: Vt, si uellet perfectus esse, uenderet omnia sua, & daret pauperibus: quo facto, thesaurum in cœlis acquireret, & uitam quæ finem non habet inueniret. Ad quem Craton: Humanæ, inquit, cupiditatis fructus in medio hominum positus, cōfractus est. Sed si uerè Deus est magister tuus, & uult hoc fieri, ut pauperibus erogetur census precij harum gemmarum, fac reintegrari species, ut quod ego feci ad famam hominum, tu facias ad gloriam eius, quē tuum magistrum esse commemoras. Tunc beatus Ioannes colligens fragmenta gemmarum, illaq; manu retinens, eleuauit oculos ad cœlum, & dixit: Domine
IESV

A IESV Christe, cui nihil impossibile est, qui fractum mundum per lignum concupiscentiæ, rursus per lignum crucis tuæ, in tuis fidelibus restaurasti: qui nato cæco oculos, quos natura negauerat, reddidisti: qui mortuum Lazarum, & sepultum, post quartum diem ad superos reuocasti, & omnes morbos omnesq; ægrimonias, uirtutis tuæ uerbo subiecisti: adesto nunc super istos lapides preciosos, quos ignorantes fructus eleemosynæ ad plausus hominũ confregerunt: tu Domine, per manus angelorum tuorum modò recupera, ut precio eorum misericordiæ usus expletus, faciat credentes tibi ingenito patri per unigenitum filium tuum, Dominum nostrum IESVM Christum, cum sancto spiritu illuminatore & sanctificatore totius ecclesiæ, in sæcula sæculorum. Cumq; respondissent fideles, qui cum Apostolo erant, & dixissent, Amen: ita mox sunt solidata fragmenta gemmarum, ut nec signum aliquod in his quòd fractæ fuissent, remaneret. Quæ Craton philosophus cum suis discipulis cernens, pedibus Apostoli aduolutus, credidit exinde, & baptizatus est cum omnibus, cœpitq; & ipse fidem Domini nostri IESV Christi publicè prædicare. Itaq; duo fratres illi, quos diximus, uenundantes gẽmas, quas uendito patrimonio suo emerãt, pauperibus tradiderunt: & cœpit de reliquo infinita turba credentium adhærere Apostolo. Quæ cum fierent, accidit ut eodem exemplo duo honorati ciuitatis Ephesiorum, omnia sua uenderent, & egentibus distribuerent, sequentes Apostolum per

B ciuitates euntem, & uerbum Domini prædicantem. Hi cum Pergamum urbem ingrederentur, uiderunt seruos suos sericis indutos uestibus, in publicum procedentes, & in gloria sæculari fulgentes. Vnde factum est, ut sagitta diaboli percussi, tristes efficerẽtur: quòd se in uno pallio uiderent egentes, suos uerò seruos potentes atq; fulgẽtes. Sed hos dolos diaboli intelligẽs Apostolus Christi, ait: Video uos & animos mutasse, & uultus, propter hoc quod doctrinã Domini mei IESV Christi secuti, omnia quæ habere potuistis, pauperibus cõtulistis. Vnde si uultis recuperare omnia, quæ in auro, argento & lapidibus preciosis quondam habebatis, deferte mihi uirgas rectas in singulis facibus. Quod cum fecissent, inuocato nomine Domini IESV Christi, conuersę sunt in aurum. Et dixit ad eos Apostolus: Adferte mihi lapides minutos à littore maris. Quod cum & ipsum fecissent, inuocata maiestate Domini, conuersi sunt in gemmas lapilli omnes. Et conuersus ad uiros istos beatus Ioãnes: Circuite (inquit) aurifices & gemmarios per dies septem, & cum probaueritis aurum uerum & ueras gemmas esse, nunciate mihi. Euntes autem, ambo post septem dies reuersi sunt ad Apostolum, dicentes: Domine, omnium aurificum officinas circuiuimus, qui omnes dixerunt, tam purũ aurum se nunquã uidisse. Sed & gemmarij eadem dixerunt, tam optimos lapides &

preciosos se nunquam uidisse. Tunc dicit eis sanctus Ioannes: Ite, A & redimite uobis terras quas uendidistis, quia cœlorum prædia perdidistis. Emite uobis sericas uestes, ut pro tempore fulgeatis sicut rosa, quæ odorem & ruborem ostendens, repente marcescit. suspirastis enim in uestrorum aspectu, & uos effectos pauperes gemuistis: estote ergo floridi, ut marcescatis: estote diuites temporaliter, ut in perpetuo mendicetis. Nũquid non ualet manus Domini, ut faciat diuitias affluẽtes, & incõparabiliter splendentes? sed certamẽ statuit animorũ, ut credant se æternas habituros diuitias, qui pro eius nomine temporales opes habere noluerunt. Denique narrauit nobis magister noster de quodam diuite, qui epulabatur quotidie, & fulgebat in auro & purpura. ad cuius fores iacebat mẽdicãs Lazarus, quę cupiebat uel micas quę de mensa eius cadebãt, accipere: & nemo illi dabat. Contigit autem, ut una die ambo deficerent, & ille mendicus duceretur in requiem quę est in sinu Abrahę, diues autem mitteretur in flammam incendij. Vnde eleuans oculos, uidit Lazarum, & rogat ut intingat digitum in aquam, & refrigeraret os suum, quo cruciaretur in flammis. Cui respõdens Abraham dixit: Memento fili, quia recepisti bona in uita tua: Lazarus autem hic similiter mala. Quare meritò iste nunc consolatur, cum tu torqueris. Et in omnibus chaos magnum inter uos & nos firmatum est, ut neque inde huc, neque hinc illuc transire possint. At ille respondit: Sunt mihi quinque fratres, obsecro ut surgat aliquis, B qui moneat eos, ne ueniant in hanc flammam. Cui Abraham ait: Habent Moysen & Prophetas, audiant eos. Ad hęc ille respondit: Domine, nisi resurrexerit aliquis, non credũt. Cui dixit Abraham: Si Moysi & Prophetis non credunt, neque si aliquis resurrexerit, fidem habebunt. Hos autem sermones suos Dominus & Magister noster, uirtutũ firmabat exemplis. Nam cum dicerent ei, Quis inde huc uenit ut credamus ei? Respondit ille: Deferte huc mortuos quos habetis. Cumque adportassent coram illo adolescentem mortuũ, ueluti dormiens excitatus est ab eo, & dabat fidem cunctis sermonibus suis. Sed ut quid ego de Domino meo referam, cũ in pręsenti sint, quos in eius nomine & uobis præsentibus atque aspicientibus à mortuis excitaui? In cuius nomine & paralyticos curatos uidistis, leprosos mundatos, & cæcos inluminatos, & multos denique à dæmonibus liberatos. Sed has uirtutum opes habere non possunt, qui uoluerint diuitias habere terrenas. Denique uos ipsi quando ad infirmos intrastis, inuocato nomine IESV Christi, saluati sunt illi. Fugastis dæmonia, & cæcis lumina reddidistis. Ecce ablata est hæc gratia à uobis, & facti estis miseri, qui eratis fortes & magni. Et cum tantus esset timor in dæmonijs, ut iussu uestro obsessos homines derelinquerent: modò uos timebitis dæmonia. Amator enim pecuniæ seruus est Mammonæ. Mammona autem

Elegans & plena grauitatis S. Ioannis disputatio cõtra diuitias.

A dæmonis nomē eſt, qui lucris carnalibus prẹeſt, & dominator eorū qui diligunt mundū. Ipſi autem amatores mundi nō poſsident diuitias, ſed ipſi à diuitijs poſsident. Abſurdū enim eſt, cū ſit unus uenter, cui tot cibi reponātur, qui mille uentribus ſatisfacerēt: & uni corpori tot ueſtes, quẹ mille hominū corporibus prẹbere indumēta ualeant. Sic fruſtra, quod in uſum nō uenit, cuſtodit: & cui cuſtodiatur, omnino neſcitur, dicente ſancto Spiritu per Prophetā: Vanè cōturbatur omnis homo, qui theſaurizat, & ignorat cui congreget ea. Nudos nos fuderunt in lucē partus mulierū, egētes cibi & poculi: nudos nos recipiet terra, quos edidit. In cōmuni poſsidemus cœli diuitias, ſplendor ſolis diuiti & pauperi æqualis eſt, ſimiliter lunæ lumen & ſiderum. Aeris quoq; temperies, & pluuiarum guttæ: & eccleſiæ ianua, & fons ſanctificationis; et remiſsio peccatorum, & participatio altaris, & eſca corporis & potus ſanguinis Chriſti, & chriſmatis unctio, & gratia largitoris, & uiſitatio Domini, & indulgentia peccati: hæc omnia abſq; perſonæ acceptione, æqualis eſt diſpenſatio conditoris. Neq; aliter diues, aliter pauper his donis utitur. Sed miſer & infœlix homo, qui uult plus aliquid habere quàm ſufficit. Naſcunt enim hinc calores febrium, rigores frigorum, dolores uarij in cunctis corporum membris. Et neq; eſca cibari poteſt, neq; poculo ſatiari, ut cognoſcat auiditas non ſibi pecunias profuturas: quæ repoſitæ, cuſtodibus ſuis ſolicitudinem

B diurnam nocturnamq; incutiunt, & nec unius horæ ſpacio quietos aut ſecuros eſſe patiuntur. Nam dū cuſtodiuntur, fures inſidiantur: dū poſſeſsio colitur, dum aratris intendunt, dū ſoluunt uiſcalia, dum ædificant prōptuaria, dum lucris ſtudent, dū potentiorum impetus mitigare nituntur, dū minus potentes nudare cōtendunt, dum iras ſuas quibus poſſunt inferūt, & inlatas in ſe tolerare uix poſſunt, dū blandimēta carnis aſſentiunt, dū ludere tabulis & ſpectaculis nō perhorreſcunt, dum polluere & pollui nō metuūt, ſubitò exeunt de iſto ſæculo, nudi, ſola ſecū peccata portantes, pro quibus ſunt pœnas paſſuri perpetuas. Hæc dicente ſancto Ioanne Apoſtolo, ecce offerebatur iuuenis à matre uidua, qui triginta diebus elapſis uxorem primùm duxerat. Venientes autem turbæ quæ exequijs officia faciebant, ſimul cum matre uidua, coniecerūt ſe ad pedes Apoſtoli, eundem omnes pariter mugitum fletuſq; ac gemitum emittentes. Rogabant enim, ut in nomine Dei ſui, ſicut Druſianam, ita & hunc iuuenem mortuum reſuſcitaret. Tantus autem omnium tum extitit fletus, ut etiam ipſe Apoſtolus uix à fletu et lachrymis temperaret. Itaq; proſternens ſe in orationem, diutiſſimè fleuit. Et exſurgens ab oratione, expandit manus ſuas ad cœlum, intra ſe diutiſsimè orationi intentus. Hoc cum feciſſet & tertiò, iubet ſolui inuolutū corpus, & ait: O iuuenis Syrice, qui amore carnis tuæ ductus citò animam amiſiſti: ô iuuenis, qui neſciuiſti

Finis grauißimæ orationis B. Ioannis contra diuitias.

creatorem tuum, qui Saluatorem hominum non cognouisti, amicum uerò, & idcirco in insidias hostis pessimi incurristi: ecce pro ignorantia tua lachrymas Domino meo, simul & preces effudi, ut exsurgẽs à mortuis, lethi uinculo resoluto, istis duobus Attico & Eugenio adnuncies, quantã gloriam amiserint, & quantã incurrerint pœnã. Tũc exsurgens * Stacteus adorauit Apostolũ, & cœpit increpare discipulos eius dicẽs: Vidi angelos uestros flẽtes, & satanę angelos in uestra deiectione gratulãtes. Iam enim regnũ paratũ uobis, & ex coruscantibus gemmis zetas instructas, plenas gaudij, plenas epulis, plenas delicijs, plenas deniq; uita perpetua, & lumine æterno, paruo tempore amisistis: & acquisiuistis uobis loca tenebrarum, plena draconibus, plena stridentibus flammis, plena cruciatibus, & incomparabilibus pœnis, plena doloribus, plena angustijs, plena timore & tremore horrifico. Amisistis loca floribus immarcescibilibus plena, fulgentia, plena uocibus organorum: & acquisiuistis econtrà uobis loca, in quibus diu noctuq; nõ cessat mugitus, & ululatus & luctus. Nam nihil aliud uobis superest, nisi rogetis Apostolum Domini, ut sicut me resuscitauit ad uitam, ita uos quoq; resuscitet ab interitu ad salutem, & animas uestras quæ iam de libro uitæ deletæ sunt, iterum reducat. Quibus dictis, & ipse qui recens suscitatus fuerat, & omnis populus unà cum Attico & Eugenio, prosternebat se pedibus Apostoli, & exorabant ut intercederet pro his ad Dominum. Quibus sanctus Apostolus hoc dedit in responsis: ut per triginta dies Deo pœnitentiam offerrent, in quo spacio maximè precarentur, ut uirgæ aureæ ad suam naturam redirent, similiter & lapides ad utilitatẽ, qua nati fuerant, remearent. Factum est autem, ut triginta dierũ transacto spacio, cum uirgæ mutarentur, & petræ, uenientes Atticus & Eugenius, dixerunt Apostolo: Semper misericordiam docuisti, semper indulgentiam prædicasti, & præcepisti ut homo homini indulgeret. Et si hominem homini indulgere uult Deus, quanto magis ipsi, cum Deus homini & indulget & parcit, in quem peccatum nostrũ contulimus, & quod oculis concupiscentibus in mundo deliquimus, oculis flentibus pœnitemus. Oramus nunc igitur te Domine, oramus Apostole Dei, ut indulgentiam quam semper promisisti uerbis, factis tandem ostendas. Tunc sanctus Ioannes flentibus & pœnitentibus, uniuersis etiã pro his interuenientibus, dixit: Dominus Deus noster his sermonibus usus est, dũ de peccatoribus ageretur, ut diceret, Nolo mortem peccatoris, sed uolo potius ut conuertatur, & uiuat. Nam dum nos doceret de pœnitentibus Dominus IESVS Christus, ait: Amẽ dico uobis, quia magnũ gaudium est in cœlo super unũ peccatorem pœnitentem, & conuertentẽ se à peccatis suis: & amplior lætitia super illo est, quàm super nonaginta nouem, qui non peccauerunt. Vnde uos uolo scire, quia

Iam nomine duorum recẽset, qui diuitiarum cupidi, facti sunt apostatæ.

Descriptio inferni.

Pœnitentiæ uis, & eius dẽ ratio in primitiua ecclesia cuiusmodi.

A quia Dominus accipit pœnitentiam horum. Conuersusq; ad Atticum & Eugenium, dixit: Euntes reportate uirgas ad syluam, unde eas assumpsistis, quoniam ad suam iam sunt naturam reuersę: & lapides, quoniam petræ effectæ sunt, ut antè fuerant. Quod cum fuisset impletum, receperunt gratiam, quam amiserāt: ita ut iam iterum fugarent dæmones sicut prius, & infirmos curarent, & cæcos illuminarent, multasq; indies per eos uirtutes Dominus faceret. Dum hæc fierent apud Ephesum, & omnes indies magis magisq; Asiæ Prouinciæ Ioannem & excolerent & prædicarent, accidit ut cultores idolorum excitarent seditionem. Vnde factum est, ut Ioannem traherent ad templum Dianæ, & urgerent eum, ut ei fœditatem sacrificiorum offerret. Inter hæc beatus Ioannes inquit: Ducamus omnes eos ad ecclesiam Domini nostri IESV Christi, & cū inuocaueritis nomen eius, faciam cadere templum hoc, & comminui idolum hoc uestrum. Quod ubi factum fuerit, iustum nobis uideri debet, ut relicta superstitione eius rei quæ à Deo meo uicta est, & confracta, ad idipsum conuertamini. Ad hanc uocem conticuit populus: & licet essent pauci qui contradicerent huic definitioni, pars tamen maxima consensum attribuit. Tunc beatus Ioannes blandis alloquijs exhortabatur populum, ut à templo longè se facerent. Cumq; uniuersi exteriore parte foràs exissent, uoce clara clamauit: Vt sciat hæc omnis turba, quia idolum hoc Dianę uestrę

B dæmonium est, & non Deus, corruat cum omnibus manufactis idolis quæ coluntur in eo: ita tamen, ut nullam in hominibus lęsionem faciat. Continuò ad hanc uocem Apostoli, omnia simul cum tēplo suo idola ita corruerunt, ut efficerent sicut puluis, quē proiecit uētus à facie terræ. Itaq; conuersa sunt eadem die xij. milia gētilium, exceptis paruulis & mulieribus, & baptizati sunt à beato Ioanne, & uirtute consecrati. Quæ cum animaduerteret Aristodemus, qui erat pontifex omnium illorum idolorum, repletus spiritu nequissimo, excitauit seditionem in populo, ut populus contra populū pararetur ad bellum. Ad quē conuersus Ioannes: Dic mihi Aristodeme (inquit) quid faciā ut tollam indignationē de animo tuo? Cui Aristodemus: Si uis ut credā Deo tuo, dabo tibi uenenū bibere. quod cum biberis, & nō fueris mortuus, apparet uerū esse Deum tuum. Respondit Apostolus: Venenum si dederis mihi bibere, inuocato nomine Domini mei, nocere non poterit. Cui rursus Aristodemus: Volo ut prius uideas bibentes, & statim morientes, ut uel sic posit cor tuum ab hoc poculo abhorrere. Ad quē beatus Ioannes: Iā antea dixi tibi, quia paratus sum bibere, ut credas in Dominū IESVM Christum, cū me uideris post ueneni poculum sanum. Perrexit itaq; Aristodemus ad Proconsulem, & petijt ab eo duos uiros, de quibus debebat ultimum supplicium sumi. Quos cū statuisset in medio foro corā omni populo, aspiciente

Apostolo,

Apostolo, fecit eos bibere uenenum: qui mox ut biberũt, spiritum exhalauerunt. Tunc conuersus ad Ioannem Aristodemus: Audi me (inquit) & recede ab hac doctrina tua, qua à deorum cultura reuocas populum: aut accipe & bibe, ut ostendas omnipotentem esse Deum tuum, si posteaquam biberis, poteris incolumis permanere. Tunc beatus Ioannes, iacentibus mortuis his qui uenenum biberant, ut intrepidus & constans accepit calicem, & signaculum crucis faciens, ita locutus est: Deus meus, & pater Domini nostri IESV Christi, cuius uerbo cœli firmati sunt, cui omnia subiecta sunt, cui omnis creatura deseruit, & omnis potestas subiecta est, quem & metuit et expauescit. Itaq; nos te ad auxilium inuocamus, cuius audito nomine serpens conquiescit, draco fugit, silet uipera, & rubeta illa quæ dicitur rana inquieta torpescit, scorpius extinguitur, regulus uincitur, & phalangius nihil noxium operatur: denique omnia uenenata, & adhuc ferociora repentia & noxia animalia terebrãtur. Tu inquam ille, extingue hoc uenenosum uirus, extingue operationes eius mortiferas, & uires quas in se habet euacua: & da in conspectu tuo omnibus his quos tu creasti, oculos ut uideant, aures ut audiant, & cor ut magnitudinem tuam intelligãt. Et cum hæc dixisset, os suum, & totum semetipsum armauit signo crucis, & bibit totum quod erat in calice. Et posteaquam bibit, dixit: Peto, ut propter quos bibi, cõuertantur ad te Domine, & salutem quæ apud te est, te inluminante mereantur. Attendẽte autem populo, Ioannẽ per tres horas uultum habere hilarem, & nulla penitus in eo esse signa palloris, aut trepidationis, clamare uoce magna cœpit: Vnus Deus uerus est, quẽ colit Ioannes. Aristodemus tamen ne sic quidem credebat, populo obiurgãte hunc. Ille autem conuersus ad Ioannem, dixit: Deest mihi adhuc unũ, quod si istos qui hoc mortui ueneno sunt, in nomine Dei tui excitaueris, emundabitur ob omni dubio mens mea. Quæ cum dixisset, plebs insurgebat in Aristodemum, dicens: Incendemus te & domum tuam, si pergas ulterius Apostolum sermonibus tuis fatigare. Videns itaq; Ioannes acerrimè seditionem fieri, petijt silentium, & omnibus audientibus ait: Prima est, quam de uirtutibus diuinis imitari debemus, patientia, per quam ferre possumus incredulorum insipientiam. Vnde si adhuc Aristodemus ab infidelitate tenetur, soluamus nodos infidelitatis eius. Coget, quantũuis serò, agnoscere creatorẽ suum. non enim cessabo ab hoc opere, donec medela eius posit uulneribus opitulari. Et sicut medici, habentes inter manus ægrum medela indigentem: ita etiam nos, si adhuc curatus non est Aristodemus his quæ facta modò sunt, curabitur illis quæ iam faciam. Et conuocans ad se Aristodemum, dedit ei tunicam suam, ipse uerò pallio amictus cœpit stare. Cui ait Aristodemus: Vt quid tunicam mihi tuam dedisti? Ad quem Ioãnes: Vt uel sic confusus, à tua

Causa picturæ, quòd S. Ioannes cũ calice exprimitur.

A à tua infidelitate recedas. Et Aristodemus: Et quomodo (ait) me tunica tua faciet ab infidelitate recedere? Cui respondit Apostolus: Vade, & mitte eam super corpora defunctorũ, & dices ita: Apostolus Domini nostri IESV Christi misit me, ut in eius nomine exsurgatis, ut cognoscant omnes, quia uita & mors famulãtur Domino meo IESV Christo. Quod cum fecisset Aristodemus, & uidisset eos exsurgere, adorans Ioannem, festinus perrexit ad Proconsulem, & cœpit clamosa uoce dicere: Audi me, audi me Procõsul: meminisse te puto, quòd contra Ioannem frequenter irã tuam excitauerim, & multa quotidie contra eum sim molitus: unde uereor, ne iram eius experiar. Deus enim sub specie hominis latens, uenenum bibens, non solum incolumis perseuerat, sed etiam eos qui ueneno mortui fuerant, per manus meas, tunicæ eius attactu, ipse ille reuocaui ut uiuant, nulla secũ signa mortis habentes. Quæ audiens Proconsul: Et quid uis ut faciam? inquit. Respondit Aristodemus: Eamus, & aduoluti eius genubus, ueniam postulemus, & quidquid nobis ille iusserit, faciamus. Tunc uenientes simul prostrauerunt se, indulgentiam flagitantes. Quos ille suscipiens, orationem cum gratiarumactione obtulit Deo, præcepitq; eis unius hebdomadæ ieiunium: quo expleto, baptizauit eos in nomine Domini nostri IESV Christi, patrisq; eius omnipotentis, & inluminatoris Spiritus sancti. Qui cum baptizati fuissent cum uniuersis do-

B mibus & familijs suis, affinitatibusq;, fregerũt omnia simulachra, & fabricauerunt basilicam in nomine sancti Ioannis: in qua ipse Ioannes Apostolus adsumptus est hoc ordine. Cum esset annorum nonaginta septem, apparuit ei Dominus IESVS Christus, cũ discipulis suis, & dixit ei: Veni ad me, quia tempus est, ut epuleris in conuiuio meo cum fratribus tuis. Itaq; cum surrexisset Apostolus, addidit idẽ Dominus: Dominica resurrectionis meæ die, quæ post quinq; dies futura est, ita uenies ad me. & cum hęc dixisset, cœlo receptus est. Interea inlucescente Dominica, conuenit uniuersa multitudo ad ecclesiam, quæ in eius nomine erat exstructa. Ibi à primo pullorum cantu, cum egisset mysteria Dei, horam circiter diei tertiam, omnem populum in hæc uerba allocutus est: Conserui & cohæredes & comparticipes regni Dei, uidistis quæ Dominus IESVS per manus nostras opera facere dignatus sit. Nos quidem ministri fuimus uoluntatis illius: ille uerò auctor operum, quæ à nobis fieri uidebantur, extitit, illoq; iubente omnia fiebant. Quare illa signa, dona, requiem, ministerium, gloriam, fidem, communionem, munera, gratiam, quamdiu donauit ille, accepimus: quamdiu concessit, diuisimus. In illo conuersati sumus, in illo exultauimus, in illo uiximus. Sed nunc ad aliud is me opus uocat, quod cõsummari debet in Domino. Dissolui iam delectat, & esse cũ Christo: ut hoc quod olim desiderauimus, tribuere is tãdem dignetur.

Causa et origo, quòd templa sanctis Dei dicantur.

Nota plenã energiæ orationẽ S. Ioannis.

Græca uox est ἐξαγγύησις, id est, uadimoniũ, pignus.

Quid igitur iam uobis pro exangysi relinquam? Sed habetis eius A pignora, habetis depositum mansuetudinis eius atque pietatis. In uobis conuersetur illud, in uobis castè uiuẽtibus delectetur. In uobis præterea epuletur patrium cibum, ut faciatis uoluntatẽ patris qui in cœlo est. Denique in uobis coronetur ea laurea, quam ipse composuit his floribus, quos ipse proprio cruore uestiuit. Tu autem Domine IESV, ecclesiam tuam quam ædificasti tibi, misericordia tua benignè protege. Tu enim Domine solus misericors es, solus pius, solus saluator et iustus: qui radix es immortalitatis, & fons incorruptionis, consortium nobis huius communionis sanctifica.

Vides mysteriũ Trinitatis.

Et adiecit: Deus, qui solus es saluator, qui hanc plebem per gloriosam filij tui passionem acquirere dignatus es in libertatem, & commanentem in tuis præceptis, & abundantẽ in tuis bonis operibus, semper, quæso Domine, custodire digneris. Exaudi supplices serui tui preces, & dirige hanc plebem tuam, tibi dicatam, legibusque tuis seruientem, & quam adoptiuum tibi populum elegisti, insuper & filios uocare dignatus es. Dirige inquam, in præceptis tuis diebus ac noctibus gradientem, per benedictum unigenitũ filium tuum, qui nos elegit esse discipulos, & ouiũ tuarum pastores esse constituit: qui tecum pater uiuit, dominatur, & regnat, cum sancto Spiritu, in sæcula sæculorum. Et cum cõpleuisset orationem, petijt sibi dari panem: & respiciens ad cœlum, benedixit eum, & fractum erogauit omnibus, dicens: Pars mea sit uobiscum, & uestra mecum. Continuoque ad Byrrum ait (hoc nomen uiro erat) ut B adsumptis duobus fratribus, cum duobus cophinis & ferramẽtis, sequeretur se. Egressus igitur summa cum animi tranquillitate, præcepit ut plerique discederent. Et cum uenisset ad sepulchrum quoddam, unus de fratribus ait ad iuuenes quos Byrrus deduxerat: Fodite filioli. & illi fodiebant. Vrgebat uerò eos Apostolus, ut altius foderent. Et cum illi præcepto obedirent, hortabatur cæteros fratres, ut sequerentur Dominum, & singulorum affectus ædificabat Dei uerbo: ne uideret ipse, dum iuuenes foderent, feriari. Vbi autem, sicut uoluit, facta est fouea, nihil quoquam nostrûm sciente, exuit uestem, et strauit eam in illa fouea, & stans sola linea ueste tectus, extendensque manus Deum inuocabat, dicẽs: Deus pater omnipotens, & tu Domine IESV, qui seruum tuum speciali amore fouisti, qui adnunciatus es à Patriarchis, nominatus es per legem, redarguere & monere dignatus es per Prophetas: qui per Euangelium miseratus es, & peccata domasti: qui per Apostolos prouocasti, ut ad congregandum tuos populos conuenirent, quos sitientes uerbi tui fonte potasti, mitigasti asperos, & animi defectum replesti Spiritus tui gratia: suscipe tãdem Ioannis tui animã, quem citò elegisti, sed serò adsumpsisti. Tu Domine, qui seruulum tuum mundum à coniunctione fœminea præstitisti, te Domine rogo,

Ex his apparet, historiã primò fuisse descriptã ab aliquo, qui preb. omnibus, et morti S. Ioannis interfuerat.

Hæc est uera collecta.

Ioãnes uirgo obijt.

qui

A qui festinanti mihi ad nuptias in iuuentute demonstrasti te, atque dixisti: Mihi necessarius es Ioannes, operam tuam quæro. Sed cum iuuentutis ardore uisus essem non seruare præceptum, & diffisus quòd integritatem seruare uix possem, animum ad nuptias appulissem: tu quasi bonus Dominus ægritudinem mihi corporis inferens, castigans castigasti me Domine, & morti non tradidisti me. Tertiò quoque studentem nuptijs, impedimento leuiore reuocasti. Tu mihi Domine, in mari dignatus es dicere: Ioannes, nisi meus esses, permitterem tibi ut uxorem duceres. Tuum igitur hoc munus est, qui motum carnis edomare ac tẽperare dignatus es, fidem infundere, ut nihil mihi preciosius sit nisi tibi adhærere. Tu me de morte ad uitam, à sæculo ad regnum Dei, ab ægritudine animi ad sanitatem uocasti. Tu mihi uiuendi lex, spirandi gratia es, & certandi corona. Venio ergo ad te Domine, uenio ad conuiuium tuum: uenio inquam gratias agens, quia me dignatus es Domine IESV Christe, ad tuas epulas inuitare, sciens quòd ex toto corde meo desiderabam te. Vidi faciem tuam, & quasi de sepultura suscitatus sum. Odor tuus concupiscentias in me excitauit æternas: uox tua plena suauitate melliflua, & allocutio tua incomparabilis eloquijs angelorum. Quoties te rogaui ut ad te uenirẽ, dixisti tu: Expecta, ut populum meum liberes, crediturum mihi. & custodisti corpus meum ab omni pollutione, & animam meam semper inluminasti:

In hac oratione S. Ioannis, totius uitæ eius cursus retegitur.

B & non dereliquisti me cum irem in exilium, & cum redirem: & posuisti in ore meo uerbum ueritatis tuæ, ut commemorarem testimonia uirtutum tuarum: & scripsi ea opera quæ oculis meis uidi, & ea uerba quæ audiui ex ore tuo his auribus meis. Et nũc ego Domine commendo tibi filios tuos, quos tibi ecclesia tua uirgo, uera mater, per aquam & spiritum Sanctum regenerauit. Suscipe me, ut cum fratribus meis sim, cum quibus ueniens inuitasti me. Aperi mihi pulsanti ianuam uitæ. Principes tenebrarum non occurrant mihi, nec ueniat mihi pes superbiæ, & manus extranea à te non attingat me: sed suscipe me secundum uerbum tuum, & perduc me ad conuiuium epularum tuarum, ubi epulantur tecum omnes amici tui. Tu es enim Christus filius Dei uiui, qui præcepto patris mũdũ saluasti, qui & spiritũ sanctum tuũ nobis destinare dignatus es, ut nos de præceptis tuis communes faceret ille: per eundem spiritum tibi gratias referimus, per infinita sęcula sæculorum. Et cum omnis populus respondisset Amen, lux tanta apparuit super Apostolum, per unam ferè horam, ut nullus eam sufferret aspectus. Et signans se totum astitit, & ait: Tu mecum Domine IESV solus. Et proiecit se supra tumulum in quo strauerat uestimenta sua, dicens nobis: Pax uobiscum fratres. ac omnes benedicens ac ualefaciens, deposuit se uiuentem in sepulchro suo, & iussit se operire, glorificans Dominum, & statim reddidit spiritum. Qui interfuimus, alij

Hic alludit ad Euangeliũ, quod S. Ioãnes scripsit.

Nota emphasim orationis diuinæ.

Origo & causa, quare supra capita sanctorũ, et præcipuè Apostolorũ, radij solares pinguntur.

gaudebamus, alij plorabamus. Gaudebamus, quòd tantā cernebamus gratiam: dolebamus, quòd tanti uiri aspectu & præsentiæ specie defraudebamur. Et protinus Manna exiens de sepulchro, apparuit cunctis, quam usq; hodie gignit locus iste: & fiūt uirtutes per orationes eius frequentes, hic ab omnibus infirmitatibus ęgroti liberantur, & periculis eximuntur, & precum suarum quisq; consequitur effectum. Hic est beatus Ioannes, de quo Dominus prius dixerat ad Petrum: Si eum uolo manere, quoad usq; ueniam, quid ad te? Tu uerò sequere me: significans, quòd beatus Petrus per crucem honoraturus esset Dominum. Hic ergo subito corporis somno requiescit in pace, per Dominum nostrū IESVM Christum: qui coronis laureis clarificat sanctos suos, & est æterna laus & expectatio omnibus electis eius. Ipsi gloria & æternitas, uirtus & potestas debetur, in sæcula sæculorum, Amen. A

Et hoc argumentum est, Abdiā interfuisse morti S. Ioannis.

FINIS LIBRI QVINTI, DE REBVS À DIVO IOANNE EVANGELISTA GESTIS.

LIBER SEXTVS ABDIAE Babylonis episcopi, De historia beatorum, Iacobi, Simonis, & Iudæ, fratrum, ex Hæbraica lingua in Latinum sermonem per Africanum uersus.



SIMON Cananęus cognomine, ac Iudas, qui & Thaddæus, & Iacobus quem fratrē Domini quidam appellant, fratres germani fuerunt, ex Cana Galilęæ oriundi, parentibus Alphæo & Maria Cleophæ filia. Quorum postremus ex eadem matre, sed patre diuerso natus fuit, Iosepho scilicet Iusto, eo cui desponsata beatissima Dei genitrix Maria fuit. unde & frater Domini, subintellige quoad carnem, Iacobus appellatus est: quia Ioseph Iacobi pater, desponsatam, uerùm minimè nuptam Mariam uirginem habebat, quę spiritu sancto postea impregnata, Saluatorem mundi Christum IESVM Dominum nostrum uirgo peperit. Itaq; ob huius uinculi occasionem à Christo inter discipulos, tres hi Mariæ Cleophæ filij recepti sunt, & posterius ad Apostolatus fastigium subleuati. Quorum minor natu Iacobus, Christo saluatori in primis semper dilectus, tanto rursus desiderio in magistrum flagrabat, ut crucifixo eo cibum capere noluerit, priusquam à mortuis resurgentem uideret, quod meminerat sibi & fratribus à Christo agente in uiuis fuisse prædictū. Quare ei primum omnium, ut & Mariæ Magdalenę, & Petro, apparere uoluit, ut discipulum in fide confirmaret: & ne diutinum ieiunium toleraret, fauo mellis oblato, ad comedendum insuper Iacobum inuitauit. B

Is mansit

A Is mansit post subleuationem Christi in cœlum, cum Petro & Ioanne Hierosolymis, & Iudæis uerbũ Domini prędicabat. quod eo facilius etiã facere poterat, quia in templo Salomonis publico fungebatur ministerio. Igitur nondum elapso quartodecimo anno à passione Domini, quando Paulus hunc cum Tito & Barnaba itineris socijs cõuenerat, dextrasq́; Iacobo & Petro atq; Ioanni porrexisset, conuenientibus duodecim Apostolis in Hierusalem ad diem festum Paschæ, pręsidente Iacobo, & populo audiente, breuiter exposuerunt singuli, quæ in locis singulis fuerant per eos gesta. In quibus diebus Caiphas Põtifex, missis ad eos sacerdotibus, rogauit eos, ire ad se, ut aut rationem docerent, quia IESVS ipse sit ęternus Deus ac Christus: aut ipse cõtrà doceret, quia non sit. Constituto igitur die ascenderunt in templum Apostoli, & coram omni populo protestari cœperunt de IESV, simul & arguere Iudæos de multis, quæ ab his absurdè gerebantur. Et cum starent in gradibus templi, facto populi silentio, docuerunt sacerdotes de uno solo Deo Christo IESV, Saducæos de resurrectione mortuorum, Samaritas de consecratione Hierusalem, Scribas deniq; & Pharisęos de regno cœlorum: uniuersum uerò populum, quia IESVS est Christus æternus, informarunt. Ad ultimum autem monuerunt, ut priusquam progrederentur ad gentes prędicare agnitionẽ Dei patris, ipsi reconciliarẽtur Deo, suscipientes filium eius: aliàs enim

Huius rei meminit etiã Paulus in epist. ad Galatas.

Nota Apostolorum protestationẽ, et commonitionẽ in cœtu sacerdotũ & populi Hierusalem.

B eos nullo modo, ostenderunt, posse saluari, nisi per sancti Spiritus gratiam trinæ inuocationis dilui baptismate properarent, & Eucharistiam Christi Domini sumerẽt, cui soli de his quæ docuit credere deberent, ut sic æternam salutem consequi mererentur. Ita igitur cum per septem dies persuasissent populo & Põtifici, ut confestim ad percipiendum Baptisma festinarent, cumq́; iam res in eo esset ut uenirent & baptizarentur, ecce homo quidam inimicus, tunc cum paucis admodum ingrediens templum, clamare cœpit, & dicere: Quid facitis ô uiri Israhelitæ? cur nobis tam facile subripitur? cur præcipites ducimini ab hominibus infœlicissimis, & à mago deceptis? Cumq́; hæc diceret, & hæc audiretur ac superaretur ab episcopo Iacobo, conturbare populum & seditiones suscitare cœpit, ita ut ea quæ ab Apostolo dicebantur, plebs minimè posset audire. Igitur exagitare cuncta clamoribus, & quæ fuerant multo labore ordinata conuellere, simulq́; incusare Sacerdotes, & opprobrijs atq; increpationibus cœpit cunctos accendere. & ueluti furibundus, singulos quosq; ad cędem concitabat Apostolorum, dicens: Quid agitis? quid cessatis, ô segnes & desides? cur non manibus nostris inuadimus, & discerpimus hos omnes? Et cum hæc dixisset, primus rapto ex ara usto, cædis fecit exordium. Tum deinde & cæteri uidentes eum, simili ferebantur insania. fit omnium clamor, cædentium pariter & cæsorum, & sanguis ubiq; plurimus

 funditur,

funditur, & fuga permixta habetur: cum interim ille inimicus homo, Iacobum adgressus, de summis gradibus præcipitem dedit. **A**
Quem cum mortuum credidisset, ultrà multare neglexit. In qua collisione, uno pede debilitatus, pessimè claudicabat. Hominem uerò inimicum saluum fuisse manifestum est, quem postea Dominus ad Apostolatus ministerium destinauit. Igitur Iudæi postquam Paulus ad Cæsarem, quem appellauerat, à Festo Præside missus est, & frustratas insidias quas ei intenderant, uident, in Iacobum fratrem Domini, immanitatem nequitiæ suæ uertunt. Quem hoc modo adorti sunt. Productum in medium, abnegare eum fidem Christi coram omni populo expetunt. At ille, contra omnium opinionem, uoce satis libera, & multo maiore quàm uellent, coram uniuerso populo, cum omni fiducia profitetur, filium Dei esse Saluatorem & Dominum nostrum IESVM Christum. Tum illi non ferentes tam graue & tam liberum testimonium uiri, pro eo maximè, quod iustissimus apud omnes habebatur, ob religiosæ & continentissimæ uitæ merita, in necem eius uertuntur, & fauētes sibi occasione tēporis, et ex morte Rectoris, alios quàm plurimos asciscunt. Contigerat tum fortè Festum apud Iudæam obire cunctos, ac sine rectore ac principe esse Prouinciam. Nam mortis Iacobi modus licet à Clemente & alijs fuerit intimatus, exploratus tamen de eo Egesippus, qui postea primas Apostolorum successionis fuit, quinto Commentariorum suorum libro his uerbis refert: Suscepit (inquit) ecclesiam cum Apostolis frater Domini Iacobus, qui ab omnibus cognominatus est Iustus, ab ipsis Domini temporibus perdurans usque ad nos. Et multi quidem Iacobi uocati sunt, sed hic ex utero matris suæ sanctus fuit. Vinum & siceram non bibit, sed neque animal manducauit, ferrum in caput eius nō ascendit. Oleo non est perunctus, sed neque balneis est usus. Huic soli licebat introire in Sancta sanctorum. Neque enim laneo utebatur indumento, sed tantum sindone. Solus ingrediebatur templum, & iacebat supra genua sua, orans pro populi indulgentia, ita ut orando callos faceret in genubus ad modū cameli semper genua flectendo, nec unquam ab oratione cessando. Itaque pro incredibili hac cōtinentia, & summa iustitia, appellatus est Iustus: & Oblias, quod est interpretatū, munimētum populi & iustitia, sicut & Prophetæ indicauerūt de eo. Quidā ergo de septē hæresibus quæ erāt in populo, de quibus superius diximus, interrogabant eum, quid esset ostium Domini? At ille dicebat: Hunc esse Saluatorem. Ex quibus aliquanti crediderunt, quia IESVS est Christus. Illæ autē hæreses, quas suprà scripsimus, nō crediderunt, neque surrexisse eum, neque uenturum ut retribuat unicuique secundum opera sua: Qui uerò crediderunt, per Iacobum crediderunt. Ex quibus cum multi etiam ex principibus credidissent, **B**

S. Iacobus claudus effectus.

Ad S. Paulū allusio, antequam uocatus à Christo fuisset.

Hinc Iusti cognomentum S. Iacobo additum est.

Egesippus citatus.

Iacobus ex utero matris sanctus.

S. Iacobus Apostolus fuit Iudææ & Palestinarum.

A dissent, perturbatio erat Iudæorum, dicentium: Nihil iam superest, quin omnis populus credat in Iesum, quòd ipse sit Christus. Conuenientes igitur ad Iacobum, dicebant ei: Oramus te, ut reuoces populũ: quia ecce errat in Iesu, putans quòd ipse sit Christus. Deprecamur ergo te, ut suadeas omnibus conuenientibus in die Paschæ, de Iesu. Tibi enim omnes obtemperamus, & de te, tam nos quàm populus, testimonium ferimus, quia iustus es, & personam ullius non accipis. Tu ergo suade populò de Iesu, ne erret, tunc omnes tibi obediemus. Ascende itaq; in excelsum locum pinnæ templi, ut in edito positus appareas omnibus, & uerba tua audiantur à cunctis: quia in diebus Paschæ cõuenient non solum Iudæorum, sed & gentilium multitudo. Statuerunt igitur supradicti Scribæ & Pharisæi, Iacobum supra pinnam templi, & uoce magna clamantes, dixerunt: Virorum iustissime, cui omnes nos obtemperare debemus, quoniam populus errat post Iesum qui crucifixus est, enuncia nobis, quid sit ostium Domini. Tum Iacobus ad eos ingenti uoce respondit: Quid me interrogatis de filio hominis? Ecce ipse sedet in cœlo à dextris summæ uirtutis, & ipse uenturus est in nubibus cœli. Cum hac responsione & testimonio Iacobi multis satisfactum esset, & libenter audiuissent, quòd Iacobus sic de Christo foret protestatus, cœperunt glorificare Deum, & dicere: Osanna filio Dauid. Tum rursum ipsi Scribæ & Pharisæi cœperunt ad inuicem dicere: Malè fecimus, ut tale is te-
B stimonium præstaret de Iesu. Sed ascendamus, & præcipitemus illum deorsum, ut cæteri terreantur, & non credant ei. simul & uoce magna clamauerunt, dicentes: O o, & Iustus errauit. & compleuerunt in hoc scripturam, quæ in Esaia scripta est, dicentem: Auferamus Iustum, quoniam inutilis est nobis, propterea fructum operum suorum manducabunt. Ascenderunt ergo, & præcipitauerunt eum, & dicebant ad inuicem: Lapidetur homo iste. Et his dictis, cœperunt beatum Iacobum lapidibus urgere. Qui deiectus nõ solum mori nõ potuit, quin conuersus & super genua sua procumbẽs, dicebat: Rogo Domine Deus pater, dimitte eis peccatũ, non enim sciunt quod faciunt. Cumq; eum talia orantem desuper lapidibus perurgerent, unus de sacerdotibus, de filijs Rhachabitarum (de quibus protestatur Hieremias propheta) exclamauit dicens: Parcite quæso, quid facitis? Pro uobis orat Iustus iste, quem lapidatis. Et unus ex ipsis fullo, arreptum fustem, in quo res exprimere solent, cerebro eius inlisit. Ita beatus Iacobus, cui Iusti cognomentum fuit, tali tandem martyrio consummatus est, ac sepultus in eodem loco prope templum. Atq; hic ille est, qui extitit ueritatis testis Iudæis & gentibus, quia IESVS est Christus, filius Dei uiui, qui cum patre & Spiritu sancto dominatur & regnat in cuncta sæcula sæculorum. Atque hæc de Iacobo. Cuius fratres

maiores

Hic incipit historia de Simone & Iuda.

maiores natu, Simon cognominatus Cananæus, & Iudas, qui & Thaddæus & Zelotes, & ipsi Apostoli Domini nostri IESV Christi, cum per reuelationem Spiritus sancti Persidem fuissent regionem ingressi, inuenerunt statim inter initia suæ prædicationis duos ibi magos, Zaroen & Arfexat, qui à facie sancti Matthæi apostoli de Aethiopia fugerunt. Erat autem doctrina eorum praua, ita ut Deũ Abraham & Deum Isaac & Deum Iacob blasphemantes, deum dicerent tenebrarum, & Moysen dicerent maleficum fuisse, denique omnes Prophetas Dei à deo tenebraum missos adsererent. Præterea animam hominis partem Dei habere dicerent, corporis uerò figmentum à Deo malefactum esse: & ideo ex contrarijs substantijs constare, in quibus lætatur caro, anima contristatur: & in quibus exultat anima, & corpus affligitur. Solem & Lunam deorum numero applicantes, aquam simul deitatem habere, docebant. Dei autem filium, Dominum nostrum IESVM Christum, phantasiam fuisse, nec uerum hominem, nec ex uera uirgine natum, nec uerè tẽtatum, nec uerè passum, nec uerè sepultum, nec uerè tertia die resurrexisse à mortuis, adfirmabant. Hac prædicatione polluta Persida post Zaroen & Arfexat, magnum meruit inuenire doctorem, per beatos apostolos Simonem & Iudam: id est, Dominum IESVM Christum, qui se diceret Spiritum sanctum de cœlo missurum, iuxta promissum dicentis: Vado ad patrem, & mitto uobis Spiritum paracletum. Hac igitur causa suscepto itinere, ut Persida à seductione nequam doctorum liberarent, ut primùm ei appropinquarunt, quos diximus, apostoli Simon atque Iudas, occurrentem habebant exercitum Varardach ducis regis Babyloniorum, cui nomen erat Xerses. Hic autem contra Indos, qui fines Persidis inuaserant, susceperat bellum: erantque in comitatu eius sacrificatores, & arioli, & magi, & incãtatores, qui per singulas mansiones, sacrificantes dæmonijs, dabant responsa fallaciæ suæ. Contigit autem, ut die qua Apostoli in exercitu erãt, concidentes se, & sanguinem suum effundentes, nullum penitus dare potuerunt duci belli responsum. Quapropter porrexerunt ad fanum uicinæ ciuitatis, & consulentes illic dæmonia, dæmonẽ cum ingenti mugitu ita audiuerunt loquentem: Dij qui uobiscum comitabantur, euntibus ad prælium propterea dare non possunt responsa, quia duo homines isthic sunt, Simon & Iudas, qui tantam consecuti à Deo sunt uirtutem, ut nullus nostrorum audeat illis præsentibus loqui. Quæ cum accepisset Varardach dux regis Xersis, fecit eos in exercitu inquiri: Quos cum inuenisset, cœpit ab eis quærere, unde essent, aut quid essent, aut quare uenissent in illas terras? Cui sanctus Simon apostolus ait: Si genus quæris, Hebræi sumus: si conditionem, serui sumus IESV Christi: si causam quæris, salutis uestræ causa uenimus, ut relicto errore simulachrorũ,

Deum

A Deum qui in cœlis est poſsitis agnoſcere. Cui reſpondens Varardach dux: Nunc (inquit) ad prælium maturo, ut Indos ab inuaſione Perſidis arceam, antequam Medorum aduerſus nos auxilia colligant. Quare non eſt opportunum mihi, ut de rebus ueſtris nunc diſcutiam. Cum uerò fœlix fuerit reuertendi ſucceſſus, audiam uos. Ad quæ Iudas apoſtolus: Mede, magis congruum eſt (inquit) te cognoſcere illum, cuius ope & auxilio poſsis uictor exiſtere, uel eos ſaltem qui tibi rebelles ſunt, pacatiſsimos inuenire. Tum Varardach dux: Quia audio deos ueſtros, uobis coràm poſitis, uobis dare reſponſa, uolo ut uos nobis futura prædicetis, ut quos belli exitus habituri ſimus, ſcire queam. Tum Simon: Vt agnoſcas (ait) errorem horum quos tibi putas prædicere, damus illis poteſtatem reſpondendi tibi, ut dum dixerint quæ ignorant, probemus eos per omnia fuiſſe mentitos. Cumq; orationem fudiſſent ad Dominum, dixerũt: In nomine Domini noſtri IESV Chriſti, præcipimus, ut more ſolito detis reſponſa his qui interrogare conſueuerunt. Ad hanc uocem cœperunt phanatici eorum arripi & dicere: Grande bellum futurum eſſe, & utrinq; multos prælian tes interfici poſſe. Tunc Apoſtoli Dei, ex abundantia læticiæ in riſum ſoluuntur. Quibus Varardach: Me (inquit) timor inuaſit, & uos ridetis? Dicunt ei Apoſtoli: Ceſſet timor tuus, quoniam in ingreſſu noſtro pax uobiſcum intrauit in iſtam prouinciam. Qua-

B re mitte profectionem tuam. nam craſtina die, eadem hac hora, id eſt tertia, uenient ad te quos premiſiſti cum legatis Indorum, qui uobis terras inuaſas, reſtitutas imperio ueſtro nunciabunt: & ſolutis tributis, aditum referent: & paci ueſtræ, ad quaſcunq; conditiones uolueritis, gratanter conſentientes, pactum firmiſsimum ſtabilient. At Põtifices ducis hæc irridẽtes: Domine dux, inquiũt, noli iſtis hominibus fidem dare, uanis & mendacibus, aduenis ſcilicet & ignotis, qui ideo grata loquuntur, ne exploratorum loco habeantur. Iſti autem dij noſtri, qui nunquam fallunt, dederunt tibi reſponſum, ut ſis cautus, & ad res omnes ſolicitus: non quemadmodum illi qui te ſtudioſe reddere ſecurum conantur, ut dum minus cautus fueris, poſsis ex improuiſo & acrius & facilius adoriri. Reſpondens autem ſanctus Simon apoſtolus, dixit: Audi me dux. Nos aduenę & ignoti, & mendaciſsimi, nõ unum menſem te expectare iubemus: ſed diximus, Expecta unum diem, & cras manè circa horam tertiam uenturi ſunt quos miſiſti. Venient autem cum eis Indorum honorati, qui conditiones à te accipient, ut ſint deinceps tributarij Perſarum. Hęc cum animaduerterent ſacerdotes Perſarum, qui in exercitu erant, propalàm clamabant: Aureas & gemmatas inter, purpureas & auro tectas ueſtes, inter pateras & biſſum, ſericumq;, & omnem gloriam Babylonici regni, dij noſtri ſplendidi, ſuæ diuinitatis reſponſa dantes, aliquando fallere

possunt: & isti pannosi, & personam nullam habentes, tantum sibi tribuere audent? quos uel uidere, uel audire, iniuria est. Et hos tu Domine dux ad iniuriam deorum nostrorum non punis? Tum dux: Hoc magnum est (inquit) quia aduenæ & pauperes atq; ignoti, cum tanta hoc constantia adseuerant, quod deorum nostrorum testimonio uidetur esse contrarium. Dicunt ei Pontifices: Iube eos custodiri, ne fugiant. Respondit dux: Ego non solum iubeo eos custodiri, sed ipsi etiã uos in custodia eritis usq; in crastinum, ut rerum exitus doceat, si possit eorum testimoniũ comprobari. Posthæc iudicabitur, quis meritò debeat condemnari. Factum est autem in crastino, iuxta uerbũ Apostolorum, uenerunt nuncij qui missi fuerant cursu uelocissimo in dromedis, & nunciarunt omnia ista esse, sicut Apostoli paulo antè intimarunt. Quare indignatus dux, iussit pyram àccendi, ut ibi sacerdotes suo igne consumeret, & hos omnes qui Apostolos obfuscare nitebantur. Apostoli autem prostrauerunt se duci, dicentes: Obsecramus domine, ne efficiamur nos causa interitus eorum: qui pro salute hominum huc missi sumus, ut uiuificaremus mortuos, non ut uiuentes occidamus. Itaq; cum diu aspersi puluere, prouoluti pedibus ducis iacerẽt, respõdit ille: Miror uos ita pro istis interuenire, qui nihil aliud egerunt per omnes comites meos & Tribunos ac Satrapas, & ad hoc præmia ingẽtia cõtulerunt, quàm ut uos incenderẽt uiuos. Ad quæ extẽplò Apostoli: Disciplina (inquiũt) magistri nostri has leges tenet, ut non solum malum pro malo non reddat, sed etiam bona pro malis restituat. Estq; hoc solum discrimen inter nos & cæteras disciplinas, quia omnes reliqui malũ reddunt pro malo, omnesq; odentes se odio habent. Nos autẽ e cõtrà diligimus inimicos nostros, & benefacimus his qui nos odiũt, et oramus Dominũ pro calumniantibus & persequentibus nos. Quæ cũ audiuisset dux: Vel hoc permittite (inquit) facere, ut omnia bona eorum uobis tradantur. Et cum hæc diceret, iussit inquiri quanta esset facultas Pontificum. Et respondentes tabularij fisci, dixerunt: Vnus Pontifex unam libram auri in uno mense de fisco consequitur. Et computati sunt centum & uiginti talentorum: excepto eo qui sacerdotij arcem tenebat, qui quadruplum consequebatur in auro. Congregatæ sunt itaq; familiæ & uestes, & ministerium, & argentum & aurũ, & iumenta, & omnia quæ habere poterant, nec poterat dinumerari facultas eorum. Ita congregatis opibus, dux ad regem reuersus, Apostolos Domini commendauit, inquiens: Hi sunt sub effigie hominũ latẽtes, quos dij nostri timent, qui neq; sine illarum cõcessione dare respõsa hominibus possunt. Et ipsa responsa illorum falsa fuisse, & oracula illorum, & euentus ipsi comprobauerunt. Isti autem sacerdotes nostri, dum dicerent eos aduenas fallẽtes, quibus nõ deberet credi, & insisterent apud nos

Vel hoc autori fidẽ cõfirmat. nã tabularios in prouincijs cõstituisse et Augustũ Suetonius, & Capitolinus M. Cæsarẽ tradũt, apud quos & censum singuli ostẽderẽt, et nomina acciperent.

A nos ut puniremus eos : dumq́; utrosq́; in custodia haberemus, ut pars quæ uera diceret, remuneraretur, & quę fefellisset, puniretur: denicq́; ubi omnia eo ordine quo isti prædixerant, sunt adimpleta, & uellem eos hoc pati, quod illi istos pati elaborauerant: ecce isti precibus apud me egerunt boni uiri, ut nihil penitus paterentur mali. Et cum facultates eorum iussissemus conferri, has tamen illi nihilominus contemnunt, dicentes: Nobis non licet aliquid possidere supra terram, ex eo quòd nostra possessio est in cœlo, quę est æterna, & ubi immortalitas regnat. Quin & illud insuper addunt Nulla ratione possumus accipere uel aurum, uel argentum, uel uestes uel domos, aut prædia aut seruos. Ista enim omnia terrena sunt, & morientem hominem non sequuntur. Quibus cum dicerem, uel aliquantum ut acciperent inde, quòd pauperes & peregrini essent, persuadere nequiuimus. Non sumus (dixerunt illi) pauperes, qui diuitias cœlestes habemus. Sed si uis ut ad salutē animæ tuæ proficiat census ille, eroga pauperibus, eroga uiduis & orphanis, eroga infirmis & adflictis, libera debitores qui à creditoribus exagitantur, eroga publicè manum porrigētibus, & omnibus qui his opibus indigent. Nam nos terrenum nihil desideramus. Hęc & alia cum dux apud regem Xersen disseruisset, excitati in zelum qui cum rege fuerant Zaroes & Arfexat magi, simul indignabundi, rumores sparserunt: Malignos eos homines esse, qui cōtra

B deos gentis, contraq́; regnū tam astutè molirētur. Nam si uis scire Rex (inquiunt) quod ea uera sunt quæ dicimus, nō prius permittemus hos loqui, quàm deos tuos adorauerint. Tum dux: Audetisne cum illis habere conflictum, ut si uiceritis eos, tum demum abijciantur? Dixerūt magi: Aequum est, ut sicut nos adoramus deos nostros, ita adorent & illi. Respondit dux: Hoc scilicet conflictus uester ostendet. Ad hæc iterū magi: Vis uidere (inquiunt) potētiam nostram, ut probes quia non poterunt loqui nobis præsentibus: iube adstare hic, qui sint eloquentes in linguis, acutissimi in argumentis, & clamosi in uocibus. Et si tunc ausi fuerint nobis præsentibus loqui, probabis nos esse imperitissimos. Tunc iussu regis & ducis, omnes aduocati pręstò facti, ita sunt à duce admoniti, ut quanta possent constantia, haberent cum his magis contentiones, & eos à defensionum proposito, argumentorum suorum proposito excluderent. Et cum in præsentia regis & ducis, cunctorumq́; sublimium magi locuti essent, omnis illa aduocatio ita muta facta est, ut nec nutibus, quod loqui nō poterat, indicaret. Et cum unius ferè horæ transisset spacium, dixere magi ad regem: Vt scias nos ex deorum esse numero, permittimus eos quidem loqui, sed ambulare non posse. Quod cum fecissent, adiecerunt dicentes: Ecce reddimus eis gressum, sed faciemus eos apertis oculis nihil uidere. Cumq́; & hoc fecissent, expauit cor regis & ducis, dicentibus

amicis eorum, non debere cōtemni hos magos, ne & regi & duci A inferant debilitatem in membris. Igitur hoc spectaculum à primo mane usq; ad horam sextam dum spectatur, aduocati mœrore confecti, ad suas reuersi sunt quisq; domos, nimio animi impulsu fatigati. Dux uerò cum haberet amicos Apostolos, eis narrauit omnia quæ dicta quæq; facta extiterant. Dixerunt duci Apostoli: Vt scias, nobis præsentibus figmenta illorum ualere nō posse, & ideo timere eos nostram præsentiam, iube aduocatos ipsos ad nos uenire, priusquam ad ipsos uadant. Et posteaquā ad nos uenerint, ita ingrediantur ad regem, similem habituri conflictum: & si præualuerint eis, tū scias nos ab his aliquatenus uinci posse. Conuocauit igitur dux omnem illam aduocationem in domo sua, & quasi compatiens illis, dixit: Doleo equidem uerecundiæ uestræ, quam estis intra regalem aulam perpessi. Vnde sciatis, me inuenisse homines, qui uos moneant & doceant, ut non solum uobis non preualeant, sed etiam à uobis superati discedant. Tunc omnis illa multitudo aduocatorum prostrata, duci gratias agens, & eorum singuli cœperunt precibus agere, ut dictum facto compleret. At ille protulit eis Apostolos Domini, Simonem & Iudam. Videntes autem aduocati homines uilissima ueste indutos, quasi in despectu eorum cœperunt habere personas. Quos facto silentio sic allocutus est Simon: Sępissimè euenire, ut intra scrinia aurea & gēmata, uilia quędam habeantur inclusa: & intra uilissimas & ligneas capsas, sint gēmarum monilia preciosa reposita. Solere etiam uasa pulcherrima aceto repleta, execrationi & contemptui subiacere: cōtrà uerò, uasa fœdissima in aspectu, uino tamen intus optimo repleta, ambitionem sui saporis excitare gustantibus, ita ut neglecta uisione, contemptui uilia quæ aspectus offendit, de sola cogitent homines suauitate, quæ intrinsecus latet. Imò quicūq;(inquiunt) alicuius rei cupit esse possessor, non magnopere gestatorium, sed ipsum quod gestatur spectat. Non ergo offendat aspectum uestrum, uilis hic noster habitus, intus enim latent ea, quæ æternā uos faciant & gloriā inuenire, & uitā. Nos quippe omnes homines, de uno patre & de una matre nati sumus. Qui cum facti essent & positi in regione uiuorum, suadente angelo inuidiæ, præuaricati sunt in lege, quam à suo conditore susceperant, suntq; serui facti eius cui suadenti obtemperauerunt. Deinde cum ipso angelo, ab illa uitæ æternæ regione, in huius terræ exilium proiecti sunt. Misericordiā tamen nihilominus Deus & in hac parte suam constituit, ut sic homo creatorem suum solum Deum excoleret, et elementa non adoraret, nec diceret ligno quod ipse dolauerat, Tu es Deus meus. Recessit autem à Deo suo homo, à custode suo: & quod maius est, à Saluatore suo, ut suo pareret inimico. Hunc autē errorē in hominib. hic angelus princeps inuidię ideo nutriuit, & nutrit, ut ipse eis dominetur.

Elegans cōparatio. B

A netur,& faciat de eis quod ipse uoluerit: conaturq; auocare Deũ uerum,quẽ iste angelus timet,à genere humano. Hac de causa per magos suos,quando uoluit,fecit uos tacere: rursus fecit uos inuidere,deniq; fecit uos immobiles permanere. Vnde,ut probetis ita esse,uenite ad nos,& promittite uos ab idolorũ cultura recedere, & solum Deum inuisibilem adorare ac colere. Et cum hæc feceritis,imponemus manus nostras super capita uestra, & signũ Christi faciemus in frontibus uestris. & si tum non confutaueritis eos, credite nos fallere omnia quæcunq; asserimus. Tum uniuersi illi aduocati,considerantes rationem ueram, prostrauerunt se Apostolis dicentes:Facite ergo quæsumus,ne in nobis possint linguæ impedire officiũ, nec aliqua in membris nostris impedimenta inferre:& sit supra nos ira Dei, si ultrà idolis crediderimus. Quæ cũ ab aduocatis dicta essent, procũbentes humi sancti apostoli Simõ & Iudas,orauerunt ad Deum in hæc uerba;Deus Israel,qui exinanisti magica figmenta Iamnes & Mambres, & dedisti eos in confusionem & ulcera,& perire eos iussisti:sic faciat & hic manus tua super hos magos Zaroen & Arfexat. Hos autem famulos tuos,pro mittentes quòd ab omni cultura idolorum abscedẽt, fac fortes & stabiles,& constanter aduersus eos insurgere, ut cognoscant omnes,quia tu es unus omnipotens,qui regnas in sæcula sæculorum. Cumq; respondissent,Amen:signatis frontibus abierunt. Ingressi sunt autem cum duce ad regem.Haud multo pòst adsunt & magi,

Loquebatur Simon hæc ad sapientes ac eloquẽtes Persarum aduocatos.

B tentantes ea quæ antea fecerant,& nulla poterant ratione preualere. Tum ex aduocatis unus Zebeus nomine, dixit: Audi domine rex,ista stercora abijcienda sunt, & ex tuo regno emundanda, ne fortè omnibus putredinẽ generent.Habent enim secum angelum humani generis inimicum,& ludificant in hoc homines, ut quàm plurimos angelus iste malus habeat subiectos. Habet autem hos subiectos,qui non sunt Deo omnipotenti subiecti. Iam uerò idcirco insistebant magi, ut Apostoli sancti hos deos adorarent: quo facto,Deum uerũ offenderent, & deinceps ipsi in illis facilius per angelum illum malignũ sua præstigia exercerent. Deniq; signum Dei sui in frontibus nostris,digitis suis faciẽtes,miserunt huc, ista uerba adijciẽtes:Si post istud signaculum Dei,præualuerint artes illorum,sciatis nos quæ docemus uniuersa mentitos. Ecce nunc igitur,in Dei omnipotentis nomine adsumus,insultamus & opponimus nos magis:si possunt,agãt,quę hesterno gesserunt.Quæ cũ uiderent magi,indignati,multitudinem serpentũ uenire fecerunt. Qua re terrefacti qui aderãt, ut Apostolos rex uocaret,clamarũt. Missis igitũ nuncijs,mox uenerũt Apostoli,qui implẽtes pallia sua de serpentib.miserũt in eosdẽ magos dicentes:In nomine Domini nostri IESV Christi nõ moriemini, sed morsibus eorũ attrectati, dolorum uestrorum mugitum dabitis. Statimq; serpentes coe-

perunt carnes eorum deuorare. Illi autem ululabant, ueluti lupi. A Quæ uidens rex, & omnes qui aderant, dicebant Apostolis: Permittite, ut magi moriantur ab eis. At illi responderũt: Nos missi sumus, à morte ad uitam cunctos reducere, non à uita præcipitare in mortẽ. Facta igitur oratione, dixerunt Apostoli serpentibus: Redite in nomine IESV Christi ad loca uestra, atq; omne uenenũ quod in hos magos infudistis, auferte uobiscum. Nouos itaq; cruciatus magi patiuntur, cum serpẽtes uenena sua morsibus renouatis tolleret, sugentes sanguinem eorum. Itaq; ablegatis serpentibus, adlocuti sunt Apostoli magos in hæc uerba: Audite impij scripturam sanctam dicentem: Qui proximo suo parat foueam, ipse prior cadit in illam. Vos quidem nobis parastis mortem: Nos autem rogauimus Dominum nostrum IESVM Christũ, ut nos à morte præsente eriperet. Deniq; qui per multos annos morsibus his repentinis affligi poteratis, ecce tertia die transacta, precibus nostris recuperata uobis sanitas redonabitur. Forsitan uel sic ab impietate uestra cessabitis, dum ueritatem Dei circa uos exsuperare, probare possitis. In istis autem tribus diebus, ideo permittimus uobis dominari dolores, ut pœniteamini pro erroribus uestris. Hæc cũ dixissent Apostoli, deportati sunt ad hospitalia magi, qui per triduum nec cibum capere, nec bibere ullo modo poterant, sed in his sola uociferatio doloribus extorta incessabilis extitit. Postea, cum iam res in eo esset, ut pariter expirarent magi Zaroes & Arfexat, B accesserunt eos Apostoli, dicentes: Nõ dignatur Deus habere coacta seruitia: ideo surgite sani, habentes liberam facultatem cõuertendi à malo ad bonum, & exeundi à tenebris ad lumen. At illi permanentes in perfidia sua, sicut à facie Matthæi apostoli fugerunt, sic & ab his duobus Apostolis fugientes, ad simulachrorum cultores, per totam Persidis regionem, ut Apostolis inimicitias excitarent, ubiq; dicebant: Ecce ueniunt ad uos inimici deorum nostrorum. Si uultis deos uestros habere propitios, compellite eos sacrificare illis. Si autem nolueritis, saltem interficite eos. Hæc cum ita inter Apostolos & magos in Perside gesta fuissent, rogati à rege et duce beati Simon & Iudas, ab eo tempore morabantur in Babylone, facientes quotidie mirabilia magna, inluminantes cęcos, surdis reddentes auditum, claudicantibus gressum, mũdantes leprosos, fugantes deniq; ab obsessis corporibus omnis generis dæmonia. Habebant autem secum discipulos multos, ex quibus ordinabant per ciuitates presbyteros & diaconos & clericos, & ecclesias multas constituebant. Factum est autem, ut unus ex diaconibus, pateretur crimen incesti. Erat enim uicinus filiæ Satrapæ cuiusdam ditissimi hominis, quæ perdita uirginitate partum edens periclitabatur. Interrogata autem à parentibus, uirum Dei sanctum & castum Euphrosinum diaconũ impetebat. Qui tentus à parentibus

S. Simonis et Iudæ habitatio in Babylone.

puellæ,

A puellæ, urgebatur subire uindictam. Quod ubi Apostoli audiuerunt, uenerunt ad parentes puellæ. At illi cum aspexissent Apostolos, cœperunt clamare, & diaconũ reum huius criminis accusare. Tum Apostoli: Quãdo (inquiunt) natus est puer? Respõderunt: Hodie hora diei prima. Dicunt eis Apostoli: Perducite hũc infantem, & diaconũ quem accusatis huc pariter adducite. Cumq́ in presentia essent, alloquuntur Apostoli infantẽ dicentes: In nomine Domini nostri IESV Christi loquere, & dic, si iste diaconus præsumpserit hanc iniquitatẽ. Tum infans absolutissimo sermone ait: Hic diaconus uir sanctus & castus est, & nunq́ inquinauit carnẽ suam. Rursus autem insistebant parentes Apostolis, ut de persona infans interrogaretur incæsti. Qui dixerunt: Nos innocentes soluere decet, & nocentes prodere nõ decet. Dum hęc Babylonię fierent ab Apostolis Domini, interea euenit, ut duæ tigrides ferocissimę, quę erant in singulis caueis clausæ, forte fortuna liberatæ fugerent, & quidquid in occursu inuenirent, deuorarẽt. Quare cõsternatus omnis populus, ad Apostolos Dei cõfugit. Apostoli autem inuocãtes nomen Domini IESV Christi, iusserunt ut sequerentur eos in domum, in qua manebant. Et per triduũ ibi manserunt. Et cõuocantes ibi omnem multitudinem, dixerunt: Audite omnes filij hominũ, qui ad imaginem Dei facti estis, quibus dedit

Nota admirandã historiam.

Aureum dictum.

B Deus ingeniũ, memoriam & intelligentiã: considerate feras, quæ nunquã mansuescere cõsueuerant, audito nomine Domini IESV Christi, in agnos conuersæ sunt: & homines in tanta adhuc perdurant obstinatione, ut non intelligant, deos non esse figmenta hæc aurea & argentea, quæ flata sunt, & ad arbitriũ hominis fabrefacta, uel de lapide aut ligno sculpta: Dominum autem qui uos creauit, ignoratis, qui dat uobis pluuiã de cœlo, & producit uobis panem de terra, & uinum ac oleum de surculis ligni. Vt autẽ sciatis, quia ipse est uerus Deus, erunt uobis in testimoniũ tigrides istæ, ut ipsę uos admoneant quodãmodo, ut non alterũ colatis Deum, nisi Dominum nostrum IESVM Christum, in cuius nomine istæ mansuetę factę, quasi oues in medio uestri conuersabuntur, uespere autem facto in suã cellulam reuertentes manebunt. Interea nos suscepto itinere, reliquas ciuitates peragrabimus, & prouincias, ut Euangelij Domini nostri IESV Christi prędicatio cunctis innotescat. Quæ cum audirent ex Apostolis, flebant populi, rogantes ut non discederẽt. Ad quorum petitionem unũ adhuc annum & menses tres in Perside beati Simõ & Iudas remorati sunt. In quo spacio amplius quàm sexaginta milia uirorũ baptizati sunt, exceptis paruulis & mulieribus: baptizato primùm rege, cum uniuersis dignitatibus suis. Præterea uidentes omnes infirmitates uerbo curari, inluminari cæcos, mortuos etiam suscitari in nomine Domini IESV Christi, uniuersi populi crediderunt, destruentes tem-

Elegans cõparatio.

pla, &

pla,& ecclesias extruentes. Ordinauere autem Apostoli in ciuitate Babylonis episcopum nomine Abdiam,qui cum ipsis uenerat à Iudaea,qui & ipse uiderat oculis suis Dominum: & repleta est ciuitas ecclesijs. Quibus ritè omnibus ordinatis, egreßi sunt Apostoli Persidem. Sequebantur autem eos turbæ discipulorum,& eo amplius uiri * Circumierunt autē duodecim prouincias Persidis, & ciuitates earum,in quibus quæ egerint, & quæ paßi sint per annos tredecim,longa narratione scripsit Crathon,Apostolorum ipsorum discipulus, in decem librorum uoluminibus uniuersa cōprehēdens, quæ † Africanus historiographus in Latinā transtulit linguam:Ex quibus,qui scire uoluerit,qui fuerint progressus prædicationis, uel quo fine mundum Simon & Iudas Apostoli reliquerint,ex multis pauca selegimus. Quippe Zaroes & Arfexat magi,facientes scelera multa per ciuitates Persidis,& dicentes se esse ex genere deorum,semper à facie Apostolorum fugientes,tamdiu erant in quacunque ciuitate,quamdiu cognoscerent Apostolos aduenire. Apostoli autem ubicunque fuissent ingreßi, detegebant scelera eorum, & ostendebant doctrinam eorū ab inimico humani generis adinuentam. Erant autem in Suanyr ciuitate lxx. templorum Pontifices, qui solebant singulas libras auri à rege consequi,quando Solis epulas celebrabāt: id quod quater in anno fieri consueuerat,in tempore nouorum,in introitu ueris,initio ęstatis, autumni & hyemis. Hos igitur pontifices hac allocutione magi in Apostolos Dei incitauerunt,dicentes: Venturi sunt duo Hebręi, deorum omnium inimici. Quare ubi incœperunt dicere,Deum alterū adorari debere:uos exclusi eritis à facultatibus uestris,& contemptui populo eritis. Alloquimini ergo populū,ut cum primum hi urbem intrarint, teneantur ad sacrificandum. Si consenserint, pacem habebunt cum dijs uestris. Si uerò sacrificare noluerint,sciatis illos ad subuersionem uestram ingressuros, & deprædationem & mortem. Factum est autem, ut postquam peragrassent uniuersas prouincias,uenirent ad Suanyr ciuitatem magnā. In quam cum fuissent ingreßi,& mansissent apud discipulum suum, eiusdem ciuitatis uirum,nomine Semnem,ecce circa horam primā omnes simul sacerdotes cum populo innumerabili uenerunt ad ędes, clamantes ad Semnem: Produc ad nos inimicos deorum nostrorum. Cum quibus si non sacrificaueris dijs nostris, incendemus te & domum tuam,cum ipsis. Interea tenentur Apostoli Dei, & ducuntur(haud mora)ad templum Solis. quod cum ingrederentur, cœperunt clamare dęmones,Ergon myſtumenos: Quid uobis & nobis Apostoli Dei uiui? In ingressu uestro flammis exurimur. Stabat autem in una ęde templi ab oriente quadriga solis, fusilis ex argento: in alia autem ęde stabat luna fusilis ex argento, habens quadrigam: similiter boum fusilem ex argento. Cœperunt ergo Pontifices

Ex his rursus apparet,autorē huius historiæ gestis rebus S. Simonis et Iudæ interfuisse.

Crathō,alter autor, qui historiam Apostolorum scripsit.

† Interpres huius historiæ,sui ipsius meminit.

Suanyr amplißima ciuitas Persidis.

Græcæ uoces sunt τὸ ἔργον μυσ͂ς μενος, pro eo quod est manceps.

A Pontifices Apostolis uim facere cum populo, ut adorarent eos inibi. Quod animaduertens Iudas, ad Simonem: Frater (inquit) Simon, uideo Dominum meum IESVM Christum, uocantem nos. Similiter & Simon respondit: Diu est, quòd intueor aspectũ Domini in medio angelorũ. Nam & dixit mihi angelus Domini, cum orarem: Faciam uos egredi de templo, & faciam ipsum templum ruere super eos. & dixi, nequaquam Domine, non fiat hoc, fortassis erunt aliqui ex his qui conuertantur ad Dominum. Igitur cum hæc secum Hebræo sermone loquerentur, apparuit eis angelus Domini, dicens: Confortamini, & unũ è duobus eligite: aut repentinum istorum omnium interitũ, aut palmam martyrij uestri, cum fiducia boni certaminis expectate. Cui respondentes Apostoli, dixerunt: Imploranda est misericordia Domini nostri IESV Christi, ut & illis propitietur, & nos adiuuet ut possimus pertingere cum constantia ad coronam. Hoc autem Apostoli soli cum uiderent & audirent, compellebantur à Pontificibus adorare simulachrũ Solis & Lunæ. Quibus Apostoli dixerũt: Facite fieri silentium, ut demus responsum omni populo audiente. Facto autem silentio, dixerunt: Audite omnes, & uidete. Solem noscimus seruum Dei esse, & Luna similiter præcepto sui Creatoris est subiecta. In cœli tamen firmamento consistentes, non sine iniuria sui in templis includuntur, qui in cœlo omni sæculo patere noscuntur. Et ut intelligatis, quia simulachra eorum non Sole, sed dæmonijs sunt plena, ego

Nota pietatem.

B præcipiã dęmonio qui in Solis simulachro latet, et frater meus iubebit alteri dæmonio quod in simulachro Lunę uos ludificat, ut egrediantur ex eis, & ipsi ea comminuant. Et stupentibus cunctis, dixit Simon ad Solis simulachrum: Præcipio tibi ludificator huius populi dæmon pessime, ut exeas de simulachro Solis, & comminuas ipsum, & quadrigam eius. Similiter cum hæc Iudas ad simulachrum Lunæ dixisset, uisi sunt ab omni populo duo Æthiopes nigri, nudi, horribili uultu, & ululantes, dirasque uoces emittentes abscedere. Quo facto, irruentes Pontifices & populus in Apostolos Christi, interfecerunt eos per tumultum. Erant uerò ipsi gaudentes & alacres Apostoli Dei, gratias Deo agentes, quia digni habiti essent, ut pro nomine Domini paterentur. Passi sunt autem die Kal. Iuliarum. Simul quoque tum passus est cum Apostolis, Sennes hospes eorum, quoniam & ipse idolis sacrificare cõtempserat. Ipsa autem hora passionis, cum nimia esset cœli serenitas, fulgura exorta sunt, ita ut trifariam templum ipsum scinderetur, à summo tecti fastigio usque ad ultimum fundamentum. Quo tempore, & duo, de quibus diximus, magi, Zaroes & Arfexat, ictu choruscationis adusti, ad carbonem conuersi sunt. Post menses autem tres misit rex Xerxes nuncios in ciuitatem Senayr, qui cõfiscarent Pontifices, & corpora sanctorum Apostolorum ad suam trãsferrent

ciuitatẽ. In qua extruere cœpit basilicã, octogenos cyclos octo angulorũ, & octies octogenos pedes per gyrum cõprehendentem, cum alta esset pedum centum & uiginti: fueruntq; omnia ex quadratis marmoribus signaticis extructa, & camera ipsa laminis aureis suffixa. In medio autem octogeni sarcophagum, corpora beatorum Apostolorum portantem, ex argento puro instituit: factaque est huius fabricæ ædificatio per annos tres continuos, & consummata die natalis Apostolorũ, & die coronationis Kal. Iul. dedicata. In quo loco beneficia consequuntur, qui credentes in Dominum IESVM Christum, illuc meruerint peruenire. A

FINIS LIBRI SEXTI HISTORIAE APOSTOLICAE.

LIBER SEPTIMVS HISTORIAE *Apostolicæ, ab Abdia Babylonis episcopo Hebraicè scriptæ, & in linguam Latinam ab Africano uersæ, De gestis à beato Matthæo apostolo & euangelista rebus.*



MATTHAEVS cognomento Leui, & Alphei filius, ex publicanorũ ordine fuit: atq; eo in munere uocatus à Domino nostro IESV Christo, in discipulorum eius numerũ uenit: postremò ad Apostolatus culmen ascendit, ante subleuationem Domini in cœlum: præter cæteros muneris Apostolici socios, peculiare nihil gessit. Sed postquam Spiritum sanctum inluminatorem unà cum cæteris accepisset, & in orbem terrarum ad prædicandum Euangelium esset directus, Aethiopiam is in diuisione prouinciam suscepit. In quam profectus ipse, cum in ciuitate magna quę dicitur Naddauer moraretur, in qua rex Aeglippus sedebat, cõtigit ut duo magi Zaroes & Arphaxat simul essent, qui regem miris modis ludificabant, ut se deos esse, remota ambiguitate, crederet. Et credebat eis rex omnia, & omnis populus, non solum memoratæ urbis, sed ex longinquis etiam regionibus Æthiopiæ ueniebant quotidie, ut adorarent eos. Faciebant enim subitò hominum gressus figi, & tãdiu immobiles stare, quamdiu ipsi uoluissent. Similiter & uisus hominũ, & auditus, à suo officio refrenabant. Imperabãt serpentibus ut percuterent, quod & Marsi facere solent: & ipsi incantando multos curabant. Et ut dici uulgo solet, malignis maior reuerentia exhibetur ex timore, quàm benignis ex amore: sic & illi uenerabiles apud Aethiopes, in magno diu precio fuerunt. Verùm (ut sæpe dictum est) curam Deus hominum gerens, Matthæum contra hos apostolum misit. Qui ingressus ciuitatem, cœpit detegere pręstigia illorum. Omnes enim B

quos

A quos illi figebant, hic in nomine IESV Christi soluebat: quos illi excęcabant, hic inluminabat: quibus illi auditum tulerant, iste reddebat. Serpentes etiam, quos ad percutiendos homines excitabāt, hic conuertebat in somnum, & percussiones eorum facto signo Domini percurabat. Hunc cū uidisset Aethiops eunuchus Candacis nomine, qui fuerat à Philippo apostolo diacono baptizatus, procidit ad pedes eius, & adorans dixit: Quia respexit Deus ciuitatem istam, ut liberaret eā de manu duorum magorū, quos putant stulti homines deos esse. Is suscipiebat Apostolum in domum suam, & ueniebant ad eum omnes qui erāt amici Candacis eunuchi: & audientes uerbum uitæ, credebant Christo IESV Domino. Et baptizabantur quotidie plurimi, uidentes quòd omnia quæ magi faciebant mala hominibus, hæc Dei discipulus euacuaret. Illi enim ideo uulnerabant quos poterant, ut uulnerati, ipsos euocarent ad curam. Quiq; ideo curare putabantur, quoniā à lęsione cessabāt. Matthæus autem apostolus Christi, non solum hos curabat quos illi lędebant, sed etiam omnes qui ad eum ferebantur, & fuerāt infirmitatibus diuersis obsessi. Prędicabat autem populo ueritatem Dei, ut omnes mirarentur eloquentiam eius. Tum Candacis eunuchus, qui eum susceperat omni affectione, interrogauit eum dicens: Obsecro te, ut digneris indicare mihi, quomodo cum sis Hebræus, nosti Græcam, Aegyptiacam & Aethiopicam sermocinati B onem, ita ut hi qui in his regionibus nati sunt, non possint tam bene sermocinari. Respondit Apostolus: Totus mundus unam sermocinationem habuisse omnium hominum dignoscitur. Sed nata est prę sumptio omnium hominum talis, quæ eos turrim tantę magnitudinis facere hortaretur, ita ut cacumē eius peruenisset ad cœlum. Hanc prę sumptionem Deus omnipotens hoc ordine repressit, ut alter alterum tum non potuerit loquentem aduertere. Facta sunt autem plurima linguarum genera, & diuisa est illa conspiratio, quæ per unam linguæ intelligentiā consistebat. Bona quidem fuit ea uoluntas, ut fieret turris, cuius cacumen perueniret ad cœlum: sed mala fuit præsumptio, quę non sanctis meritis ire uolebat ad sancta. Veniens autem filius Dei omnipotentis, ostendere uoluit quo ordine ędificādo perueniremus ad cœlum: & nobis duodecim discipulis suis misit Spiritū sanctum de cœlo, cum sederemus in uno loco, uenitq; supra unūquenq; nostrûm, & inflāmati sumus sicuti ferrū inflammatur ab igne. Posthæc cū à nobis pauor simul & splēdor discessisset, cœpimus uarijs linguis loqui gētibus, et magnalia natiuitatis Christi adnūciare, quo ordine sit natus unigenitus filius Dei: cuius originē ante sęcula nemo nouit. Qualiter uerò sit natus ex utero Mariæ uirginis, adnūcians atq; intimans nobis, & ab intacta uirgine lactatus & ablactatus, & enutritus atq; eruditus & baptizatus, & tentatus & passus, & mortuus & sepultus,

Causa & origo tot per orbē terræ linguarum.

ſepultus,& die tertio reſurrexerit: Et in cœlos aſcendit, ut ad dextram Dei omnipotentis ſederet,unde ſit uẽturus iudicare omne ſæculũ per ignem. Non ergo,ut tu putas,iſtas tantũ quatuor, ſed omnium gentium etiam linguas ſcimus, qui eius diſcipuli ſumus, IESV crucifixi,non mediocriter,ſed perfectè. Et ad quamcunque gentem peruenire potuerimus, iam loquelã eius perfectè cognoſcimus. Nunc uerò ædificatur turris non de lapidibus,ſed de uirtutibus Chriſti,omnibus qui baptizantur in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti:aperiturq́ eis turris, quam Chriſtus extruxit: & per ipſam tamdiu ædificantes aſcendunt, uſq; quò ad cœlorum regna pertingant. Hæc & his ſimilia multo myſtico ſermone Apoſtolus cum diſſereret,uenit qui diceret, magos illos cum ſingulis draconibus aduenire. Dracones autem erant galeati, & flatus eorum flammiferum ardorem emittebat,ſulphureasq́ ſpargebãt auras è naribus,quorum odor homines interficiebat. Quę cum audiuiſſet Matthæus,cõſignans ſe,ſecurus cœpit in occurſum illis prodire. prohibebat autem illum Candacis,clauſis oſtijs,dicens:Per feneſtram quęſo,ſi uidetur,loquere magis iſtis. Dicit illi Apoſtolus: Tu mihi aperi,tu mihi aperi, & per feneſtram tu conſiderabis magorum iſtorum audaciam. Itaq; aperto oſtio, Apoſtolus mox ut egreſſus eſt,ecce obuiam illi duo magi,ſingulos dracones ante ſe habentes,ueniebant. Tum uerò ut appropinquarunt, ambo dracones ante pedes Apoſtoli obdormiuerunt. Et dicit Apoſtolus magis: Vbi eſt ars ueſtra? Si poteſtis,excitate eos. Ego autem ſi non rogaſſem Dominum meum IESVM Chriſtum,omnem furorem, quẽ in me exacuiſtis,in me retorſiſſent. Sed quouſq; omnis populus conueniat,hi obdormiunt. Et quia nullus accedere huc auſus eſt, ego excitabo eos, & iubebo illos redire ad locum ſuum, cum omni manſuetudine. Conabantur autem interea arte ſua magica excitare eos Zaroes & Arphaxat, & non poterant neq; oculos aperire, neq; penitus commouere quidquam. Rogabant autẽ populi,dicentes Apoſtolo:Rogamus te domine,ut liberes populum & ciuitatem ab his beſtijs. Ad quos Apoſtolus:Nolite timere (inquit) ego faciam eos hinc cum omni manſuetudine abſcedere. Et conuerſus ad dracones,dixit:In nomine Domini mei IESV Chriſti,qui conceptus eſt ex Spiritu ſancto,& natus de Maria uirgine, quem tradidit Iudas Phariſæis,& illi eum crucifixerũt: quiq́; poſt crucem ſepultus,tertia die reſurrexit à mortuis, & conuerſatus nobis per quadraginta dies,docuit nos ea quæ ante paſsionem docuerat,commemorãs uniuerſa quæ dixerat: & qui deniq; poſt xl. dies, uidentibus nobis aſcendit ad cœlos, & ſedet nũc in dextra Dei patris,unde uenturus eſt iudicare uiuos & mortuos: in ipſius inquam nomine & uirtute,ſuſcitemini. Et te adiuro ſpiritus, ut cum omni manſuetudine facias eos redire ad locũ ſuum, ita ut nullum contingant,

Apoſtoli omnes linguas ſciuerunt.

Nota hiſtoriã dignam memoratu.

A

B

A contingant, nullum lædant, necq hominem necq quadrupedem, necq uolucrem. Ad hanc uocem eleuantes capita serpentes cœperunt ire, atq apertis portis egressi publicè & omnibus uidētibus, nunquam amplius comparuerunt. Quo facto, Apostolus populum ita allocutus est: Audite fratres & filij, & omnes qui uultis liberare animas uestras à uero dracone diabolo. Propter uestram salutem misit me ad uos Deus, ut relicta uanitate idolorum, ad ipsum conuertamini, qui uos creauit. Deus autem quādo fecit hominem primùm, posuit eum in paradiso deliciarum, cum uxore sua, quam de costa eius fecerat. Porrò paradysus deliciarum, eminet omnibus montibus, & uicinus est cœlo: necq habet aliquid in se, quod posit esse saluti hominum inimicum. Non aues terrentur ad sonitum hominis & aspectum, non spinæ nascuntur & tribuli, non ibi rosæ marcescunt, non lilia, non aliqui ibi prætereunt flores, nō anni senectutem generant ætatibus, non labor fatigationibus subiacet, nō infirmitas aliqua sanitati succedit: tristitia & fletus & mors, ibi penitus locum non habent: auræ enim quæ ibi sunt, blandiuntur potius quàm perflant, & æternitatē naribus inferunt. Nā sicut thymiamatis fumus excludit putores, ibi nares, ibi uitam exspirāt æternam: quę non permittit hominē necq fatigationem incurrere, nec dolorem, sed semper æqualem, semper iuuenē, semper lętum, & semper immobilem permanere. Sonant ibi organa angelorum, B & uoces mellifluæ auribus inferuntur. Serpens ibi locum non habet, non scorpio, non phalangius, non musca aliqua saluti hominis inimica est. famulantur ibi hominibus leones & tigrides & pardi: & quidquid iusserit homo auibus aut feris, quasi charissimo & dilecto Dei, mox obtemperant cum reuerētia iussioni eius. Quatuor quocq flumina inde fluūt: unus fluuius dicitur Geon, secūdus Physon, tertius Tigris, & quartus Euphrates. Hi omni genere piscirū abundāt. Nullus ibi est latratus canū, nullus leonum rugitus: omnia blanda sunt, omnia mansueta, omnia quieta. Nuncq ibi facies cœli nubium tegminibus obumbratur, nunquam ibi fulgura choruscant, nunquam tonitrua concrepant: sed est ibi exultatio sine fine, & festiuitas quæ terminum non habet. Quamobrem uerò paulo antè memorauerim, quòd ibi serpens penitus non esset, causa est, quòd per ipsum angelus inuidiam suā exercuerit, & propterea à Deo maledictus, in loco benedicto maledictus habitare non potest. Liuor autem angelo hinc natus est, quòd uidit imaginem Dei in homine extitisse: & quoniā homini possibile esset, ut in hac regione beata cum cunctis animantibus loqueretur. Hinc angelus qui ex se concœpit inuidiam, per potentiam angelicam serpentem ingressus, suasit uxori Adę, ut de pomo arboris manducaret, quod Deus fieri sub interminatione mortis prohibuerat. Posthęc etiam uxor cum deliquisset, seduxit uirū. Cumq ambo præuaricatores

Topographia paradisi.

Elegans de præuaricatione hominis disputatio.

existerent, huc in istam terram, aridam & desertam, exilio ablegati A
sunt, proiecti de regione uitæ in regionem mortis: ipse uerò autor sceleris simul in serpente inuentus, maledictionem æternam accepit. Huius rei conditionisq; hominum misertus ipse Dei filius, qui in præcepto patris sui hominem fecerat, pro nostra fragilitate, dignatus est hominis assumere formam, nō amittens suam deitatem. Atq; hic est homo IESVS Christus, qui recuperauit iterum illum hominem, & diabolum patiēdo crucem uicit: præterea irrisiones atq; insultationes tolerans, uicit etiam mortem moriendo, ut paradisum resurgendo aperiret. Iam ut nemini fieret dubium, illuc omnes in Christum credentes intrare, primò latronē ipsum Christus induxit: cui in ligno crucis positus, lignum præuaricationis excussit, cæterisq; omnibus paradysum animabus sanctis, de hoc corpore exeuntibus, aperuit. Deniq; in die nouissima resurgentibus, etiam regna cœlestia ut intrare ualeant, patefecit. Iam igitur, qui modò uult ad uitam, is currat, & ad paradysum redeat, licet: unde pater noster carnalis Adam foras missus, in isto nos omnes generauit exilio. Contrà aperuit nobis Dominus IESVS paradisi ianuas, ut ad patriam illam reuertamur, in qua mors locum non habet, & in qua iuge gaudium perseuerat. Cum hæc & similia loqueretur Apostolus, ecce tumultus luctuosus subitò ortus est, in quo regis filius mortuus plangebatur. Ad cuius funus stabāt magi, qui cum B
non possent suscitare eum, conabantur regi persuadere, hunc à dijs raptum esse in collegium suum, ut sit unus ex dijs, cui oporteat & simulachrum fabricari, & templum. Quæ cum audiuisset Candacis eunuchus, ingressus ad reginam, dixit illi: Istos quidem magos iubeto custodiri: tū uerò rogo te, ut ueniat ad nos apostolus Dei Matthæus. Et si ipse eum nobis resuscitauerit, istos uiuos incendi curabis, quia omnia mala per ipsos in ciuitate nostra eueniunt. Tunc missi sunt per Candacem uirum honoratum à latere regis aliqui, qui rogantes Apostolum cum honore introduxerunt ad regem. Ingrediente autem Matthæo, prostrauit se Euphenissa regina Aethiopum ad genua eius, & dixit: Agnosco te Apostolum à Deo missum pro salute hominum, & eius esse discipulum qui mortuos suscitabat, & omnes ægritudines ab hominibus suo imperio pellebat. Nunc ergo ueni, & inuoca nomen eius super defunctum filium meū: & credo quòd si hoc feceris, reuiuiscet. Dicit ei Apostolus: Atqui prędicationem Domini mei IESV Christi, adhuc ex ore meo non audiuisti: & quomodo dicis, credo? Ideóq; scias, filium tibi tuum reddi. Ingressusq; expandit manus suas ad cœlum, & dixit: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, qui ad restaurationem nostram, unigenitum filium tuum de cœlo ad terras misisti, qui nos ab errore conuerteret, & te nobis uerum Deum demonstraret, memor esto dictorū Domini nostri IESV Christi filij tui:
Amen

A Amen dico uobis, quia omnia quæ in nomine meo petieritis à patre meo, dabit uobis. Vt cognoſcant ergo gentes, quia præter te non eſt alius omnipotens, & ut uera ſit hæc aſſertio oris mei, excitetur puer iſte. Et adprehendens manum defuncti, ait: In nomine Domini mei IESV Chriſti crucifixi, exſurge Euphranon. Et confeſtim exſurrexit puer. Ad hoc factum expauit cor regis, & ſtatim iuſsit deferri ei coronas, & purpuram. Et præcones miſit per ciuitatem, & diuerſas prouincias Aethiopiæ, dicentes: Venite ad ciuitatem, & uidete Deum in effigie hominis latentem. Cumq; ueniſſet omnis multitudo cum cereis & lampadibus, & cum thymiamate, ac diuerſo ſacrificiorum ritu, Matthæus apoſtolus Domini hac uoce omnes alloquitur: Ego Deus non ſum, ſed ſeruus Domini mei IESV Chriſti, filij Dei omnipotentis, qui me miſit ad uos, ut relicto errore ſimulachrorum ueſtrorum, ad uerum Deum conuertamini. Quòd ſi me hominem ſimilem uobis putatis Deum, quanto magis hunc Deum debetis credere, cuius me ſeruum eſſe confiteor? in cuiuſq; nomine ego mortuũ hunc regis filium excitaui? Et nunc omnes qui capaces tam euidentiſsimę rationis eſtis, aurum & coronas aureas, & argentum ab oculis meis tollite, & ijs diuenditis templum Domino extruite, atq; ibi congregemini ad audiendum uerbum Domini. Quo audito, intra triginta dies undecim milia hominum congregata, fabricantes eccleſiam ſanctam

Alludit ad ornamenta coronarũ, quæ maximis uiris ob max. beneficia in rempub. uel populũ collata, deferebantur. de quib. conſule librũ 10. Operis noſtri de Romana militia.

B conſummauerunt. Et uocauit nomen templi Matthæus Reſurrectio, quoniam per reſurrectionem occaſio ædificationis extiterat. Sedit autem in eccleſia illa Matthæus annis xxiij. & cõſtituit preſbyteros ac diaconos, & per ciuitates & caſtella ordinauit epiſcopos, & multas conſtruxit per loca diuerſa eccleſias. Et baptizatus eſt rex Aeglippus, & regina Eupheniſſa, & filius eius qui ſuſcitatus erat Euphranõ: & filia eius Ephigenia baptizata, et uirgo Chriſti permanſit. Interea magi timentes, fugerunt ad Perſas. Cæterùm longum eſt narrare, quanti cæci inluminati, quanti paralytici curati, quot deniq; à dæmonijs liberati, & quot mortui ſuſcitati ab Apoſtolo fuerint. Adeò Chriſtianiſsimus rex iſte fuit, & glorioſiſſima eius coniunx, deuotus quoq; omnis exercitus & populus Aethiopiæ. Eſſet aũt longũ recenſere, quomodo omnia ſimulachra, omniaq; templa deſtructa ſunt: quæ omnia propter copiã rerum pręteriens, quo ordine paſsionem ſanctam celebrauerit, retexam. Non multo póſt enim rex Aeglippus ſenectute expleta, perrexit ad Dominum, & accepit Hyrtacus exadelphus imperium eius. Hic cum uellet accipere Ephigeniam filiã defuncti regis uxorem, iam Chriſto dicatam, & quæ ſacrum uelamen acceperat de manu Apoſtoli, præpoſita iam uirginum amplius quàm ducentarum, ſperabat tum rex Hyrtacus, quòd per Apoſtolum poſſet eius animum cõmouere. Quare cœpit cũ ſancto Matthæo agere, dicens: Dimidium

Templis nomina primùm indita.

Epiſcopi per caſtella ordinati.

Dimidium regni mei accipe, tantum ut Ephigeniam queam matrimonio meo copulare. Cui beatus Apostolus ait: Iuxta bonum propositum præcessoris tui regis, qui omni die sabbato conueniebat, ubi uerbum Domini prædicabam, iube illic & tu conuenire uniuersas uirgines, quę cum Ephigenia sunt: & audies coram populo, quantas laudes & quanta bona de bono coniugio loquar, & quemadmodum satis Deo accepta sint sancta coniugia. Quo audito Hyrtacus gratulatus est, & iussit congregationi illic interesse etiam Ephigeniam, quasi audituram ex ore Apostoli, ut coniunx fieri Hyrtaci consentiret. Facto autem in congregatione magno silentio, aperiens os suũ Apostolus dixit: Audite sermonem meum omnes filij ecclesiæ, audite & intelligite omnia quæ audistis, ut maneant scripta in cordibus uestris. Deus noster nuptias benedixit, & ipse permisit amorem corporibus dominari in sensibus carnis, ad hoc ut uir diligat uxorem suam, & mulier diligat uirum suum. Ecce autem uidimus frequenter euenisse, ut uxor uirum suum execretur usq; ad interitum, & uenenum, & gladium, & repudium. Similiter & uir suæ coniugi molitur, cum sit carnis tanta caritas, ut stimulet mentis incensum. Porrò, quid si nõ esset iste stimulus amoris in carne concessus? Ergo hic stimulus si cum amore Dei usum suum exhibeat, & amore filiorum uir mulierẽ accipiat, & mulier uirum, bonus est, & non est contra præceptum Dei: ita tamen ut mulier alterum uirum penitus nesciat, similiter & uir omnino alteram fœminam perhorrescat. Dei enim regula si custoditur à cõiugibus, à sorde commixtionis eos mundat. Sordes autem sunt corporum, quæ à Deo lauantur per eleemosynas & opera misericordiæ: non crimina, quæ non lauantur nisi per lachrymas pœnitendo. Coniugium ergo commixtionis pollutionẽ habet, crimen non habet. Deniq; diebus certis siue quadragesimæ, siue legitimorum ieiuniorum temporibus, tam ab edacitate carnium, quàm cõmixtione corporum, qui non abstinuerit, nõ pollutionem solum, sed etiam simul crimen incurrit. Neq; uerò manducare crimen est, sed incongruè manducare peccatum est, & crimen. Deniq; si aliquis prius cibum carnalem accipiat, & postea ipso die, quo iam cibo naturali refectus est, cibum spiritualem præsumat, ex utroque cibo reus criminis & inhonestatis & præsumptionis efficitur, non ideo quia manducauit, sed quia contra ordinem, & contra iusticiam, & contra regulam Dei, cibo carnali prius refectus est. Non ergo reum facit aliqua operatio hominum, sed irrationabilitas eius operis, suum damnat auctorem. Deniq; & homicidas sæpe uidimus statuas & imagines adorare: homicidam utiq;, qui hominem pacis inimicum, aut barbarum aut latronem occiderit, non ibi iam quia hoc homicidium bonum est, erit bonum homicidium hominis innocentis. Frequenter etiam & mendacium, cum per naturam suam

Sermo S. Matthæi de cõiugio, & uirginũ uelatarum celibatu.

Elegãtissima Apostoli disputatio, de malo et bono usu rerũ uel bonarum uel malarum.

A suam malum sit, bonum fieri uidetur ex causa. Nam si te ab inimi-
co tuo uolenti te percutere, possis aliqua ratione abscondere, & il-
le omnino quo nam deueneris quærat, tum tu non solum negare,
sed etiam periurare consueuisti. Ibi duo quidem mala sunt, menda
cium & periurium: & utraq; tamen mala, bonum prorũpere pro-
bantur in fructum. Deus autem non arctè nostri operis circumscri
psit limites, quasi dicas, In iudicio eius timui mentiri, ideo hominẽ
tradidi: aut si dicas, Timui perdere nummũ, ideo damnũ immensi
põderis auri incurri. Nõ ergo sunt aliqua opera sic mala, ut per na-
turã mala sint, sed per intẽperantiã nostram. Nã si pręsumat sacra-
mentorũ mysteria sumere is, qui nondũ est cœlesti aqua perfusus,
rem bonã conuertit in crimen, & inde reatũ ęternę pœnę incurrit,
unde à reatu ęternę pœnę potuerat liberari. Ita & nuptiarũ bona,
cũ à Deo benedicant̃ coniugia, à Deo sanctificẽtur, ac per sacerdo
tum benedictiones à Deo specialiter consecrentur, uidentur ali-
quibus aliquam habere diuinæ indignationis offensam. Hęc dicen
te sancto Matthæo, rex Hyrtacus clamosis laudibus cum suis co-
mitibus perstrepebat: existimans eum hæc ideo dicere, ut animum
Ephigeniæ ad eius coniugium inclinaret. Sed postquam diutissi-
mè clamatum est in eius laudem, sermonem Apostolus repetijt, fa-
cto silentio, & dixit: Videte filioli & fratres, in quantum noster ser
B mo proruperit, ut etiam homicidium bonum posse fieri probare-
mus. Cum hic occiditur, qui si non esset ipse solus occisus nocens,
multos potuisset occidere innocentes: sicut est occisus Golias, &
sicut est occisus Sisara, sicut occisus est Aman, sicut est truncatus
Holofernes, & sicut deniq; sunt occisi cum laude, qui uestris sedi-
bus inimicabantur & regnis: sic ergo & matrimonia dum copu-
lantur, boni operis honestate ornãtur, si sanctè, & iustè, & integrè
& inreprehensibiliter copulentur. Nam si hodie desponsatam re-
gis, seruus regis usurpare audeat, non solum offensam, sed etiam cri
men tam grande incurrisse dignoscitur, ut meritò uiuens tradatur
flammarum incendijs: non ideo quidem, quia duxerit uxorem, sed
quia sponsam regis sui accepisset. Ita etiam tu ô fili charissime rex
Hyrtace, sciens Ephigeniam filiam regis decessoris tui, sponsam re
gis cœlestis esse effectam, & sacro uelamine consecratam, quomo-
do quæso poteris sponsam potentioris te tollere, & tuo eam matri
monio copulare? Ad hunc sermonem Hyrtacus rex, qui per sin
gulas dictiones Apostoli laudator extiterat, ira accensus abscessit.
Apostolus uerò intrepidus & constans, eo magis etiam alacrior,
reliquum sermonem prosecutus est, dicens: Audite me qui timetis
Deum. Rex terrenus pauci temporis dominationem habere co-
gnoscitur, Rex autem cœlestis æternum imperium tenet. Et sicut
inenarrabilia gaudia habere facit eos qui fidem suã ipsi custodiũt:
ita inenarrabilibus tormẽtis illigat eos, qui à fide eius & sanctitate
o discedunt.

Conclusio, an omnes nuptiæ sint bonæ, et ad eas homo ex necessitate alligetur.

Elegans cõparatio de homicidio.

discedunt. Quod si timẽda est ira regis offensi, multo quidem magis cœlestis regis offensa metuẽda erit. Nam ira hominis, siue suppliciis, siue ignibus, siue ferro coherceat, in tormẽta temporum definit: ira autem Dei æternas gehennæ peccantibus flammas accendit. Vnde Dominus & magister IESVS Christus, præscius futurorum dixit: Apud reges stabitis, qui cum flagellauerint aut occiderint uos, posthæc non habent quid facere. Et ideo dico uobis, non timueritis eos: illum autem timete, qui postquam occiderit, potestatem habet perdere, & in gehennam mittere. Dico uobis, hunc timete. Tunc Ephigenia prostrauit se coram omni populo ad pedes Apostoli, & dixit: Obsecro te per ipsum, cuius Apostolus es, ut imponas super me & super has uirgines, manus, ut per uerbum tuum sint Domino consecratæ, ut possimus euadare minas illius, qui adhuc uiuente patre meo & matre, multa minabatur, & multis minis terrebat nos, multisq; muneribus inuitabat. Si hoc uiuentibus illis audebat, quid modò facturum putas, ubi regnum iam in manibus habet? Tum Apostolus, confidentiam habens in Dominum suum, & nihil penitus Hyrtacum metuebat: & imponens uelamen super caput eius, & supra capita omnium uirginum quæ cum ea erant, hãc benedictionem dixit: Deus plasmator corporũ, afflator animarum, qui nunquam spernis ætatem, non sexum reprobas, non ullam conditionem gratia tua ducis indignam, sed omniũ æqualis creator es & redemptor: tu has famulas tuas, quas ex omni numero gregis bonus pastor eligere, atq; ad conseruandam coronam perpetuæ uirginitatis, castimoniam conseruare animæ dignatus es, tuę protectionis scuto circumtege: ut quas ad omne opus uirtutis & gloriæ, magistrãte sapientiã præparasti, & uincentes carnis illecebras, & licita connubia recusantes, insolubilem filij tui Domini nostri IESV Christi copulam mereantur. His, petimus Domine, arma suggeras, nõ carnalia, sed spiritus uirtute potentia, ut te muniente earum sensus & membra, in earum corpore non possit dominari peccatum: atq; sub tua gratia uiuere cupientibus, nihil sibi defensor malorum, & inimicus bonorum, de his uasis iam tuo nomini cõsecratis præualeat uindicare. Omnem etiam genuinum calorem imber gratię tuæ cœlestis extinguat, lumen uerò perpetuæ castitatis accendat. Facies scandalis pudica non pateat, nec incautis occasionem præbeat negligentia delinquendi: sitq; in eis cauta uirginitas, & ornata pariter, & armata, fide integra, spe certa, & charitate sincera: ut præparatis animis ad continentiam uirtus tanta præstetur, quæ superet diaboli uniuersa figmẽta: atq; contemnendo præsentia, futura sectentur, ieiunia epulis carnalibus præferant, & lectiones sacras conuiuijs & potationibus anteponant. Vt orationibus pastæ, & eruditionibus expletæ, inluminatæ uigilijs, opus gratię uirginalis exerceant. His uirtutum armis has

Nota plenã emphasi precationẽ pro uirginitate custodienda.

A

B

A has tuas famulas interius exteriusq; communiens, præsta inoffensum cursum uirginitatis, ut hunc implere, per ipsum Dominũ nostrum IESVM Christum, redemptorem animarum nostrarum, ualeant: cum quo est Deo patri honor & gloria, in Spiritu sancto, & nunc & semper, & per immortalia sæcula sæculorum. Cumq; respondissent, Amen, & mysteria Domini celebrata, & missam suscepisset omnis ecclesia, retinuit se, ut iuxta altare, ubi corpus ab eo fuerat Christi confectum, illic martyrium Apostolicum exultaret. Itaq; non multo post, expansis manibus orantem, spiculator missus ab Hyrtaco, à tergo punctim, unius gladij ictu feriens Apostolum, martyrem Christi effecit. Quo audito, omnis populus ad palatium cum igne pergebat. Cui furenti populo occurrerũt omnes presbyteri, & omnes diaconi ac clerici, simul cum discipulis sancti Apostoli: Nolite fratres (dicebant) contra præceptum Domini agere. Nam & Petrus apostolus, arrepto gladio, amputauerat Malchi auriculam, qui Dominum tenebat cum turbis. Et ne uideretur læsus, uicem rependere lęsionis iussit, ipsam scilicet auriculam amputatam loco suo reponi. Quæ apposita ab Apostolo, solidata mox est. Et dixit Petro tum Dominus: Nunquid, si uellem, non mihi exhiberet pater meus plusquàm XII. mille legiones angelorum? Celebremus ergo omnes cũ gaudio martyrium Apostoli, & quod Deus ordinare uoluerit, expectemus. Interea Ephigenia,
B sacratissima uirgo Christi, quidquid in auro & argẽto ac gemmis habere potuerat, hoc totum sacerdotibus contulit, & omni clero, dicens: Postquam dignã Apostolo Christi fabrificaueritis ecclesiam, quidquid superfuerit, pauperibus erogabitis: me autem oportet certamen habere cum Hyrtaco. Factum est autẽ posthæc secundum uerbum Ephigeniæ, ut omnium nobilium uxores miserit rex Hyrtacus ad eam, sperans, quòd aliqua ratione posset ad eius consensum peruenire. Quod cum penitus non posset, conuocauit magos, ut dæmonum illam ministerio raperent. Qui cum & ipsi nulla hoc possent cõsequi ratione, fecit circumdari ignem prætorio, in quo cum uirginibus Christi commanẽs, Domino suo die noctuq; famulabatur. Sed cum per circuitum ignis arderet, apparuit angelus Domini, cum Matthæo apostolo, & dixit: Ephigenia firma esto, & noli expauescere hos ignes. ad illum enim, à quo tibi sunt suppositi, reuertentur. Igitur cum per gyrum prætorij sanctæ Ephigeniæ flammæ perstreperent, excitauit Deus uentum ualidissimum, & mutauit omne illud incendium à domo uirginis suæ, & ita consumpsit palatium Hyrtaci, ut non inde potuerit aliquid ex facultatibus liberari. Ipse autem Hyrtacus cum suo filio unico uix euasit: sed melius fuerat, incendio interijsse. Cæterùm filium eius uehementissimus mox dæmon impleuit, qui illum cursu rapidissimo ad Apostoli Matthæi sepulchrum adducens, à tergo manibus

ab ipso diabolo colligatis, confiteri eum paterna crimina compellebat. Ipsum autem Hyrtacum elephantiæ uulnera, à capite usque ad ultima pedum uestigia ligauerunt. Quod cum medici curare non possent, ipse in se gladium ponens, illi incubuit; digno supplicio: ut qui à tergo Apostolum Domini percusserat, ipse à recto seipsum stomacho perforaret. Quo facto, omnis populus insultans morti eius, apprehenderunt cũ omni exercitu fratrem Ephigeniæ, nomine Beor, qui per Ephigeniam germanam suam, de manu Matthæi fuerat gratiam Domini consecutus. Is itaque anno ætatis suæ uigesimoquinto, regnare in Aethiopia cœpit, & regnauit per annos sexaginta tres. Facti sunt autem omnes dies annorum uitæ eius, octogintaocto. Et se uiuente, constituit unum ex filijs suis ducem omnis exercitus, alterum uerò regem. & uidit filios filiorũ suorum, usque in quartam generationem: & habuit pacem firmißimam cum Romanis & Persis. Omnes quoque prouinciæ Aethiopũ ecclesijs repletæ sunt Catholicis, usque in hodiernũ diem, per Ephigeniam. Et fiunt ibi mirabilia magna, ad confeßionem beati Apostoli: qui primus Hebræo sermone conscripsit Euangelium Domini nostri IESV Christi, qui cum Patre & Spiritu sancto uiuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen. A

FINIS LIBRI SEPTIMI.

LIBER OCTAVVS CERTAMINIS Apostolici, ab Abdia Babyloniæ episcopo, & Apostolorum discipulo, lingua Hebraica scripti, & à Iulio Africano uersi, De rebus per Indiam à beato Bartholomæo gestis.



NDIAE tres esse ab historiographis asseruntur. B
Prima est India, quę ad Aethiopiam uergit: secunda, quæ ad Medos: tertia, quæ finem facit. Nam ex uno latere tenebrarum regionem gerit, ex alio latere mare Oceanum. In Indiam ergo ueniens Bartholomęus apostolus, ingressus est templum Indiæ, in quo erat idolum Astaroth, & quasi peregrinus, ibidem manere cœpit. In hoc idolo dæmon talis erat, qui diceret se curare languentes, & cæcos quos ipse lędebat, inluminare. Erant enim sine Deo uero homines illi, & necesse erat ut à deo falso ludificarentur. Deus autem falsus hac arte illudit eos, qui uerum Deum non habent. Facit eis dolores, infirmitates, damna, pericula: & dat responsa, ut sacrificent sibi: & cum immissa remouet, tanquam ab eo sanentur, omnes existimant. Hoc quippe uidetur stultis, quòd sanet. Ille autem non sanando subuenit, hoc est à lęsione cessando.

A do. Ita cum desinit lædere, curasse putatur. Vnde factum est, ut sancto Bartholomæo isthic manente, nulla posset responsa Astaroth dare, neque ullis ex his quos læserat subuenire. Cumque iam plenum esset languentibus templum, & quotidie sacrificantibus nullū daret Astaroth responsum, hi qui ex longinquis regionibus adducti iacebant, cum neque sacrificando, neque seipsos more suo laniādo proficerent, perrexerunt in aliam ciuitatem, ubi aliud dæmonium colebatur, cui nomen erat Beireth. Et illic sacrificantes, cœperunt inquirere, quare deus eorum Astaroth amplius nō daret responsa. Quibus respondens Beireth, dixit: Quia deus uester sic captiuus & religatus tenet, ut neque suspirare, neque loqui audeat, ex illa hora qua illic Bartholomæus ingressus est. Et dicunt illi: Et quis est iste Bartholomęus? Respondit dęmō: Amicus Dei est omnipotētis, & ideo huc uenit in istam prouinciā, ut numina quę colūt Indi euacuet. Tum illi: Dic nobis signa eius, ut possimus inuenire eū: quia inter multa milia hominum difficile est nobis cognoscere illum. Respondens autem dæmon, dixit: Capillo nigro capitis est, & crispo. Caro illius candida, oculi grandes, nares æquales & directæ, aures coopertæ crine capitis: barba prolixa, habens paucos canos: statura æqualis, quæ nec breuis, nec longa possit aduerti. Vestitus colore albo, clauato purpura. Induitur pallio albo, habente per singulos angulos singulas gemmas purpureas. Viginti sex anni sunt, ex B quo nunquam sordidantur uestimenta eius. Similiter & sandalia eius amentis latis per XXV. annos nunquam ueterescunt. Centies flexis genibus per diem, centies per noctem orat Deum. Vox eius quasi tuba uehemens est. Ambulāt cum eo angeli Dei, qui nō permittunt eum fatigari, non esurire. Semper eodem uultu, eodē animo perseuerat: omni hora hilaris & lętus permanet: omnia præuidet, omnia nouit, omnem linguam omnium gentium & loquitur & intelligit. Ecce & hoc quod uos interrogatis, & quod ego do responsum de eo, iam nouit. Angeli Dei famulantur illi, & ipsi nunciant omnino. Et cum cœperitis eum quærere, si uult ostendet se uobis: si non uult, non poteritis eum uidere. Rogo autem uos, ut dum eum inueneritis, rogetis eum, ut uel huc nō ueniat: uel hoc faciant mihi angeli qui cum eo sunt, quod fecerunt collegę meo Astaroth. Igitur reuertentes illi, cœperunt circumire omnium peregrinorum hospitales, atque aspicere uultus & habitum singulorum, & per duos dies non inuenerunt. Factum est autem, ut quidam plenus dæmonio clamaret, & diceret: Apostole Bartholomæe, incendunt me orationes tuæ. Tum Apostolus: Obmutesce (inquit) & exi ab eo. Et statim liberatus est homo ille, qui per multos annos fuerat fatigatus dæmonio. Polymius autem rex prouinciæ illius, cum haberet filiam lunaticam, nunciatū est ei de casu dæmoniosi, & liberatione. & misit qui rogarent eum, dicentes: Filia mea

malè uexatur, peto ut sicut liberasti Pseustium, qui per multos annos passus est, ita & filiam meam sanes. Et surgẽs Apostolus, perrexit ad regem. Ingressusq; ad filiam, ut uidit eam catenis strictam, propterea quòd omnes morsu attrectabat, & quos poterat tenere scindebat & cædebat, adeò ut nullus auderet ad eam accedere, primùm iussit eam solui. Et cum ministri manum immittere non auderent, dicit Apostolus: Iam ego teneo uinctum inimicum, qui in ipsa erat, & uos adhuc timetis eam? Ite & soluite eam, eleuate & reficite, & crastino mane adducite eam ad me. Euntes autem, fecerũt sicut iussit Apostolus, nec dęmon deinceps uexauit eã quidquam. Quod ubi intellexit rex, onerauit camelos auro & argento, gẽmis ac uestibus, & cœpit quærere Apostolum: sed nõ inuenit eum amplius. Et reportata sunt omnia iterum ad palatiũ regis. Factum est autem, cum transisset nox, & aurora futuri diei inciperet, apparuit regi Apostolus, ostio clauso, in cubiculo ipsius, dicẽs: Vt quid me quæsisti tota die, cum auro & argento, gemmis ac uestibus? Ista enim munera eis sunt necessaria, qui terrena quærunt. Ego uerò nihil terrenum, nihil carnale desidero. Vnde scire te uolo, quia filius Dei dignatus est per uterum uirginis nasci cum homine, ita ut homo in uirginis uulua conceptus, secum inter ipsa secreta uirginis haberet Deum, qui fecit cœlum & terrã, mare & omnia quæ in eis sunt. Hic simul cum homine natus, partu uirginis cœpit habere initiũ nascendi cum homine, cuius initium ante sæcula à Deo patre est. Sine initio nunquam non fuit, & omnibus initium dedit siue uisibilibus, siue inuisibilibus creaturis. Hæc autem uirgo cum execraretur omnem uirum, & ipsa seruandæ uirginitatis uotum prima Deo omnipotenti uouit. Primam autem ideo dixi, quia ex quo homo factus est ab initio sæculi, nulla hoc uotum Deo obtulit. Hæc ergo prima inter fœminas hoc cõstituit in corde suo, ut diceret: Domine offero tibi uirginitatem meã: cum hoc à nullo homine nec uerbo didicisset, nec exemplo, ad imitationem uidelicet inuitata, cõstituisset, ut uirgo pro amore Dei specialiter permaneret. Huic subitò in suo cubiculo clausæ, splendens sicut sol, Gabriel angelus apparuit. Quæ cum terrore perculsa, hoc uisu expauisset, ait ad illam angelus: Noli timere Maria, quia concipies. At illa timore deposito, constanter ait, Quomodo fiet hoc? quia uirũ non cognosco. Cui angelus respondit: Propter hoc Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoq; quod ex te nascetur sanctum, filius Dei uocabitur. Hic ergo cũ natus esset, passus est se tentari à diabolo, illo, qui primum hominem uicerat suadendo, ut de arbore uetita à Deo manducare præsumeret. Ipsum ergo permisit ad se accedere: ut sicut dixerat Adæ, id est primo homini, per mulierẽ, Manduca, & mãducauit: qua de causa de paradiso proiectus fuit, & in hunc mundum exiliatus, ubi &

Elegans & firma ad fidẽ Christi persuasio.

A

B

genuit

A genuit omne genus humanum. Ita & isti dixit: Dic lapidibus ut panes fiant, & manduca ut non esurias. Cui respondit: Non in pane tãtum uiuit homo, sed in omni uerbo Dei. Hic ergo diabolus, quia per manducantem hominem uicerat, uictoriam suam per ieiunantem & se continentem amisit. Par enim fuit, ut qui filium uirginis uicerat, à filio uirginis uinceretur. Tum rex ei Polymius: Et quomodo (inquit) dixisti primam hanc esse uirginem, ex qua natus est homo cum Deo? Apostolus respondit: Ago Deo gratias, quia solicitè audis. Primus inquam homo Adam dictus est, qui de terra factus est. Terra autem illa de qua factus est, uirgo fuit: quia nec sanguine humano polluta fuerat, nec ad sepulturam alicuius mortui à quoquam erat aperta. Par ergo erat, ut dixi, ut qui filium uirginis uicerat, à filio uirginis uinceretur. Et ideo, sicut qui uictor extiterit tyranni, mittit comites suos, ut in omnibus locis, ubi tyrannus possidet, titulos regis sui uictoris triumphatorios imponant: ita hic homo Christus IESVS, qui uicit, misit nos in omnes prouincias, ut expellamus ministros diaboli, qui per templa instãtius habitant: & homines qui eos colunt, de potestate eius qui uictus est, auferamus. Ideoq; argentum & aurum non accipimus, sed cõtemnimus, sicut ipse contempsit. Ibi enim cupimus esse diuites, ubi solum eius regnat imperium: ubi nec languor, nec morbus, nec tristicia, nec mors, locum aliquem habent. Sed ubi fœlicitas perpetua

B & beatitudo perennis est, & gaudium sine fine, & ubi deniq; deliciæ sempiternæ manent. Inde est, quòd templum uestrũ ingressus, dæmonem qui de idolo dabat responsa, ab angelis eius qui me misit religatũ obtineo. Quocirca si baptizatus fueris, & permiseris te inluminari, faciã te uidere & cognoscere, quãto malo careas. Nam omnes illi qui iacẽt in tẽplo ęgrotantes, audi qua arte curet eos dęmõ, fallacijs inludens: sicut diabolus, qui primum hominem uicit, ut sæpe iam dixi, quia per ipsam uictoriam pessimam potestatem habere uidetur. Et in alijs quidem maiorẽ, in alijs uerò minorem, in his scilicet qui minus peccant. Ipse quippe diabolus facit arte sua homines ægrotare, & suadet eos credere idolis. Et ut in animabus eorum potestatem obtineat, cessat eos tunc lædere, cum dixerint lapidi, aut metallo: Tu es Deus meus. Sed quia dæmon, qui in statua latebat, iam à me uinctus tenetur, sacrificantibus & se adorantibus nullum potest dare responsum. Sed si uis probare ita esse, iubebo illi ut ingrediatur statuam suam, & faciam eum confiteri hoc ipsum, quòd sit religatus, & responsa amplius dare non possit. Dicit ei rex: Cras prima hora parati erunt Pontifices sacrificare illi, & ego illis ibi mox superueniam, ut uideam hoc factũ mirabile. Factum est autem alterà die, prima hora diei, sacrificantibus cœpit clamare dæmon: Cessate miseri sacrificare mihi, ne peiora patiamini, quàm ego, qui catenis igneis religatus sum ab angelis IESV Christi,

Christi, quem Iudaei crucifixerunt, putãtes eum in morte posse de- A
tineri: Ille autem ipsam mortem, quae regina nostra est, captiuauit,
& ipsum principem nostrum, maritum mortis, uinculis ignitis uin
xit: & tertia die uictor mortis & diaboli, resurrexit, & dedit signũ
crucis suae Apostolis suis, quos misit in uniuersas orbis partes, ex
quibus & hic unus est qui me uinctum tenet. Peto autẽ uos, ut ro-
getis eum pro me, ut dimittat me ire ad alteram prouinciam. Quae
ubi audiuisset Bartholomaeus: Confitere (inquit) immundissime,
istos omnes qui hic ęgrotationes uarias patiunt, quis est qui eos lae
sit? Respondit dęmon: Princeps noster diabolus sic quomodo liga
tus est, ipse nos mittit ad homines ut laedamus, primò quidẽ carnẽ
eorum: quoniam animas hominum non possumus habere in pote-
state, nisi sacrificauerint. At ubi pro salute corporis sui nobis sacrifi
cauerint, cessamus affligere illos ex eo, quia iam in animas eorũ po
testatem habere incipimus. Iam ergo per hoc quod ab eorum lęsio
ne cessamus, uidemur curare eos, & tanquam dij colimur: cum pro
certo simus daemones, ministri eius quem in cruce positus IESVS
uirginis filius religauit. Ab illo autem die qua Apostolus eius huc
uenit Bartholomaeus, ardẽtibus catenis strictus consumor: & ideo
loquor, quia haec ille iussit. alioquin nõ ausus fuissem loqui eo prae
sente, atq; adeò ne ipse princeps quidem noster. Tum Apostolus
conuersus ad daemonem: Quare non saluas, inquit, hos omnes qui B
ad te conuenerunt? Respondit daemon: Nos quando corpora lędi-
mus, nisi animam lęserimus, corpora sine lęsione perdurant. Tunc
conuersus Apostolus ad plebem: Ecce quem Deum colebatis, ec-
ce quem uos curare putabatis. Audite nunc ex me uerum Deũ, cre
atorem uestrum, qui in coelis habitat. Non lapidibus uanis creda-
tis. Sed si uultis ut orem pro uobis, & omnes hi sanitatem recipiãt,
deponite idolum hoc, & confringite. Et cum hoc feceritis, templũ
hoc Christi nomini dedicabo, & uos omnes in isto templo Christi
baptismate consecrabo. Tunc iussu regis omnes populi miserunt
funes & trochleas, & simulachrum non poterãt euertere. Aposto-
lus autem dixit eis: Soluite uincula illius. cumq; exsoluissent omnia
uincula, dixit ad daemonem qui in eo erat: Si uis ut non te faciam in
abyssum mitti, exi de isto simulachro, & confringe illud, & uade in
deserta ubi nec auis uolat, nec arator arat, nec unquam uox homi-
nis resonauit. At ille statim egrediens, comminuit omnia genera
idolorum. Nec solum maius idolum, sed ubicunq; pro ornatu tem
pli sigilla erant posita, minutauit, ita ut picturã omnẽ delesset. Tũc
omnes una uoce clamare coeperũt: Vnus Deus omnipotens, quem
praedicat apostolus eius Bartholomaeus. Quibus factis, expan-
dens manus suas Apostolus ad coelum, dixit: Deus Abraham, De
us Isaac, & Deus Iacob, qui ad redemptionem nostrã unigenitum
tuum filium, Deum nostrum & Dominũ direxisti, ut nos omnes
qui

Sigilla, id est parua signa, et imagines: dictio, quae saepe in epist. Ciceronis et historijs occurrit.

A qui eramus serui peccati, suo sanguine redimeret, & tibi filios faceret. Qui uerus Deus ex hoc cognosceris, quia semper idem es, & immutabilis perseueras: unus Deus pater ingenitus, & unus filius eius unigenitus Dominus noster IESVS Christus, & unus spiritus sanctus, inluminator & ductor nostrarum animarum, qui dedit nobis potestatẽ, ut infirmos saluaremus, cæcos inluminaremus, leprosos mundaremus, paralyticos absolueremus, dæmones fugaremus, & suscitaremus mortuos. Et dixit nobis: Amen dico uobis, quęcunque in nomine meo petieritis à patre meo, dabit uobis. Peto ergo in eius nomine, ut omnis hæc multitudo saluetur: ut cognoscant omnes, quia tu es Deus unus in cœlo, & in terra & mari, qui salutem recuperas per ipsum Dominũ nostrum IESVM Christum: per quem est tibi Domino patri honor & gloria, cum Spiritu sancto, per immortalia sæcula sæculorũ. Cumque omnes respondissent, Amen: apparuit angelus Domini splendidus sicuti sol, habens alas. & per quatuor angulos templi circumuolans, digito suo in quadratis saxis sculpsit signum crucis, & dixit: Hæc dicit Dominus, qui misit me: Sicut omnes uos ab infirmitate uestra mundamini, ita mundaui templum hoc ab omni sorde, & habitatore eius, quem iussit Apostolus Dei ire in locum desertum ab hominibus. Præterea me iussit Domi-
B nus, quem uidentes nolite expauescere, ut prius ostendam uobis, ut quale signum ego sculpsi in his saxis, tale uos digito uestro facite in frontibus uestris, & omnia mala fugient à uobis. His factis, ostendit eis angelus Domini ingentem Aegyptium, nigriorem fuligine, faciem acutam habentem cum barba prolixa, & crines usque ad pedes, oculos igneos sicuti ferrum ignitum, scintillas emicantes ex ore eius, & ex naribus egrediebatur flamma sulphurea. Habebat & alas spineas sicuti histrix, eratque uinctus à tergo manibus, igneis catenis strictus. Et dixit ei angelus Domini: Quoniam audisti uocem Apostoli, & omnia pollutionum genera de isto templo mundasti, secundũ promissum Apostoli soluam te ut uadas ubi nulla conuersatio hominum est, uel esse potest, & ibi sis usque ad diem iudicij. Et cum exsoluisset eum, ululatum teterrimum diræ uocis emittens, euolauit, & nusquam comparuit. Euolauit & angelus Domini, uidentibus cunctis, ad cœlum. Tunc rex unà cum uxore sua, & duobus filijs, & cum omni exercitu suo, & cum omni populo qui saluatus erat, & uicinarum urbium quæ ad eius regnum pertinebant incolis credens, baptizatus est, & deposito diademate capitis, & purpura, cœpit Apostolum non deserere. Interea colligentes se uniuersorum templorum Pontifices, abierunt ad Astyagem regem, fratrem eius maiorem, & dixerunt: Frater tuus discipulus factus est magi hominis, qui templa no-

stra sibi uendicat, & deos nostros confringit. Cumque hæc flentes re- A
ferrent, rex Astyages indignatus, misit mille uiros armatos cum Pontificibus, ut ubi inuentus esset Apostolus, uinctum illum perducerent ad eum. Quod cum fecissent, dixit ad eum Astyages: Tu'ne es qui euertisti fratrem meum? Cui Apostolus: Ego non euerti eum (inquit) sed conuerti. Dixit iterum rex: Tu es qui deos nostros fecisti comminui? Respondit Apostolus: Ego dedi potestatem dæmonibus, qui in eis erant, ut ipsi conquassarent idola uana, in quibus degebant, ut omnes homines relicto errore crederent omnipotenti Deo, qui in cœlis habitat. Dicit ei rex: Sicut tu fecisti fratrem meum, ut relinqueret Deum suum, & Deum tuum crederet: ita faciam te relinquere Deum tuum, & Deo meo credere, & ipsi sacrificare. Dicit ei Apostolus: Ego Deum quem colebat frater tuus, religatum & uinctum ostendi, & ipsum feci ut frangeret simulachrum suum. Si potueris hoc facere Deo meo, tunc me ad sacrificandum impelles. Si autem tu nihil Deo meo facere potes, ego omnes Deos tuos comminuam, & tu credes Deo meo. Hæc cum diceret, nunciatum est regi, quod deus eius Vualdath cecidisset, & minutim dissiluisset. Qua re indignatus rex, scidit purpuream uestem, qua indutus erat, & fecit exinde fustibus cædi beatum Bartholomæum. Cæsum autem iussit decollari. Interea qui hæc audierant, uenerunt duodecim ciuitatum B
populi, qui per illum crediderant, unà cum rege Polymio: & abstulerunt cum hymnis, & cum omni gloria corpus eius. Factum est autem tricesimo die depositionis eius, arreptus dæmonio rex Astyages, uenit ad templum eius, & omnes Pontifices pleni dæmonibus passi sunt, & confitentes Apostolatum eius, ibidem mortui sunt: & factus est timor & tremor super omnes incredulos. Et crediderunt uniuersi, atque baptizati sunt à presbyteris, quos ordinauerat apostolus Bartholomæus. Factum est denique per reuelationem, uniuerso populo acclamante, ut ab Apostolo ordinaretur episcopus ipse rex Polymius: qui cœpit ab eo tempore in nomine Apostoli signa multa facere, fuitque in episcopatu annis uiginti: & demum perfectis omnibus, ac bene cõpositis ac stabilitis, migrauit ad Dominum, cui honor & gloria sit in sæcula sæculorum, Amen.

FINIS LIBRI OCTAVI.

LIBER NONVS APOSTOLICI certaminis, ab Abdia Babyloniæ episcopo in lingua Hebraica conscripti, & à Iulio Africano uersi, De rebus beati Thomæ apostoli per Indiam gestis.

A



EATVM Thomam cum reliquis discipulis, ad officium Apostolatus electum, ipsumq́ à Domino Dydimum, quod interpretatur geminus, uocatum, fides Euangelica narrat. Qui licet resurgente Domino, diffidere sit uisus, eo quòd condiscipulis suis, qui Christum se uidisse affirmabant, eis se habiturum antè fidem negarit, quàm manus suas in uulnera & plagarum uestigia imposuisset: tamen reprehēsus mox à magistro, qui apparuerat illi, & cōfirmatus in fide, acceptoq́ Spiritus sancti dono, Taddæum, unum ex septuaginta discipulis, ad Abgarum, regem Edessenæ ciuitatis transmisit, ut eum ab infirmitate curaret, iuxta uerbum quod ei à Domino scriptū erat. Quod Taddæus ambienter impleuit, ita ut ueniens, imposito regi crucis signaculo, ab omni eum languore curaret. Dum hæc fierēt, Thomas interea morabatur in Hierusalem: ubi diuina commonitione iussus est Indiam ingredi, ut scilicet populo qui iacebat in tenebris, lumen ostende-
B ret ueritatis. Porrò legisse me memini quēdam librum, in quo iter eius in Indiam, & res ibi gestæ explanantur: qui quòd ab aliquibus ob uerbositatem non recipitur, superuacaneis omissis, ea memorabo quæ fide certa constant, ac legentibus grata sint, & ecclesiam roborare possunt. Igitur cum sæpe à Domino commoneretur, ut diximus, beatus Thomas, ut partes citerioris Indiæ ingrederetur: & ille quasi Ionas, à facie Domini fugiens ire differret, nec impleret quę sibi diuinitus pręcipiebantur, apparuit ei Dominus in uisu noctis dicens: Ne timeas Thoma descendere in Indiam: Ego enim uado tecum, & non derelinquam te, sed glorificabo te isthic, implebisq́ certamen bonum, confessus me coram hominibus terrę illius: & exinde assumam te cum gloria, & statuā te cum fratribus tuis in regno meo. Nam scito, quia oportet te ibi multa pati propter me, ut cognoscāt omnes te docente, quia ego sum Dominus. Hęc cum audisset beatus Apostolus, dixit: Quæso Domine, ne dirigas illuc seruum tuum. Regio enim illa lōginqua & grauis est, & incolæ sunt loci illius iniqui, & ignorantes ueritatem. Accidit autem, ut his dieb. Hierosolymis esset negociator quidam Indus, Abban nomine, ut per Syriam peritum quendam in architectura compararet, à Gundafero rege missus. Huic per diem Dominus in specie humana apparens, ait: Quid hic tu ô homo, de tanto terræ spacio aduenisti? Et ille: A' domino (inquit) meo, rege Indiæ, missus sum, requirens artificem structorem, qui ei palatia posit ædificare. Cui

Dominus ait: Est mihi seruus talis, quem si uolueris, comparabis. A
Et statim adduxit negociatorem ad hospitium Thomæ, & ostendens eum inquit: Hic est seruus meus artifex, de quo locutus sum. Nunc autē de precio cum eo conuenite. Quod cū acceperit, duc eū quò uolueris. Quod cum negociator fecisset, apprehensum sanctum Thomā deduxit ad nauem suam. Et ascendentes, mense tertio in Indiā citeriorem euecti sunt: obstupuitq; negociator causam uelocitatis, eo quòd iter illud, quod aliàs triū annorum spacio uix expediebatur, nunc in tribus mensibus esset impletum. Exeūtes aūt de naui, ingressi sunt primam Indiæ ciuitatem, & audiebant sonos musicos, & urbem totam lætitia magna plaudere. interrogantesq; unum de populo, quid hoc esset? dictū est illis: Rex (inquit) noster unicam filiam hodie copulat matrimonio, ideo gaudiū est huic ciuitati: & te, ut credo, dij exhibuere, ut his epulis interesses. Hæc illis colloquentibus, subitò totam ciuitatem uox præconia replet, dicens: Audite habitatores omnes, diuites, mediocresq;, peregrini & pauperes: accedite ad palatium regis, & epulemini, gaudete et estote iucūdi. Si quis uerò ab hac se cōmuni lętitia subtraxerit, reū se nouerit Maiestatis. Hęc cū audijsset negociator, ait Thomę apostolo: Eamus & nos, ne culpabiles inueniamur corā rege. Tūc ingressi palatium, iussi sunt discumbere thoro. Thomas autem apostolus discubuit in medio, intendentibus omnibus in eum, & scientibus quòd peregrinus esset. Aderat uerò his nuptijs & puella ex Hebræis, concinens calamos: quæ cum audisset beatū Thomam, orantē & benedicētem Deum, intellexit de sua esse regione, & intendebat in eum iugiter, nec desistebat ab admiratione uultus eius. Sed & ille intelligēs Hebręā esse, libentissimè aspiciebat eam. Hęc uidēs pincerna cōuiuij, zelo ductus, dedit alapā Apostolo, dicēs: Vt quid tu sic intendis in mulierē? At ille eleuatis in cœlū manibus, ait: Indulgeat tibi Dominus in futuro iudicio, fili. In hoc uerò sæculo, protinus repræsentet dexteræ illi, quæ me uerberauit iniustè. Erat autem iam imminens nox, epulantibusq; illis subitò defecit aqua ministerijs nuptialibus. Quare euntibus multis ad hauriēdum, & tardantibus, ipse quoq; pincerna cucurrit. Et accedēte eo ad fontem, adfuit leo magnus qui adprehensum puerum cōfregit; & in frusta discerpsit. Cuius dexteram adprehensam, canis qui aderat, detulit ad domum, & portabat per conuiuia epulantiū. Requirentibus autem illis, quis deesset ex famulis: cognoscunt pincernam interemptum esse ad fontem, atq; eius dextram, cum leo reliquum corpus deuorasset, à cane fuisse correptam, conuiuioq; delatam. Hæc audiens puella Hebræa, confractis calamis procidit ad pedes Apostoli, clamās uoce magna, & dicens: Verè hic est seruus Dei uiui, quia omnia quæ locutus est, uelociter sunt impleta. Cum uerò & hæc audisset Rex, prostratus est & ipse ante pedes eius, dicens:

Nota mirabilem historiam.

B

A cens: Rogo uir Dei, ut depreceris Deum tuum pro unica filia mea, quam hodie uiro tradidi: ac peto ut eas illuc, atque benedicas puerū scilicet & puellam. Illo uerò recusante, rex ui cōpulit Apostolum, ad thalamum usque procedere. Tunc beatus Apostolus, expansis manibus orauit super eos, dicens: Deprecor Domine, ut effundas benedictionem tuam super hos adolescentes, & inspirare digneris cordi eorum, quæ eos agere oporteat. Atque ita cōsummata oratione egressus est ostium, omnibusque forás egredientibus, puer reuertebatur ad thalamum. Et ecce apparuit ei Dominus in similitudine Thomæ apostoli, sedens super lectum eius. Puer uerò timēs, ait ad eum: Nonne tu modò egressus es? Et quomodo huc iterum es ingressus? Cui ille: Non sum (inquit) ego Thomas, sed frater eius: Ipse enim uos mihi cōmendauit, ut custodiam uos ab omni malo. Et ideo audite consilium meum. Relinquite omnē solicitudinem sæculi, & credite in Deum uiuum, quem prędicat frater meus Thomas. Estote castè uiuentes, & proijcite à uobis omnem curam huius uitæ mortalis, ut effecti per sanctitatem mentis & corporis templum Dei, illam uitam perpetuam, quæ nullo fine clauditur, adquiratis. Et hæc dicens, ac benedicens eis, recessit à cubiculo. Mane autem facto, ueniens rex uisitare eos, inuenit puerum sedentem, & puellam iuxta eum, nihil habentem uerecundiæ, ut ordo exigit nuptialis. & ait ad eos rex: Quæ uos causa ita sedere facit? Cui puer:
B Gratias agimus Domino nostro IESV Christo, qui nos ad suā noticiam uocare dignatus est, ut relictis tenebris, sequamur lumen ueritatis eius. Sed & puellæ ait rex: Cur tu nihil uerecundiæ ferens ob honorem nuptiarum, impudenter oculos erigis? Et illa: Hæ (inquit) nuptiæ transitoriæ sunt: at ego desponsata sum à rege cœlorum, cuius thalamus immensis monilibus splendet, cuius nuptię castæ sunt, ad cuius mensam epulæ non deficiunt, in cuius domo lętitia perennis, iucunditas sempiterna, & gaudia perpetua perseuerant: cuius uultus est omnibus in eum credentibus desiderabilis, de cuius uestimentis diuersorum aromatum suauitates efflagrant: in cuius hortis lilia perenniter nitent, rosæ rubent, uiolæ & croci perpetua florum uiriditate rubescunt. Hęc illa dicente, rex scidit uestimēta sua, dicens: Perquirite magum illum, quem ego sponte introduxi in domum meam, ut amitterem filios meos. Ecce enim maleficati ab eo, Christianos se nunc dicunt. Igitur indignatus misit ministros, qui requirerent Apostolum. Sed non inuenerunt eum. iam enim cum negociatore ad ulteriores Indiæ partes processerat. Adolescentes autem prædicabant ab eo tempore uerbū Domini iugiter, ita ut omnis populus per eos conuerteretur ad Dominum. Sed & ipse rex, qui erat pater puellæ, compunctus corde, credidit in Dominum IESVM Christum. Et audiens beatum Apostolum in ulteriori India commorari, abijt cum omnibus qui

crediderant,& peruenit ad eum,procidensꝗ ad pedes eius, roga- A
uit ut eos omnes baptiſmatis gratia conſecraret. Hæc audiens Apo
ſtolus,gauiſus eſt,& gratias egit Domino: tranſactoꝗ ſeptem die
rum ieiunio,baptizauit eos in nomine Trinitatis. Ipſe quoꝗ rex
rogauit ſibi caput tondi,& diaconus ordinatus eſt, & adhærebat
inceſſanter Apoſtolicæ doctrinæ. Interea dum hæc fiunt,nego-
ciator acceſsit ad regem,& nunciauit ei,inueniſſe ſe uirum,qualem
ei præceperat. Quem rex,repletus gaudio,iuſsit adduci in conſpe-
ctum ſuum,& ait: Quod eſt opus tuum,uel quod artificium noſti?
Seruus ſum (ait Apoſtolus) artificis architecti. In lignis autem &
cæmento ualde cognitus ſum,& in omnibus quę iuſtè præcipiun-
tur. Tum rex: Talem dudum requirebam, qui hæc artificia noſ-
ſet. Et egreſſus è ciuitate,oſtēdit ei locum,& ait: Si uerus es artifex,
in huius loci planicie palatium mihi conſtrues. Quod ubi feceris,
probabo quòd in cæteris operibus ſis perfectus. Cui ait Apoſto-
lus: Opportunus eſt locus, in quo palatiū ędificetur, quod in per-
petuum rex debeat inhabitare: quia planitie extenſus, tum aqua
iucundus,& aere ſalubris habetur. tum data menſura ædificij,reli-
ctoꝗ multo pondere auri,profectus eſt rex in aliam ciuitatem,de-
precans Apoſtolum,ut uelociter ædificaret domum illam. Beatus
uerò Thomas accepta pecunia, pergebat in circuitu ciuitates ob-
ambulans,& euangelizans uerbum Dei,aurum regium indigenti B
bus diſtribuebat, ſanabatꝗ omnes infirmitates populi per regio-
nem illam. Paulo pòſt cum aliquot dies tranſiſſent, miſit pueros
ad Apoſtolum,qui opus ædificij cōtemplarentur, & ſi quo adhuc
indigeret. Qui cum ad Apoſtolum ueniſſent,& quæ iuſsi fuerant
à rege expediuiſſent,reſpondit Apoſtolus: Palatiū,quod fieri rex
præcepit,iam ædificatum eſt, ad cuius tectum aliqua adhuc neceſ-
ſaria ſunt,quæ rex tranſmittat. Hæc ut ab Apoſtolo audiuerant,
nunciauerunt pueri regi. & miſit rex iteratò pecuniam Thomę,de-
precans,ut uelociter ædificium cooperiretur. Deniꝗ poſt multū
temporis,exiſtimans rex opus completum eſſe, uenit ad ciuitatem
illam: & interrogans amicos ſuos,cupiebat uidere palatium,quod
Thomas ædificauerat. At illi dixerunt, nihil ædificij noui in hac
urbe operatus eſt: ſed uadit per populos,erogans aurum tuum,no
uumꝗ Deum patriæ,qui nunquam auditus eſt, prædicat, & poſt
hanc uitam neſcio quam æternam promittit, aſſerens homines in
perpetuo uiuere,qui crediderint in nomine Dei ſui: dæmonia eij-
cit,ſanat infirmos,mortuos ſuſcitat, & nihil mercedis accipit. Vn-
de manifeſtum eſt,magum illum eſſe, & ſeductiones uaniſsimas e-
xercere. Quę cum audiſſet rex,indigātus iuſsit eum adduci,& ait:
Oſtende ædificium quod operatus es, alioquin morieris. At ille:
Aedificium (inquit) quod præcepiſti fieri rex, iam expletum eſt.
Sed nunc non uidebis illud: uidebis autem in ſæculo futuro, & ha-
bitabis

A bitabis in eo fœliciter. Tum rex furore ſuccenſus: Ad inludendum (inquit) nobis, ut audio, huc ueniſti. & ſtatim iuſsit eum mitti in carcerem, cum Abban negociatore. Audiens autem hæc frater regis, quòd ſcilicet uaſtata fuiſſet pecunia publica, & nihil appareret ex ea, indignatus, & damno cõdolens fraterno, febre accenſus, conuertit caput in lectulum, & uocans regem, ait: Ecce dies obitus mei aduenerunt, & nunc commendans domum meam tibi, noueris me ſpiritum exhalare. Sed rogo, ut magum illum, cuius nequitia hæc patior, protinus iubeas decollari. & hæc dicens, obmutuit. Et iacebat clauſis oculis, neq; cibum capiens, neq; ullum proferens uerbum. Tertia uerò die apertis oculis, uocauit iterum fratrem ſuum, dicens: Spei meæ certa eſt confidentia, ut ſi quid à te petiero, præſtare non abnuas. Nunc autem rogo ut transferas in ditionem meam palatium, quod tibi homo peregrinus ædificauit. Illo autem admirante, eo quòd palatiũ Thomas nullum ædificaſſet, cœpit ei exponere, & dicebat ductum ſe fuiſſe à duobus uiris, & oſtenſum palatium. Et adijciebat, quæ amplitudo ei eſſet, quæ feneſtræ, qui ſplendor, quod tectum, dicentibus ſibi uiris à quibus ducebatur: Hæc eſt domus quã ædificauit fratri tuo Thomas apoſtolus Chriſti. His auditis, rex ait fratri ſuo: Si tibi hoc ædificium placet, da ei pecuniam, & ſimile conſtruat tibi. Ego autem non relinquam
B domum meam, quam multo labore quæſiui. Et curſu uelociſsimo abiens ad carcerem, dimiſit Apoſtolum: deprecans ex eo, ut indulgeret ei iniuriam quam fuerat paſſus: & flagitabat ſignaculum beatæ crucis accipere, & credere Deo illius. Beatus uerò Apoſtolus indicens eis ieiunium per ſeptem dies, prædicauit uerbum Domini. Et die ſeptima baptizauit regem & fratrem eius, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Sed & populum multum poſt hos, & cum his baptizabat. Tunc quoq; ipſe rex cum fratre ſuo aſcendens de lauacro, uidit iuuenem in ueſte alba, tenentem lampadem magnam, & dicentem: Pax uobis, & ſtatim receſsit ab oculis eorum. Poſterius exeunte Apoſtolo de ciuitate, ecce occurrit ei mulier ſpiritum immundum habens. Et cum uidiſſet Apoſtolum, conliſit eam ſpiritus in terram, & ait: Quid nobis & tibi Apoſtole Dei ſummi? ueniſti ante tempus, extrudere nos à ſedibus noſtris. Ad quem conuerſus mox beatus Thomas, ait: In nomine Chriſti Domini mei impero tibi, ut exeas ab ea, & nihil noceas corpori illius. Et ſtatim dæmonium cum egrederetur, dicebat: Ecce eijcis me hodie ab hac muliere, nobiliorem autem inuenturus ſum in quam ingrediar. Et confeſtim eiecto dæmone, mulier ſana facta procidit ad pedes Apoſtoli, ſignum ſalutis efflagitans. Ille autẽ abijt ad fontem qui erat proximus, & ſanctificauit illum, & baptizauit mulierem cum multis alijs. Deinde benedicto pane, cõmunicabat eum omnibus, dicens: Gratia Domini uobiſcum. Accipientibus autem

multis

multis de hac gratia, uenit quidam adolescens: Cumq; extendisset manum, ut acciperet & ipse benedictionem, attracta est dextera eius, nec poterat eam amplius ad os adducere. Quod cum uidisset Apostolus, ait: Ecce omnes qui accipiunt ab hoc pane, sanitati redduntur. Dic tu o iuuenis, quid sceleris commisisti, ut hæc tibi eueniant? At ille tremens, ait: Nudiustertius cum prædicares, audiui te dicentem, quòd omnes adulteri non haberent partem in regno Dei tui. Cumq; domũ redijssem, uidi uxorem meam mœchari cum uiro altero, & statim apprehensam sugillaui eam, quæ iacet iam domi mortua. Quæ ut audiuit Apostolus, iussit exhiberi sibi aquam in hydria, & abluens manus adolescentis sanauit eum, dicẽs: Ostende mihi ubi recũbit mortua uxor tua. Et uidens eam Apostolus, prostratus in oratione, ait: Domine IESV Christe, qui ore benigno polliceri dignatus es, ut omnia quæcunq; peterem à te, benigna pietate largireris. Suscita ergo nunc hanc mortuã, ut ista uiuente, multi credentes suscitentur ad uitam perpetuam. Et adprehensa manu mulieris, suscitauit eam. At illa uidens Apostolum, procidit ad pedes eius, gratias Deo agens. Quod uidẽtes multi credere cœperunt, & baptizabantur ab Apostolo, offerentes ei munera, quæ statim indigentibus erogabantur. Hac fama procedente per ciuitates, conueniebat populus indies maior, exhibens infirmos, & ponẽs per plateas, unde sanctus erat transiturus Apostolus. Quos cum ille uidebat, cunctos in nomine Domini nostri IESV Christi, impones signum beatæ crucis, persanabat. Audiens autem hæc quidam princeps Mesdei regis, uenit ad eum dicens: In ueritate cõperi, te uerum medicum esse: Qui cum languores omnium cures, nihil mercedis tamen accipis. Et nunc sunt mihi uxor & filia, quæ cum de nuptijs uenirent, à dæmonio correptæ, grauiter cruciãtur. Rogo igitur ut accedas, & benedicas eis. Confido enim quòd possis saluare illas, in nomine Dei tui. Tum beatus Apostolus condolens homini, ait: Si credideris, sanabitur filia & cõiunx tua. Cui ille: Si (inquit) non credidissem, non utiq; uenissem ad te. His auditis, uocauit Apostolus diaconum suum, illum qui rex fuerat ciuitatis primę Indiæ, ubi Apostolus ad nuptias erat inuitatus, & ait ad eũ: Vade, & conuoca omnes credentes ad me. Qui cum uenissent, ait ille: Ecce ego à uobis abscedo. Vos autem state fortes in fide, & custodite quæ à me accepistis. Diligite Dominũ IESVM Christum, per quem renati estis in baptismo. Diaconum uerò istum relinquo uobis, neq; ulterius uidebitis faciem meam. Et extẽdens manus suas, benedixit eos dicens: Custodi quæso Domine gregem tuum, quem per me cõgregare dignatus es, ut nullus retrorsum ruat, nullus post diabolum reuertatur: sed omnes tua uirtute protecti, uitã æternam consequi mereantur, & tecum regnent in perpetuo, cui est cum æterno patre & Spiritu sancto honor & gloria in sæcula sæculorum.

A sæculorum. Et cum respondissent omnes, Amen: beatus Apostolus exosculans singulos, & ualefaciens, ascendit in currum cũ principe Mesdei regis, & profectus est cum eo. Populus autem flebat ualde post eum, & tristabatur de absentia eius. Igitur appropinquante Apostolo ad domum illius cum quo gradiebatur, spiritus malus conturbauit mulieres, & uexabantur uehementer. Cumq́ue uenisset Apostolus, dicebat spiritus immundus: Quid nos persequeris Thoma, apostole Dei uiui? Iam enim nos de alia India eieceras, nec est locus in quem fugiamus à facie tua. Tũc intellexit Apostolus, hoc esse dæmonium quod eiecerat prius à muliere in India secunda. & ait illi: In nomine IESV Christi, filij Dei uiui, quem prędico, egredimini, & abite in terram desertam, & nolite ultra uexare homines. Et statim exierunt dæmonia de mulieribus. Quæ cadentes, factæ sunt sicut mortuæ. Adprehensis autem manibus earum, leuauit eas, & benedicto pane, dedit eis cibum. Et prædicabat beatus Thomas per totam Indiam, euangelizans Dominum IESVM Christum, nec solum sermonibus, sed operibus etiam, fidem barbaricis pectoribus inserebat. Itaq; ille ante paulisper incredulus, qui dixerat, Nisi uidero fixuras clauorum, non credam: credentes Deo populos innumeros congregabat. Et puto per prouidentiam Domini ideo eum diligentius de resurrectione quæsisse, quia duris ac

B feris gentibus seminaturus erat uerbum Domini, uti instructior redderetur, quod hæsitantes fide uel ratione firmaret. Inuenit igitur in India uiros pariter ac fœminas, qui uerbum susciperent Dei, quorum quotidie multos sanabat infirmos. Audiens autem hæc signa quæ faciebat sanctus Apostolus, mulier quædam Mygdonia nomine, uxor Charisij, propinqui regis Mesdei, ueniebat ad eum: cumq́ue præ turba accedere non posset, & pueri eius cædebant populum, & repellebant multos: uidens Apostolus, prohibuit fieri. Et dato spacio, accessit mulier, & procidit ad pedes eius, & ait: Miserere nobis Apostole Dei uiui, quia sumus sicut bestiæ quæ sensum non habent. Hæc audiens Thomas, respondit: Audi filia, noli cõfidere in diuitijs quas possides, sed potius distribue omnia pauperibus, ut fugiens hanc uitam transitoriam, perpetuam adipiscaris. Relinque idola muta & surda, & cognosce uiuentẽ Deum. Et cum ei de fide usq; ad uesperum intimasset, accepto signaculo crucis, reuersa est mulier in domũ suam. Et ingressa cubiculum, flebat ualde, deprecans Dominum, ut inueniret ueniam pro delictis suis. eratq́ue continuò tristis, donec ueniens uir eius, causam tristitiæ rogaret. Cui famuli dixerunt: In cubiculo commoratur Domina nostra. Ingressus igitur uir ad illam: Cur (inquit) tristis es, & cur conturbatur cor tuum? Scio autẽ quia accessisti hominem magum, & audiuisti ab eo uerba inania, quæ nihil proficiunt. Relinque ergo cogitationes uanas, & surge ut epulemur simul. Cui

illa ait: Indulge quæſo mihi hac nocte, quia neq; cibũ neq; potum A
acceptura ſum, ſed nec in ſtrato tuo quieſcam. At ille recedẽs ab ea, epulatus eſt cum amicis ſuis. Mane autem facto rediјt ad eam, & inquit: Mygdonia audi ſomnium meum. Putabã me cum rege Meſdeo diſcumbere, & ueniens aquila rapuit ex diſco duas aues optimas, ac abiјt: & rurſus rapuit alias duas, portabatq; eas ad nidum ſuum. Quæ cum rex uideret, emiſſo iaculo transfixit illam, ſed nihil ei nocuit. Hæc audiens mulier, dixit: Optimum eſt hoc uerbum, & illud quod uidiſti. Interea abeunte uiro ad palatium, mulier iterum acceſsit beatum Thomam, & inuenit eum docentem turbas, procidensq; ad pedes eius, ait: Prædicationem tuam audiui, & omnia uerba quæ aure ſuſcepi, corde retineo impolluto, & ſtans audiebat uerbum uſq; ad ueſperam. Adueniente autem nocte, regreſſa eſt in domum ſuam, & nihil cibi accepit, neq; dormiuit cũ uiro ſuo. Quare Chariſius uir eius mane facto, dolens quòd ab eo ſepararetur uxor, indutus ueſtimenta uilia, acceſsit regem. Quem cum deturpatum uidiſſet rex, ait illi: Quæ extat cauſa, ut hæc te uilitas circũdet? At ille: Quia perdidi (inquit) uxorem meam per hominẽ magum, quem Sapor introduxit in regionem iſtam, ut perdat eam. Et ſtatim rex iuſsit Saporem uocari. Euntes autem pueri, inuenerunt eũ ſedentem iuxta Apoſtolum, & audiẽtem uerbum Dei, & Mygdoniam ad pedes eorum. Cui pueri: Ecce (aiunt) rex in caput tuum B
iratus eſt, & tu uerbis inanibus uacas? Veni, quia uocat te. At ille ſurgens, rogauit Apoſtolum ut orationem funderet pro eo. Ad quem conuerſus Apoſtolus, ait: Noli timere, ſed ſpera in Dominum, quia ipſe erit adiutor noſter, & non timebimus noceri ab ullo mortali. Et ingreſſus eſt Sapor ad regem. Ad quem rex: Quis eſt (inquit) magus ille, quem accerſiſti in domum tuam, qui conturbat regionem & populum noſtrum? Sapor reſpondit: Noſti enim optime rex, afflictionem meam, quam de uxore & unica filia habueram, quæ à dæmonio uexabãtur, & ab eo ſanatæ ſunt. Sed & multi infirmi nunc per manus eius ſanãtur: & omnia quæcunq; petierit à Deo ſuo, præſtat ei. Quibus auditis, Meſdeus rex iuſsit adduci ad ſe Apoſtolum: Sed quia pueri non poterant præ turba ad eum accedere, Chariſius cum furore rupit per turbam, & ait: Surge malefice, & ueni in præſentiam regis: nihil enim ualet magica tua. Et miſſo fune in collum eius, trahebat eum ad regem, dicẽs: Veniat Chriſtus, & eruat te de manibus meis. Ita igitur tractus, cũ ueniſſet in conſpectum regis, ait illi rex: Quod eſt genus tuum, uel quæ patria, uel in cuius nomine hæc ſigna facis? Tum beatus Apoſtolus reſpondit: Deus meus, Deus tuus eſt, creator cœli & terræ, & omnium quæ in eis ſunt. Qui ſolus coli debet, non idola ſurda & muta. His auditis rex iratus ualde, iuſsit eum extenſum torqueri, & cæſum recludi carcere. Cumq; recluderetur, gratias agebat Deo,

A Deo, quòd dignus esset talia pro nomine eius pati. Charisius autem reuersus ad domum suam, dicebat: Nunc copulabitur mihi uxor mea, eo quòd abstulerim magũ de medio populi huius. Et ueniens, inuenit eam detonso capite decumbere solo, & ait: Dulcissima coniunx, quæ mentem insania cœpit, ut hæc feceris? Nunquid potentior erit mihi hic magus? Nonne uides quòd me omnis India ueneratur, & quod uolo, hoc facio cũ rege? Sed & pecunia magna est mihi. Cui illa: Omnia (inquit) hæc terrena sunt, & in terram reuertentur. Is autem beatus erit, qui se uitæ perpetuæ copulauerit. Hæc audiens Charisius, quieuit in lecto suo. Mygdonia autem accipiens aurum, dedit custodibus: & ingressa in carcerem, osculabatur pedes Apostoli, audiens uerbum Domini. Et reuersa ad domum suam, dum uir eius apud Regem esset, prostrata humo in cubiculo, deprecabatur Deum cum lachrymis, dicens: Propitiare Domine insipientiæ meæ, ut reuertar ad salutem perpetuam. Quod uidens nutrix illius, ait ad eam: Quæ est peruersitas in corde tuo, ut relicto uiro, per quem magnificè honoraris, ieiunijs ac uigilijs te affligas, seducta uerbis magi unius? Cui illa ait: Non est hoc peruersitas, sed integra ratio, ut cognoscat homo auctorem suum, & mereatur adipisci uitam perpetuam. Vtinam & tu crederes Christum, & particeps fieres agonibus nostris. At illa: Si (inquit)
B rationem cognouero, sequar te. Tum Mygdonia: Dij, quos usque nunc colui, nihil sunt, sed est uerus Deus IESVS Christus, per quẽ facta sunt sæcula: qui ut hominem, quem prius plasmauerat, redimeret, homo factus, mortuus & sepultus est: descendit ad inferna, & eripuit eos qui tenebantur à morte pessima. Exinde rediens, docuit nos resurgere. & sic ascendit ad cœlos, sedet ad dextrã Dei patris omnipotentis, tribuens nunc credentibus in se dona cœlestia. Cuius tempora finem non accipiunt, cuius læticia nunquam perit, cuius denique lux nunquam occidit. Ipse uerò cum patre & spiritu sancto regnat, & nunc, & in cuncta sæcula sæculorum. Hæc audiens Nardua nutrix eius, confestim credidit in Dominum. Et ambulantes simul ad carcerẽ, data pecunia introierunt, & audiebant uerbũ Dei ab Apostolo: qui gauisus erat ualde, super fide Mygdoniæ, quòd iam per illam & alij conuerterentur ad Dominum. Cumque baptismum flagitarent, dixit Apostolus Mygdoniæ: Vade ad domum tuam, & præpara quæ sunt necessaria, & ego uadam ad baptizandum uos. Abeũtibus ergo mulieribus, beatus Apostolus subsecutus est ad domum Mygdonię, & baptizauit eam cum nutrice sua, & alijs multis. Et reuersus est in carcerem, & clausa est ianua. Charisio autem grauiter dolente de conuersione uxoris, misit rex coniugem suam cum filio Zuzani, quæ consolaretur cognatã Mygdoniam, & reuocaret illam ab hac uia, et ut uiro suo copularetur. Quæ cum esset ingressa domum Mygdoniæ, ait ad illam: Vt quid

soror charissima erras post hominem magum, qui nouum Deum A
patriæ nostræ prædicat? Recede ab hac praua cogitatione, & esto iucunda in domo tua, cum uiro cui te parentes tradidere: Et noli relinquere deos patrios, ne irascantur tibi. Ad hæc illa respondit: Erraui usque nunc sequens idola uana, quæ sunt sine gressu, sine eloquio, & sine ullo effectu, ignorans uerbum Dei qui fecit coelum & terram, & omnia quæ sunt in eis. Sed & metalla, ligna & lapides, ex quibus isti uel funduntur, uel sculpuntur, eius uerbo creata sunt, cuius & nos creatura sumus. Non est ergo æquum, soror dilectissima, ut relinquentes talem artificem, creaturam potius adorem, quę nobis ad seruiendum data est. Hęc cum Mygdonia dixisset, tum & Luzanis filius regis ait: Ecquis hæc omnia creauit, nisi dij nostri? Nam Iupiter coelum tenet, Iuno aera regit, Neptunus mare gubernat, Pluto inferna iudicat, Phoebus diem, Berecynthia noctem inluminat. Cui Mygdonia subridens, ait: Omnes isti quos commemoras, fili dilectissime, inferno damnati sunt, quia non cognouerunt Deum uiuum. Nam si recurras ad ueteres fabulas, inuenies hos & luxurijs deditos, & talia mala perpetrasse, qualia hodie iudices in iniquis hominibus persequuntur & puniunt. Mortui autē sunt, & non uiuūt. Deus autem noster manet in sæcula sempiterna. Et qui crediderit in eum, transfertur ab hac temporaria morte in uitā æternam. Cumque hæc & his similia eis Mygdonia diceret, compuncta corde uxor regis, ait filio suo: Rectè soror nostra reliquit uirum B
suum, & diuitias terrenas, ut uitam capiat sempiternam. Vtinam & nos uideremus hominem istum, qui faceret nos cognoscere ueritatem. At illa gaudens, abijt ad Apostolum, & narrauit ei omnia quæ acta fuerant. Ille uerò gaudebat, & ipse prędicans sine fine uerbum Domini, & imposita manu benedixit eos, & præcepit eos abscedere. Sed non abijt ultrà uxor regis ad uirū suum, nec filius eius renunciauit patri de his quæ præceperat. Cumque hæc omnia renunciata fuissent Mesdeo regi, quòd scilicet uxor eius & filius conuersi essent ad Apostolum, iratus ualde, præcepit adduci uxorem suam, & filium. Quibus cum persuadere non posset, ut recederent ab hac uia, iussit uxorem in obscuro loco recludi, filium uerò cum beato Apostolo in carcere conligari. Sed & Charisius uxorē suam cū nutrice Narchia similiter reclusit in cellula tenebrosa. Et statim rex iussit Thomā adduci, manibus à tergo ligatis, & dixit ei: Quis est iste Deus tuus, qui coniuges nostras per te à nobis separat? Dicit ei Thomas: Tu cum sis rex, nunquid uis habere inquinata seruitia? Si ergo tu cum sis homo, mundos seruos habere studes, atque mundas ancillas: quanto magis credere debes, amare Deum castissima & mundissima seruitia? Si ergo hoc Deum in seruis suis & ancillis suis amare prædico, quod tu in seruis tuis & ancillis tuis diligis, ut quid culpor? Tum rex: Ego (inquit) permisi uxorem meā,

A ut cognatam suam Mygdoniam de præcipitio liberaret, & ipsam tu præcipitio immisisti. Respondit Apostolus: Præcipitium non est, nisi recedere à castitate, & ire in libidinem. Nam qui à libidine se tollit, & ad castitatem accedit, hic à præcipitio remeat ad salutem & egreditur de tenebris ad lucē. Dicit ei Mesdeus rex: Quomodo separasti animos earum à consortio coniugīj nostri, his quoq; artibus age, & eodem consilio, ut redeant, ut sint coniuges nostræ, ut antè fuerunt. Respondit Apostolus: Errat iussio regis. Et rex: In quo errat iussio mea? Dicit Apostolus: Fabricaui turrē excelsam. Et dicis mihi, ut ego qui sum fabricator, ipse destruā summitatem? Fodi terram profundam, & eduxi fontem de abysso, & dicis mihi, ut ego illam obruam? Ego potius dicam illis uerba Domini mei: Quia qui diligit patrem aut matrem, aut filios aut uxorem, plus quàm Deum, Deo dignus non est. Tu enim rex temporalis es, & si uoluntas tua non fiat, temporaliter punis. Deus autem Rex æternus est, & si uoluntas eius contēpta fuerit, æternaliter punit. Equidem tu rex posteaquam occideris corpus, animam occidere nō potes. Deus autem uerus, potest animam & corpus mittere in æternum ignem. Hæc audiens Charisius, qui corā rege stabat: Hunc magum si tardius occideris, nos ipsos in præcipitiū mittet. Tūc ira repletus rex, iussit lances ferreas igniri, & præcepit excalciari Apostolum, ut nudis pedibus superstans, hoc dolore deficeret.

B Verùm antequam hoc supplicium Apostolo admoueretur, prorupit aqua, & extincti sunt lances. Et ait ad regem Apostolus: Hoc non propter me fecit Dominus, sed propter te, ut uel sic credas. Mihi autem Dominus hanc patientiam dare potest, ut uel sine aqua ignem tuum non timeam. Tum conuersus ad regem Charisius: Iube etiam eum in fornacem thermarum mitti. Quod cum fieri rex iussisset, thermæ ultrà calefieri non potuerunt, sed nec paruū quidem teporem habebant: ipseq; Apostolus altero die est egressus incolumis. Et Charisius iterum ad regem: Fac (inquit) illum sacrificare deo Soli, & iram incurret Dei sui, qui illum liberat ab his quæ inferuntur ei. Cumq; argueret, ut ingressus templum simulachro Solis sacrificium inferret, ridens in faciē regis dixit Thomas: Dic mihi rex, quis est melior in terte & imaginem tuam? Non dubito, quin præstātior tu sis quàm pictura tua. Et quomodo uos dimittitis Deum uestrum, & excolitis picturam eius? Erat autem statua Solis facta ex auro, habens quadrigam equorum auream, habenis effusis, quasi rapido cursu ageretur ad cœlos. Et dum compelleret ut adoraret statuā, dixit Apostolus ad regem: Erras, si putas ô rex, quòd sicut dixit Charisius, Deus meus irascatᷓ mihi, cum ego deum tuum adorauero. Hoc magis uolo te nosse, quod is deo tuo irascetur, & euertet eum mox ut adorauero eum. Tum rex: Inuictissimū Solem, Deus tuus, quem Iudæi occiderunt, euertere ne potest?

potest? Respondit Apostolus: Vis ergo probari, si hoc potest fieri? Et Charisius: Excusationes (ait) sibi inuenit, ut non adoret Solem, neque sacrificet ei. Dicit ei iterum Apostolus: Primò ego adoro eum, & si eum non euertet Deus meus, tum sacrificabo ei. Et cũ consensisset rex & Charisius, introduxerunt eum in templum, ducentes choreas eo ritu quo solebant. Erant autem uirgines cum lyris cantantes, alij cum tibijs, alij cum tympanis, alij cum uatillis & thuribulis. Et cum introijssent, ait Apostolus ad simulachrum: Tibi loquor dæmon, qui in isto simulachro habitas, & qui das responsa stultis & deceptis hominibus, qui simulachrum uidẽt: Adiuro te in nomine Domini mei IESV Christi, quẽ Iudæi crucifixerũt, ut exeas, & stes ante me, ut uideãt te: & quod imperauero tibi, hoc facias. Egressus autẽ dęmõ, stetit ante eum, ita ut solus Apostolus uideret eum. Et dixit ei: Ego corde colo Dominum meum IESVM Christum. mox autem ut posuero genua mea in terra, & dixero tibi, ut confringas idolum, rogabo Dominum meum, ut mittat angelum suum, qui te releget, & damnet in abyssum. Et respondit ei dæmon: Rogabo te Apostole Dei, ne me in abyssum releges. Sed permitte me, & omnes istos interficiam. Tum Apostolus: Impero tibi in nomine IESV Christi Domini mei, ne lædatur ullus hominũ, nisi hoc solũ simulachrũ. Mox ut genua flexero, cõminue illud. Loquebatur autem Apostolus cum dæmonio sermone Hebraico, & nullus sciebat quid uel cui loqueretur. conuersusque ad regem dixit: Cogita tecum rex, tu istum inuictissimum dicis, & meũ Deum dicis hominem à Iudæis occisum: ac per hoc, si fortior sit deus tuus, & eum inuocatione nominis Dei mei confringere non possim, ego non solum adorabo dæmonem qui in eo latitat, sed etiam sacrificabo illi. Si uerò minutatim fuerit attenuatus ille uinctus deus tuus, par erit è conuerso, ut relinquas errorem, & teneas ueritatem. Et rex: Adhuc ausus es (inquit) ex pari confabulari mihi? Si pergas, faciam tundi arterias tuas, si non adoraueris, & sacrificaueris Soli. Respondit Apostolus: Ecce adoro, sed non simulachrum. Ecce adoro, sed non metallum. Ecce adoro, sed non idolum. Adoro autem meum Dominum IESVM Christum: in cuius nomine impero tibi dæmon, qui hic in ipso lates, ut nullum hominem lædens, metallum & simulachrum comminuas: statimque quasi cera iuxta ignem posita, liquefactum idolum resolutũ est. Quo facto, omnes sacerdotes consternati ulularũt, & rex fugit cum Charisio. Pontifex autem cædebat Apostolum, & facta est seditio magna in populo: sed maior pars populi cũ Apostolo erat. Qua re motus Mesdeus rex Indiæ, apostolum Thomam, & filium suum Zuzanen, & plures alios trusit in carcerem. Non desinebat tamen etiam in carcere Apostolus confirmare credentes, dicens: Credite in Deum, quem prædico: credite in IESVM, quem Euangelizo, qui adiutor est

A est seruulorum suorum, refector est laborantium: in quo exultat anima mea, quia tempus impleui, & gestio ipsum quem desideraui uidere. Cuius pulchritudo prouocat me, ut dicam quis sit: sed magnitudo eius sensus superat, & intellectum supergredit, ut id quod cupio de eo dicere, comprehendere & explicare nequeam. Sed tu Domine, qui animam inopem replere consueuisti, imple ea quę mihi desunt, & esto mecum, donec ipse ad te ueniam, & te uideam. Hæc ubi audiuit Zuzanes, aduertens quòd Thomas diceret tempus impletum suum, ut de hoc recessurus sæculo uideretur, cupiens ab eo priusquam migraret à corpore, Manasaræ uxori suæ impetrare medicinam (erat enim debilis mulier, soluta membris) petiuit ut permitteret ei ire: & persuaso custode, fideq́ facta quòd essent reuersuri, cum Apostolo ex carcere abire constituit in domũ suam. ubi & diaconatus ministerium ut sibi crederetur, rogauit, & ut benedictionem Leuiticã acciperet. Quoniam se quoq; Deo seruire uelle memorauit, & hoc iamdudum animo deuouisse, sed à patre coactum uxorem duxisse, quam accepisset uicesimum annum agens: triennioq́ ea potitum, filios ex ea nullos suscepisse, nec aliam mulierem præter uxorem nouisse: iamdudum præterea à concubitu uxoris abstinuisse, eo quòd & illa studebat castitati, & optaret audire sermonem Thomæ, sed propter debilitatem adesse non posset.

B Quam si uellet Apostolus sanare, se impetraturum, ut exeundi facultatem haberent. Cui respondit Thomas: Si credis, uidebis mirabilia Dei, & quemadmodum seruulos proprios curet. Dum hęc loquuntur, Treptia nomine, quæ erat uxor regis, & Mygdonia Charisij matrona, qui & ipse amicus erat regis, & Narchia nutrix, trecentis sexaginta argenteis datis, à custode introductæ sunt ad Apostolum. Atq; illic repererunt Siforatum, militiæ regis ducem, & Zuzanẽ, & Siforem uxorem, & filiam eius, & alios uerbis Euãgelicis intentos. Ipsæ igitur tres fœminæ cum adstitissent ante conspectum Thomæ, interrogauit eas Apostolus, quo permittente ingressæ forent, uel quis eis aperuisset carcerem: & qualiter egressæ fuissent de loco, in quo clausæ fuerant. Cui respõdit Treptia: Nonne tu es qui aperuisti nobis ianuam, & dixisti: Exite, & ite in carcerem, ut suscipiamus eos fratres qui illic sunt, & Dominus in nobis demõstrauit gloriam suam? Cum autẽ appropinquaremus ad ianuam, subitò non apparuisti nobis, sed huc ingressum te sonitu ianuæ cognouimus. Nos uerò postea mercede custodẽ inflexímus, ut ad te ingrederemur, si fortè impetrare posſimus, quod impendiò petimus, ut paulisper aliquò concedas, quò regis posſit iracundia mitigari. Tunc interrogauit Thomas Treptiam, quemadmodũ à uiro suo esset inclusa, uel quid causæ obortum esset, aut quo motus, nec propriæ pepercisset uxori? Cui respondit Treptia: Tu à me requiris, quemadmodum clausa sim, cum me nunquam deserueris,

sed

sed una tantum abfueris hora? Unde miror, te nescire quomodo clausa sim. Sed si uis audire, accipe. Misit ad me Mesdeus rex, & iussit me introduci ad se, & ait mihi: Nondum plenam circa te magus ille adeptus est potestatem. Nam quod in oleo pane & aqua magica consumet, audiui. Ergo cum magicis operibus uenire non potuerit, nihil horum circa te fecit. Quare obtempera praeceptis meis: alioqui & ipsa clauderis. Itaque non adquiescente, sed dicente me, ut quod uellet faceret: potestatem enim habere eum corporis mei, animam uerò meam cum eo perire non paterer: in obscuro loco me iussit includi. Charisio quoque accusante uxorem suam Mygdoniam, cum eius nutrice Narchia, iussit includi. Sed tu iam nos produxisti, ut ad te ueniremus: & ideo praestò sumus, ut à te benedictionis gratiam consequamur. Quae cum dixisset Treptia, agnouit protinus Apostolus beneficia eius, qui se plerunque humana specie figuraret, ut consolaretur moerētes, afflictorum erumnas releuaret. Et ideo ipse gratias agere coepit Domino IESV, eo quòd confirmauerit infirmos, nutantesque stabilierit, & sperare faceret cunctos diffidentes. Dum haec captiui in carcere colloquuntur, superuenerunt custodes, dicētes, ut lucernas extinguerent, ne quis eos simul esse, ac pariter colloqui, proderet regi. Extinctis igitur lucernis, collocauerunt se custodes. Sed Thomas apostolus, postquā omnes circumfusos tenebris aspexit, lumen petere coepit à Domino: Inlumina nos Domine (inquit) quia tenebrarum filij in tenebrosis nos sedere fecerunt locis. Sed tu Domine, inluminare sancto lumine tuo dignare seruos tuos, eo lumine quod nullus eripiat, & nullus extinguat. Et statim refulsit dies, & omnis ille custodiae locus. Tū & caeteri, quos alias ob causas receperant claustra carceris, uigilabant. Neque enim serui Dei dormire tum poterāt, quos sic Christus excitabat, neque patiebatur nos somno dimergi, qui dicit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & inlucescit tibi Christus. Cum igitur inter se nonnulla sermone uario cōtulissent, ait Thomas ad Zuzanen: Vade praepara nobis omnia, quae in ministerio sunt paranda. Interrogante autem Zuzane, quomodo exire posset fores carceris, aut quis aperiret, cū essent clausa omnia, & custodes somno dissoluti? respondit Thomas: Crede Christo, & uade, & inuenies apertas ianuas. Secuti sunt igitur eum caeteri. Et cum iam medium spaciū itineris confecissent, occurrit ei uxor eius Manazara, cū iret ad carcerē, & recognoscens uirū, ait: Zuzane uir? Qui cum cognouisset eā, coepit quaerere quonam iret, noctis praesertim tēpore: aut quomodo potuisset exsurgere, quae minimè antè surgebat. Quae respondit: Puer iste Domini, ponens manum, sanam me fecit. Somnio uerò monita sum, ut ad peregrinum istum uenirem, qui tenetur in carcere. Eò igitur festino, ut iuxta somnij uisionem, plenam posim accipere sanitatē. Interrogauit Zuzanis, quis ille puer esset, qui

A — B (margin letters)

Nota miraculum.

Ex hoc apparet, qui historiam hāc primus scripsit, & unde Abdias sumpsit, interfuisse rebus à beato Thoma gestis.

Nota admirāda miracula, à S. Thoma edita.

A qui fuisset cum ea? Respondit, Manazara. ipse non uides eum, dextra manu tenentem me, & sustinentem? Dum hæc fierent, interuenit loquentibus Thomas, sed etiam Seforus dux militię, & uxor eius ac filia, denique & Treptia atque Mygdonia, & Narchia, qui ad Zuzanis domum pariter commeabant. Cum uidisset autem Apostolum Manazara, adorauit eum dicens: Venisti medicus, qui me sanes ab ægritudine. Vidi te hac quoque nocte, ac quidem tradentem mihi puerum istum, ut me ad te perduceret in carcerem. Et cum expectare uenientem debueris, præstanti tamen bonitate ipse me diutius laborare non es passus, sed ueniebas ad me. & simul hæc dicens, conuersa puerum quærebat: qui se oculis repentè subtraxit, nec erat uideri facilis, qui antè uidebatur. Anxia igitur sustentatore amisso, cœpit dicere: Non possum sola ambulare, non apparet amplius puer, quem mihi tradidisti. Cui Apostolus: Ecce iam tecum Christus ambulauit. Ipse tibi erit uiator & præuius. Itaque currens mulier præibat cæteros, repentè domum festinans. quò postquam ab Apostolo & cæteris uentum est, subitò domus multo splenduit lumine. & Thomas cœpit orare, & dicere: Tu Domine, qui es adiutor infirmorum, spes & confidentia inopum, refugium & requies laborantium, lugentium consolatio, fluctuantium portus, resurrectio mortuorum, redemptio peccatorum, & qui denique propter nos subijsti corporis passionem: tu domicilia mortis, & ipsa inferna pe- *Nota bene dictionē Apostoli.*
B netrasti, ut nos à mortis uestigijs liberemur. Te principes mortis uenisse mirati sunt, neque potuerunt tenere remeantem: imò etiam exutos se uetustate possessionis, & te cum trophæo reuertentem gemuerunt. Honorificamus igitur meritò te Domine IESV, de paterna illa & perfecta uenisse substantia, ut uiscera tuæ misericordiæ uideremus in nobis. Quique seruorum tuorum es minister, possessionis tuæ locupletator, pauper, sed non indigens: diues, sed non fastidiens pauperem: qui ieiunasti quadraginta diebus, ut perpetua benedictionis repleres alimonia animas esurientium: tu esto, rogo, cum seruis tuis Zuzane, & Manazara, ac Treptia, ut in tuum gregem eos digneris inducere, & adnumerare sanctis tuis, & hac errorum regione iuuare, ne errare possint. Tu esto medicus in hac possessione languentibus, esto requies in laboribus, firmamentum in lubricis. Esto denique adiutor corporum, uita animarum, ut sint tēpla misericordiæ tuæ, & Spiritus sanctus inhabitet in eis. Hac cōpleta benedictione, sumpsit sacramentum, & gratias egit Domino, dicens: Sit nobis hoc sacramētum tuum Domine IESV ad uitam, sit ad remissionem peccatorum. Siquidem pro nobis passio tua celebrata est. Tu pro nobis fel illud bibisti, ut omnis in nobis aduersarij amaritudo moreretur. Pro nobis tu quoque bibisti acetum, ut nostra lassitudo confortaretur. Pro nobis consputatus es, ut immortali nos rore perfunderes: percussus es à calamo fragili, ut fra-

gilitatem nostram uitæ perpetuæ æternitatiq; firmares. Coronatus es spinis, ut uirenti semper in te credentes charitatis tuę laurea coronares. Inuolutus præterea fuisti sindone, ut nos quodam uirtutis tuæ inuolucro uestires. In sepulchro poni uoluisti nouo, ut nobis nouam gratiam, noua sæcula reformares. Hæc ubi finiuit, Eucharistiam diuisit his quos suprà memorauimus, & ait: Fiat nobis hæc Eucharistia ad uitam, & uiscera misericordiæ, & gratiam salutis, sanitatemq; animarum nostrarum. Respondentibus autem illis, Amen: audita est uox, dicens etiam Amen. Quam ubi audierunt uocem, statim super facies suas ceciderunt. Et iterum uox sonuit, dicens: Nolite timere, sed tantummodo credite. Ex eo tempore redire cœperunt, Thomas ad custodiæ suæ claustrum: sed & Treptia & Mygdonia & Narchia, reuersæ sunt ad carcerem suum. Quibus, antequam egrederentur, locutus est Apostolus, dicens: Accipite sermonem meũ ultimum, non enim ero diutius in hac carne. accersor ad Dominum IESVM, ad illum qui me redemit, ad illum qui se ad ultimũ humiliauit, ut ab ultimo omnes eleuaret: in quem sperare didici. Si enim ad sacri munus officij me is indignum uocauit, quanto magis si in ueritate seruiui, possum sperare mercedem? Bonus enim & iustus est, & nouit Dominus mercedem soluere pro meritis singulorum. Diues munerum, largus gratiarum, haudquaquam parcus beneficiorum. Qui in me quoq; infirmum supra meritum meum, multa conferre dignatus est. Cuius miracula eò prouocare uos debẽt, ut laudetis auctorem. Neque enim ego mea uirtute hæc faciebam, sed in nomine Domini mei IESV impetrabã, nõ imperabã. Non enim Christus, sed seruulus Christi sum: nec ego sum arbiter, sed minister eius qui me misit. Et ideo peracto cursu, admoneo uos, ne cũ uideritis datã in me esse homini potestatẽ, supplicijsq; me deditũ cum uidebitis, ideo fides uestra minuatur. Ego enim uoluntatẽ Domini mei impleo, & æquum est me uelle quod Dominus iubet. Nam si pro nobis ille mortem suscepit, quanto magis nos, erga Domini uoluntatem, corporis huius mortem timere non debemus? Cum præsertim mors ista non sit interitus, sed solutio corporis. Ideo' que non rogo, ut mortem differam. Creditis enim, quòd possem differre, si uelim: sed rogo magis, ut citius absoluar, & proficiscens uideam illum decorum & misericordem, qui pro operibus & laboribus, quibus desudaui, nimis liberalis Dominus, præmium representabit. Hæc cum dixisset, receperunt se omnes ad tenebrosam domum. Et dixit Thomas in carcere constitutus: Domine IESV, qui pro nobis plurimum pertulisti, claudantur ianuæ istæ, sicut clausę fuerunt, & signacula ijsdem foribus reformentur. Relictis igitur alijs, perrexit Apostolus ut se includeret. Fœminæ autem non poterant à lachrymis temperare, quę sciebãt, quòd Mesdeus non abstineret ab eius nece. Interea cum uenisset Apostolus, inuenit custodes concertan-

Grauis & plena cõsolationis Apostoli oratio.

Nota miraculum.

A B

tes

A tes inter se,& dicentes:Heu quomodo incidimus in istum magum? Ecce aperuit ianuas carceris artibus magicis, & omnes uoluit secũ educere. Vnde ne magicis carminibus elabaẽ,& cæteri cum eo, renunciemus regi,simul de uxore eius ac filio. Audiebat hæc Thomas,& quiescebat. Illi autem abierunt prima luce ad regem,petentes ut tolleretur magus ille,& alibi ne clauderet, eo quòd clausum omne magica potestate reseraret. Secundò nunciabant,apertas fuisse ianuas carceris,id' que surgentibus manifestatum sibi. Introijsse etiam regis uxorem cum alijs,quæ non recederent ab eo. Quibus auditis,rex signacula mox,quæ imposuerat ianuæ,requisiuit, & eodem reperit modo quo fuerãt antè. Vnde commotus, ad custodes ait, falli eos qui introijsse in carcerem Treptiam & Mygdoniam diceret,cũ signacula remota non essent. At illi,se uera intimasse significabant. Mesdeus autem cum sedisset in secretario,sisti sibi Apostolum iussit:quem cum custodes exhibuissent,interrogauit, Vtrum seruus an liber esset? Cui respondit Thomas: Seruus sum unius & solius,supra quem non habes potestatem. Quæsiuit iterum Mesdeus,in regionem illam Indiæ qua ratione uenisset? Respondit denuò Apostolus, ut plures saluaret: & hoc ei debitum esse,ut per manus Mesdei hunc mundum relinqueret. Tum rex, qui esset Dominus eius? interrogauit,& quod illi nomen,& cuius regio

B nis? Ad hæc Thomas: Meus Dominus (inquit) Deus est tuus, Dominus cœli & terræ. Huius tu nomen audire non potes: sed quod datum est nomen eius in hoc sæculo, est IESVS Christus. Minanti autem regi,quòd ei non parêret, cum maleficium eius aboleretur,ut omnis Indiæ regio mundaretur. respondit Thomas: Hæc maleficia mecum abibunt. Sed hoc cognosce, quia nec hic deerunt. Ex eo igitur cogitabat mox rex,quemadmodum Thomam occideret. Verebatur autem populum,quia plurimi etiam de eminentioribus,eius opera admirabantur,& credebant in Dominum IESVM. Astu ergo rex sibi utendum propterea putans, cum Thoma ciuitatem,armatis septus,est egressus. Populus autem existimabat,quòd egrederetur urbem,ut Thomas ei aliqua suorum operum demonstraret. Intendebant igitur in eum qui putabant,quòd aliquid ab eo rex uellet discere, & ille regem docere. Sed egressus rex,mediam ferè partem miliari, tradidit eum quatuor militibus, adiuncto uno præstantiore uiro, iubet ut ducentes eum in montem proximum,atq; ibi gladio percuterent. Rex uerò conuertit in ciuitatem uestigium,ubi hoc militibus imperasset. Quod intelligens plebs,sequebatur,Thomam eripere uolens. At milites apprehenderant Apostolum,duo ad dextram,& duo ad sinistram tenentes. Ille quoq; eminentior, manum eius tenens, pariter incedebat. Dicebat autem Apostolus,magna & diuina mysteria in ipso exitu reuelari. Siquidem propterea se duci à quatuor militibus,dicebat,

qui ex quatuor coiuissent elementis, ea se quatuor habere principia generationis. Dominum autem IESVM ab uno esse percussum, quia unum patrem sciret generatorem suum. Qui ubi uenit ad locum passionis, cohortatus cæteros, ut fidem seruarent Domino IESV, pietatemque excolerent: rogauit etiam Zuzanen, ut pretio custodibus dato, orandi tempus sibi impetraret. Cuius data copia, cœpit orare, gratias agens, quòd & in hoc sæculo gubernatus esset à Christo, & ab eodem uocaretur. Illum esse in periculis præsulem, illum in mœrore consolatorem, illum in laboribus adiutorem, illum præuium sibi huius fuisse itineris, quod in hoc sæculo cucurrisset. Tu (inquit) Domine, adnunciasti mihi, me tuum esse: propter quòd nec uxorem accepi, ut tibi totus uacarem, ne templi tui gratiam uel coniugalis copulæ usus minueret, uel consuetudo decerperet. Diuitiarum quoque sæcularium cupidum animum, cœlesti prouisione ac munitione reuocasti, docens in pecunijs dispendia nostra esse, non commoda. & ideo compulisti, ut in hoc sæculo paupertate contentus, indeficientem spiritalium diuitiarum quærerē ueritatem, & thesauros in Christo absconditos inuestigarem: tuisque contentus copijs, alias non desiderarem. Factus sum igitur pauper, indigens, peregrinus ac seruus, in uinculis, in ieiunijs, fame ac siti, in laboribus, in periculis, ut confidentia non periret, spes non confunderetur. Respice igitur in me Domine, quia pecuniam tuam non abscondi, sed supra mensam posui, & in nummularijs diuisi. Ad mensam tuam uocatus ueni, nec ab hac reuisendi necessitate excusaui, nec iuga boum, aut ducendę uxoris necessitatem conuiuio tuo prętuli. Ad nuptias sum uocatus, & albam uestem indui: & expectans Dominum à nuptijs reuertentem, olei non sum oblitus: tota nocte domum meam custodiui, à latronibus exspoliatus non sum: calceamenta pedibus circumdedi, ne diffinirentur uestigia obseruaui, primam & secundam & tertiam custodiam, ut uultum tuū uiderem, & splendorem tuū discussa nocte perspicerem. Mortuum meum non uiuificaui, nec deficientem repleui, sed magis quem dedisti mihi uinctum castigaui: Et captiuum meum occidi, ut quem acceperam liberum non alligarem. Opprobrium suscepi in terra, ut in cœlo remunerationem sperarem. Si igitur detuli fidele seruitium, adesto Domine IESV, ne pręsentiant me latrones, ne aduersus me retia sua mittant. Circundet famulum tuum gloria tua, ut tanta amictum gratia, aduersariæ potestates impedire non audeant. Nunquid illis obediui, cum mihi intercludere uellent transitum? Suis enim occurrunt, & eos prodire ultrà non sinunt. Adesto igitur Domine, ut cum paçe & gratia transeam. In ueritate dirigas seruum tuum, ad sedem tuam. Dirigas iter meum, & diabolus in me non intendat. Excæcentur oculi eius lumine tuo. Conticescat os eius qui nihil in me dignum suis operibus inuenit, quod loquatur,

Grauißima S. Thomæ ante paßionē oratio.

Ad Euangeliū allusio.

loquatur. Hæc precatus, ait militibus: Venite, consummate preceptũ eius qui uos misit. Aduenerũt igitur quatuor milites, & lanceis transuerberauere eũ: atq; cecidit beatus Apostolus, & mortuus est. Quẽ cum lachrymis sepelierũt fratres in sepulchro regio, in quo reges priores sepulti sunt, preciosis & plurimis amictũ odoribus atq; indumentis. Apparuit autẽ cõfestim Sifori & Zuzani, qui recusabant in urbem ire, & tota die ad sepulchrũ sedebant, atq; illis dixit: Quid sedetis custodientes me? Non hic sum. ascẽdi enim, & recepi omnia quæ speraui. Surgentes itaq; discedite hinc, breui enim tẽpore & uos mecũ colligam. Cum hęc fierent circa Apostolũ, interea Treptia regina & Mygdonia, deductę à Mesdeo & Charisio affligebantur, sed tamen uoluntati eorũ non acquiescebant. Quibus se Apostolus demõstrauit, dicens: Nolite errare, quia Dominus IESVS citò uobis adiumentũ dabit. Itaq; Mesdeus & Charisius cum animos uxorum suarum expugnare non possent, dimiserunt eas proprię uolũtati. Fiebat autem congregatio fratrũ in multa exultatione atq; lętицia. Eratq; presbyter Siforus, & Zuzanes diaconus, suntq; ordinati iam tum à sancto Apostolo, cum in montẽ moriturus ascendisset. Atq; hi potiebantur frequentibus adiumentis Domini, & fidei incrementa quotidie procedebant. Quibus addidit Dominus hanc gratiam, ut cum Mesdei filius correptus esset
B à dæmonio, nec quisq; qui eum sanaret, posset inueniri, successit huiusmodi Mesdeo sentẽtia, ut diceret: Vado, & aperio sepulchrum, & tollens ossa de corpore Apostoli, suspendã filio meo, & curabit. Ascendebat igitur secundum cogitationes Mesdeus ad montem, & reuelauit ei se Thomas, dicens: In uiuentes non credidisti, & in mortuos credis? Sed ne timeas, miserebit & tui Dominus IESVS, & exhibebit tibi uiscera misericordiæ suæ, propter bonitatẽ suam. Verùm ubi ascendit Mesdeus, reserato sepulchro, ossa inuenire nõ potuit: quia iampridem reliquias sanctas, quidam de fratribus rapuerant, & in urbe Edessa sepelierant. Ea tamen quęcunq; rex in sepulchro reperit, humi, uel stercoris, supra quæ iacuerant reliquiæ Apostoli, auferẽs Mesdeus, & alligãs filio suo, ait: Credo tibi Christe nunc, quia recessit à me ille qui hominum turbat affectus, ne ad te uisendum summa properatione contendam. Itaq; ubi suspendit illa puero, statim sanatus est ex illa hora: & factum est gaudium magnum inter fratres, super conuersione regis, ad regem cœlestem Christum IESVM Dominum nostrum, cui sit honor cum patre & inluminatore Spiritu sancto, in perpetua sæcula, Amen.

De reliquijs sanctorum.

FINIS LIBRI NONI CERTAMINIS APOSTOLICI.

LIBER DECIMVS CERTAMINIS Apostolici, ab Abdia Babyloniæ episcopo Hebraicè conscripti, & à Iulio Africano historico uersi in linguam Latinam, De rebus à beato Philippo apostolo fœliciter gestis.



PHILIPPVS Petri & Andreæ conterraneus, ex uico Galilææ Bethsaida originem duxit: uocatusque mox post Petrum, demum ad Apostolatus honorem peruenit. Qui ut socium haberet conuersionis, Nathanaelem quendam familiarem ad Christum duxit, quem Christus mox se agnouisse testatus est, sub ficu, antequam à Philippo illi esset adductus. Quod admiratus Nathanel, qui nunquam antea uiderat Christum, haud illibenter deinde illi adhæsit, in parte societatis semper cum Philippo manens. Quorum hic pridie quàm pateretur, cum in cœna audiret, neminem ad patrem nisi per eum uenturum: Magistrum rogare cœpit, ut sibi ac condiscipulis patrem ostenderet: quod quidem amore ille sempiternę uitæ tũ dixerat. At Christus obiurgans Philippum, quòd tanto tempore cum ipso esset, & tamen eum rectè adhuc non cognosceret. Et hæc omnia ante Christi passionem à Philippo gesta esse, Euangelica nobis fides ostendit. Post ascensionem uerò Saluatoris, beatus Philippus per annos uiginti, instãter prædicauit gentibus per Scythiam Euangelium. Vbi cum tentus esset à gentibus, & ductus ad statuam Martis, & compelleretur ad sacrificãdum, exiit desubtus basim, in qua statua Martis stabat, draco ingens, & percussit filium sacerdotis qui ministrabat ignem sacrificii. Percussit etiam duos tribunos, qui præerant Prouinciæ, cuius officiales tenebant in uinculo Apostolũ. Porrò de flatu draconis omnes morbidi redditi, uehementer ægrotare cœperunt. Quod uidens Apostolus, dixit illis: Audite consilium meum, & recuperabitis sanitatem: sed & hi qui exinde erant mortui, resuscitabuntur omnes: draco quoque qui noxius uobis erat, in Dei nomine fugabitur. Dicunt ei ægroti: Quid faciamus? Quibus respondit Apostolus: Deiicite hunc Martem, & cõfringite, & in loco in quo fixus uidetur stare, crucem Domini mei IESV Christi affigite, & hanc adorate. Tunc illi qui cruciabantur, cœperunt clamare: Recuperetur in nobis uirtus, & deiiciemus Martẽ. Facto itaque silẽtio, Apostolus dixit: Præcipio tibi draco in nomine Domini IESV Christi, exi de loco isto, & uade & morare in loco deserto, ubi non est accessus hominum, & nulla utilitas humanis commodis ministratur, ita ut uadens nemini noceas. Tum draco ille sæuissimus exiẽs cœpit abire festinanter, & ultrà nusquam comparuit. Philippus autem Pontificis filium, qui ignem ministrabat, & duos tribunos qui

A qui mortui fuerant, suscitauit, omnemq́ turbam quæ morbis erat affecta de draconis flatu, sanitati restituit. Vnde factum est, ut uniuersi Philippum apostolum qui persequebantur, pœnitentiam agerent, Deumq́ hunc æstimantes adorarent: ipse autem per unum annum iugiter doceret eos, quomodo mundo periclitanti aduentus Domini subuenisset, quomodo natus ex uirgine, quomodo passus, quomodo sepultus die tertia resurrexerit: quomodo post resurrectionem, eadem quæ ante pasionem suam, docuerat: quomodo uidentibus Apostolis ascendisset in cœlos: quomodo denique misisset Spiritum sanctum, quem promiserat: qui ueniens quasi ignis, sedisset super Apostolos duodecim, & omnium linguas ac sermocinationes mentibus Apostolorum suorum inseruisset. Ex quorum ipse numero huc missus, scire uos facio, idola uana esse, & cultoribus suis inimica. Hæc & his similia dicente Apostolo, crediderunt uniuersi populi. Et eliso Martis simulachro, multa milia hominum baptizata sunt. Ipse uero Apostolus ordinatis presbyteris & diaconibus, ordinato etiam episcopo, & ecclesijs multis cõstructis, per reuelationem in Asiam reuersus est, & in ciuitate Hierapoli exinde commorabatur. Vbi hæresim malignam Hebeonitarum extinxit, qui dicebant, non uerum hominem natum, ex uirgine Dei filium assumpsisse. Erant autem isthic duæ filiæ Apostoli B uirgines sacratissimæ, per quas Deus multitudinem uirginum lucratus est. Ipse autem Philippus ante septẽ dies migrationis suę uocauit ad se omnes presbyteros & diaconos, sed & uicinarũ urbiũ episcopos, & dixit eis: Hos VII. dies mihi Dominus in ista uita concessit: quare memores estote doctrinæ Domini nostri IESV Christi, & state aduersus minas inimici uiriliter. Dominus autem compleat promissa sua, & corroboret ecclesiam suã. Hæc & his similia prædicans apostolus Domini Philippus, annorum octuaginta septem: perrexit ad Dominum, & in ea ciuitate Hierapoli positum est sanctũ corpus eius. In cuius tumulo post aliquantos annos, duę sacrę uirgines, filię eius, dextra lęuaq́ sepultę sunt. Vbi præstantur beneficia Dei, orante Apostolo, omnibus qui credunt unũ Deum patrem inuisibilem, incomprehensibilem, & immensum, quẽ uidit hominũ nullus, neq́ uidere potest: & in unum eius unigenitũ Dominum nostrum IESVM Christum, qui crucifixus est pro sæculi delictis: & in unum postremò Spiritũ sanctum paracletum, inluminatorem animarum nostrarum, & nunc & semper, per infinita sæcula sæculorum, Amen.

FINIS POSTREMI LIBRI CERTAMINIS APOSTOLICI, AVTHORE ABDIA BABYLONIAE EPISCOPO, IPSORVM APOSTOLORVM DISCIPVLO, ET IVLIO AFRICANO INTERPRETE.

VITA SANCTI MATHIAE APOSTOLI, VERSA EX HEBRAEO, INCERTO AVTORE.

PROLOGVS.



CVM multo studio ac solicitudine flagrarem, quomodo gesta beati Matthiæ apostoli, quæ apud nullum habentur ecclesiasticorum interpretum, inuenirem, quidam presbyter nomine Theodoricus fluctuantem ac tristem me uidens, causasq; à me tristiciæ requisiuit, & accepit. Vnde summa exultatione perfusus, quia hoc in me studiũ inuenerat, dixit, quòd si eorundem gestorum interpres esse cuperem, cum quodã Iudæo familiari suo se acturum, ut mihi librum, quem ipsi Damnatorum intitulant, quòd in eo contra legem agentium damnatio contineatur, Mathiæ scilicet, & Iacobi utriusq;, & Stephani, idem Iudæus præsentaret. Didiceram autem eo ipso tempore à quodam Iudæo literas Hebraicas. Venit ergo Iudæus, libellum deferens: cuius cũ ego titulum legerem, Schirasirin, hoc est Cantica canticorum scriptum inueni: tanta indignatione commotus sum, ut uix ab eo manus continuerim. Nam illo innato sibi in Christianos odio decipere me gestiebat. Et tu, inquam, leno spurcissime, clericum 'ne fallere tentas, qui Hebraicarum Græcarum & Latinarum literarum historiarumq; plenam habet scientiam? Nihil est certè in omni uestra bibliotheca, siue Græca, siue Hebraica, quod nesciam. Quod B quidem falso, sed ex industria dixi. Timore igitur correptus, maximè ne ei apud Principem, cum quo bene poteram, ea potestate nocerem, iureiurando promisit, se mihi satisfacturum: quod & fecit. Lecto namq; titulo libri, quem postmodum detulit, Haymatay, hoc est, Vita Mathiæ, scriptum deprehendi. Venitq; opinatus omnia me intelligere, quæ infrà scripta erant, licet inuitus, omnem tamen ex ordine gestorũ mihi ueritatem aperuit, accepto à nobis precio solidorũ uiginti triũ. Posthæc dominus meus Archiepiscopus, anno sequente, ab alio Iudæo in periculo rerũ suarum constituto, ita se habere deprehendit, excepto quòd eum ad nomen suũ dixit allusisse uersiculo Psalmi. Postremò cuidam inclusæ, pro hoc ipso triduanum agenti ieiunium, à Domino idem reuelatum est. Legatur igitur absq; omni scrupulo hæsitationis, quod tam certis argumentis uerum esse probatum est: quia omne dubium Spiritus sanctus aboleuit. Quomodo autem de Iudæa Treuerim uenerit, sicut in historia Treueria, & in monumentis Syluestri Papæ Romani legi, miracula quoque eius subsequenter edisseram.

Volfgangus Lazius dicitur qui hanc præfationem scripsit

PRAEFATIO.

A REVERENDISSIMO domino suo, Ecclesiæ sancti Eucharij, Treueris, Abbati uerè dignissimo, humilis Leuita, omnium fratrum illi cōmissorum ultimus, debitæ subiectionis deuotum obsequium. Cum uerbo simul & opere præpolleas, pater beatissime, plurimos à leuitate seculari retractos theoricæ claustro societati, ex quibus in specialius illud tuæ solicitudinis studium impendisti. Attestantur ijs tua instantia, cottidiana ammonitio, correptio. Quam licet ex iuuenili leuitate non satis libenter excipiam, ex qua tamen pietate prodeat, cum mentem à uanitate recolligo, non ignoro. Illud quoq; præterire non debeo, quòd me lectioni instare iugiter præcipis & hortaris, ne scilicet ociosum inimicus inueniat, ne murmurando mentem occupet, ne detractio in lingua deseruiat, ne manus operi quod ad rem nō attinet, insistat. Præcipit igitur beatitudo tua, ut uitam beati Mathiæ apostoli, ad cuius ossa dignè presides, ab Hebraico uolumine, qui Damnatorum intitulatur, quod in eo contra legem agentium iudicia contineantur, exceptam, latius exponerem, secūdum indagatam auido, uel potius extortam omnem rei ueritatem. Quod ego, licet audaciæ meritò denoter, feci tamen ut potui. Proinde licebit alij latius, tum eloquentius explanare, stilumq; rusticum lima urbana decentius expolire.
B Dominus te incolumem nobis custodiat, pater charissime: Amen.

GESTA SANCTI MAthiæ Apostoli.



GITVR gloriosissimus Apostolus Domini nostri IESV Christi, Mathias, de tribu Iuda, ciuitate Bethlehē, illustri prosapia oriūdus fuit. Parentes autem illius cùm multis diuitijs & nobilitate generis insignes, tum uenerandi apud Deum & homines morum uenustate pollebant. Vnde uerè illis diuinitus concessum fuisse creditur, ut religiosi parentes, religiosiorem ex se filium procrearent. Natum itaq; puerum Mathiam, quod in nostra lingua, Dei paruus, siue donatus, sonat, nuncupauerunt: quem tum ab annis puerilibus diuinæ legis institutionibus statim manciparunt. Ad pedes namq; Simonis, summi & incomparabilis uiri, atq; tūc temporis in lege Mosaica doctissimi, prima legis elementa perceperat. Diuina siquidem cooperante gratia, omnem in breui legis & prophetarum scientiam comprehendit. Studebat iam in ætate tenera, maiorum imitari exempla, diuinæ legi iugiter incumbere, lasciuiæ sensum non impendere,

sed annos pueriles morũ uincere maturitate. Proinde adolescens factus, crebris disputationibus examinatus, non solum condiscipulis, sed ipsi magistro suo mirabilis habebatur. Quippe qui licet eruditissimus esset, nullatenus tamen extollebatur, sed iuxta sui nominis etymologiam, uerè se paruum & humilem exhibere nitebatur: illud semper memorans, Quanto maior es, tanto magis humilia te in omnibus. & illud uiri sapientis: Superbum sequitur ignominia, humilem autem gloria. Erat igitur beatus Mathias corpore mundissimus, animo purus, in soluendis sacræ scripturæ quæstionibus acutissimus, in consilio prouidus, in sermocinatione nudus penitus & expeditus. Informabatur sensim animo ad uirtutem, ut esset ad intelligentiam habilis, ad misericordiam facilis, in prosperis nõ elatus, in aduersis constans & intrepidus. Satagebat ut quod sensu perceperat, opere compleret, & oris doctrinam manus assertione comprobaret. O beatum uirum, qui sub ubera positus, opera lucis exercebat: qui legi subditus, uirum gratiæ præferebat. O beatum uirum, cuius laus nõ solum in ecclesia sanctorum: sed quod mirificum magis est, in synagoga resonabat impiorum. Nam qualis quantusq; æstimandus est fuisse, quem boni totius æmuli, ijdemq; damnatores eius, non desinunt laudibus extollere? Vt igitur lucerna de medio legis ad candelabrum transfertur ecclesiæ, uocatione Christi dignus habitus, Christum pauperem pauper ipse secutus, in sortem & numerum septuaginta duorum discipulorum ab ipso Domino designatus est. Completo deinde dispensationis Dominicæ ministerio, incarnatione uidelicet, passione, resurrectione & ascensione in cœlos, surgens Petrus in medio fratrũ, dixit: (erat autem turba hominum ferè centum uiginti uiri) Fratres, oportet impleri scripturam quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid, de Iuda, qui fuit dux eorum qui cõprehenderunt IESVM: qui numeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerij huius. Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia uiscera eius. Et notum factum est omnibus habitantibus Hierusalem, ita ut appellaretur ager ille Acheldemach lingua eorum, hoc est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eius deserta, cuius non sit qui inhabitet in ea, & episcopatum eius accipiat alter. Oportet ergo ex his uiris qui nobiscum sunt cõgregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus IESVS, incipiens à baptismate Ioannis usq; in diem qua assumptus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis. Et statuerunt duos: Ioseph, qui uocabatur Barsabas, qui cognominatus est iustus, & Mathiã. Et orantes dixerunt: Domine, qui corda omnium nosti, ostende quem elegeris ex his duobus, unum accipere locum ministerij huius & Apostolatus, de quo preuaricatus est Iudas, ut abiret in locũ

suum.

A suum. Et dederunt sortes, & cecidit sors super Mathiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis. Dum ergo complerentur dies Pentecostes, accepta in linguis igneis gratia Spiritus sancti, dispersi erant Apostoli toto orbe terrarum. Tūc beatus Mathias ex decreto eiusdem Spiritus sancti, Iudæam in sortem prædicationis accepit. In qua, quēadmodum diuina gratia quosdam mancipans, æmulorum in se liuorem accenderit, sermo sequens declarabit. Anno igitur post passionem Domini tricesimo tertio, plus minus, Anano iuniore, qui & Akauua, pontificatum adepto, credens se opportunum tempus inuenisse idem pontifex, aduersus discipulos Domini, Festo præside mortuo, & Albino adhuc in itinere cōstituto, consilium iudicum fecit: & quosdam deducens ad se, inter quos & fratrem IESV Iacobum, tradidit puniendos. Qua tempestate beatissimus apostolus Domini Mathias, uerbum uitæ æternæ per circuitum Iudæis nunciabat, multosq́; filiorū Israel ad Deum signis ac prodigijs conuertebat. Cæcos namq; illuminabat, leprosos mundabat, dæmones ex obsessis corporibus in Christi nomine effugabat, claudis gressum, surdis auditum, mortuis quoq; uitam restituebat. Instruebat quod erat uitæ, quod morum, quod religionis: Moysen quidem sanctum prædicans, legem nihilominus omni cultu dignissimā, sed quæ sub palea literæ maxima in se Chri
B sti & ecclesiæ sacramenta continebat. Christū deniq; ab ipso Moyse signis & ęnigmatibus præfiguratū, uerbis propheticis annunciatum, in redemptionem generis humani missum à Deo patre, per uirginem mundo innotuisse, diuinæ legis comprobabat testimonio. Plurimaq́; edisserens & interpretans illis, omnia signis potentissimis adprobabat. Dum ergo in hunc modum circuiret uicos & castella, benefaciens, & annuncians regnum Dei, deuenit in ciuitatem Galilææ nomine Galim, quæ Latinè Gischala dicitur. Et introiens in synagogam, cœpit ex scriptura legis euangelizare Christum IESVM. Illi autem nitebantur contrà ire sermonibus eius, blasphemijs & detestationib. maledicētes nomini sancto. Cumq́; instantius ipse de IESV sermonem faceret, illi zelo repleti, duxerūt eum uincientes, & nunciauerunt principi sacerdotum & senioribus, dicentes: Condemnati illius IESV, qui se filium Dei dicebat, discipulum comprehendimus, quem subuertentem plebem per synagogas & compita deprehendimus. Quid facto opus sit, consulite. Nos enim multis quęstionibus legis examinauimus, & inuenimus hominem contra legem agentem quidem, sed in ipsa lege peritissimum, qui & gloriatur Simonem se habuisse magistrum. Nobilis est, genere illustris, & acceptus in plebe: quamobrem decreuimus in illum nihil absq; auctoritatis uestræ imperio pręsumere. Quidam autem ex synagoga principis dixerunt: Lex nostra, fratres, ut nostis, hominem non nisi ex sua confessione, seu testium ueracium

 assertione,

A
assertione condemnat: sicut scriptum est, In ore duorum uel trium testium stabit omne uerbum, & absq; testibus nemo punietur. At illi dixerunt: Inuenimus per synagogas eum auertẽtem populum, per totam Galilæam conuenticula facientem, circumferentem doctrinam IESV Nazareni, iudicio principum crucifixi. Deniq; non est uicus aut ciuitas, in qua nouam sectam non inuexerit homo perditissimus, qui in Moysem locumq; sanctum & legem blasphemare nõ timuerit. Huius rei testes sumus. Põtifex Ananus dixit: Nomen illius edicite. Responderunt: Mathias, natus de Bethlehẽ Iuda. Pontifex dixit: Quoniã quidem non expedit nobis, & generi nostro, sermonem de IESV propagari, adducatur, ut si qua temerariè per ignorantiam protulit, per pœnitentiã diluat: sin alias, pœnam præuaricationis incurrat. Abeuntes igitur cum ministris, põtificibus, & aliјs principibus magistratuum, adduxerunt beatum uirum in concilium. Quem intuitus pontifex, ait: Scit omne concilium hoc, & orbis uniuersus, in quãtum respublica nostra peruenerit opprobrium, non quidem culpis nostris exigẽtibus, sed paucorum qui ex nobis exierunt peruersitate, præsidumq; Romanorum auaritia, uel ut correctius dicam, seueritate. Fuerunt enim non nominandi quidam rerum nouarum cupidi, sectas adducẽtes, per quos quot milia Iudæorum peruersa sint, quot à Romanis principibus interempta, uos melius nostis. Nec enim talia uos aut ex ipsa sui magnitudine latêre potuerunt, & ex ipsa uicinitate, seu potius uisione terruerunt. Veruntamen eorum cum suis auctoribus uanitas, non sine magno nostri generis obprobrio penitus interiјt. Nec inuentus est qui populũ ex ipsorum superstitione, uel hæresi post illos irretierit. Fuerunt enim, Iudas Galilæus, Theodas magnus, quos post ipsorum interitũ nemo recolit, nemo uenerari uel imitari cõtendit. Maximus horum heresiarches IESVS Nazarenus surrexit, qui se Deum & Dei filium prædicans, legis obseruationes nihili pendit, multorumq; oculos & animos signis suis & præstigiјs illiciens conuertit. Suscepit tamen & in se decreta legis, quæ contempsit, realiter hęc approbãs, quæ uerbaliter interdixit. Sed quorsum ista? Scimus, à Domino Moysi sancto legem datam, à patriarchis uerbis & effectibus approbatam, à prophetis nihilominus obseruatam, quibus & Deus miracula dedit facere, qualia IESVS patrare non potuit. Quis enim nesciat, Moysen cum Domino, quasi hominem cum homine, collocutum? Quis nesciat, Heliam igneo curru ad sidera transuectum? Quis ignoret, cadauer Helisei mortuum sepulchro iniectum suscitasse? Quis ambigat, cæteros Dei sanctos miracula plurima & prodigia perpetrasse: quorum tamen nullus hanc dignitatem diuini nominis usurpauerit, nullus legem uiuendi nouam adinuenerit. Deniq; sancti prophetæ, abiecto habitu, uoce humili, quantum datur intelligi, non sponte, sed torrente spiritu

Rhetoricis colorib. instructa oratio Pontificis Anani, aduersus B. Mathiã.

B

A spiritu locuti sunt. Hic autē ad ostētationē agens omnia, passim uerba uana iactauit. In tantū enim eius ꝓcessit insania, ut & principes sacerdotū eius laceraret cōtumelijs, scribas & pharisęos hypocritas appellaret. Quis horū prophetarū id pręsumpsit? Sed iste pręsumptionis suæ dignū finem inuenit. Atq; utinā memoria eius cū ipso perijsset, nec superesset qui errorē doctrinæ ipsius, semel emortuū, resuscitaret. Sed præter uotū accidit. Ecce ut tēplum sanctū, ciuitas sancta, leges patriæ Romano præsidi & Romanis legibus exposita sint. Non est qui cōdoleat, nō est qui misereat, nemo est qui iudicet, nemo qui reputet. Trahimur ad iudiciū, & sustinemus: seducimur, & assentimur: in diremptionē sumus, & tacemus. Isti præcipuè Galilęi in manus Romanorū nos tradūt, dum sanguinem IESV, quasi innocentis hominis, in nos & in genus nostrum refundere non erubescunt. Expedit itaq; nobis, ut pauci pereant, ne Romani totum locum deleant, & gentem. E duobus enim malis si neutrum uitari poterit, minus & tolerabilius eligendū est. Prospicere tamen & errantibus, & salutis offerre remedium, magis est sententiæ, quàm de uoluntario ipsorum interitu uel perditione gratulari. Neq; enim nos in periculis positi, cuiusquam desideramus periculū: sed quod nostro potius competit officio, lapsos reformare, errantes corrigere, periclitātibus adesse, summopere studemus. Perpēdat igitur &
B hic animi nostri mansuetudinem: tempus habet, habet inducias, quo interstitio possit animum religioni reuocare. Habet potestatem pro se quæ expediunt allegare, uerbisq; excusatorijs obiecta refellere. Tunc repletus Mathias Spiritu sancto, extensis in cœlum manibus, dixit: De obiectis, uiri fratres, quæ uos crimina dicitis, non oportet me multa dicere: quoniam quidem Christianū esse non est criminis, sed glorię. Nam ipse dicit per Prophetam, dicens: Vocabo seruos meos in nouissimis diebus nomine alio. Pontifex Ananus dixit: Quomodo? non est criminis, legem sanctam pro nihilo ducere? Deū inhonorare, fabulisq; superstitiosis & inanibus uacare? Mathias respondit: Si uerbis meis patienter auditū præbeatis, docebo qualiter hoc quod prædicamus, fabulosum non sit, sed ab initio legis testimonijs approbatum. Deus patrum nostrorum, Abraham patrem nostrum eduxit de ui Chaldæorum, repromittens ei terram Chanaam se daturum, cum neq; filios neq; filias haberet, & Sara uxor eius sterilis esset: de qua tamen scriptum est, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Et locutus est Dominus ad Abraham, dicens: Iuxta condictum reuertar ad te, & habebit Sara filium. Per repromissionem ergo natus est Abraham patri nostro filius, quem appellauit Isaac. Ex illo autem Iacob, qui primogenita quidē fratris surripiēs, electus à Domino, in quo repromissio fructificaret, sicut scriptura dicit: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Cumq; zelaretur Esau Iacob, ut eū occide

 ret,

ret, abijt Iacob in Mesopotamiam ad Laban, & seruiuit ei sub mercede, usque quo loqueretur ei Dominus, dicens: Reuertere in terram natiuitatis tuæ, eroque tecum, & eruam te, & liberabo, dicit Dominus. Cum ergo abijsset cum multa familia & peculio, & uenisset in Phanuel, descendit uir & luctabatur cum eo usque mane. Dixitque ad eum: Dimitte me, aurora est. Qui respondit ei: Non dimittam te, ni benedixeris mihi. Et benedixit ei, dixitque: Nõ uocaberis ultrà Iacob, sed Israel erit nomen tuum. Sciscitante autem illo nomen uiri, ait: Cur quæris nomen meum? quod est mirabile. Et abijt Iacob, & cum illo quos genuerat in terra aliena duodecim patriarchæ: quibus præmisit Dominus in Aegyptum, firmamẽtum & saluatorem, qui adesset eis, & semini eorũ, in tempore afflictionis suæ. Facta deinceps fame in terra Chanaan, descendit Israel in Aegyptum, in animabus septuaginta, & habitauerũt patres nostri in oppidis Gessen, & multiplicati sunt nimis. Cum ergo affligerentur ab Aegyptijs, surrexit Moyses, uir potens & eruditus, qui fugiens Pharaonẽ persequentem, deuenit in Madian. Vbi dum pasceret oues soceri sui, sacerdotis Madian, in deserto, apparuit ei Dominus in igne flammæ rubi. Adpropinquante autem illo, ut uideret uisionem mirabilem, dixit ad eum Dominus: Solue calceamentum de pedibus tuis. Quid autem, fratres (scientibus enim legem loquor) signum repudij fuit? Quod intelligens idem uir sanctus, ait: Obsecro Domine, mitte quem missurus es: significans uidelicet, quod ijsdem postea scribit, filijs Israel, dicens: Prophetam uobis suscitabit Dominus de fratribus uestris, tanquam me ipsum, hunc audietis, iuxta omnia quæ locutus fuerit uobis. Et iratus Dominus in Moysen, ait: Ecce Aarõ frater tuus uenit in occursum tuum, ostendens nondum consummatam plenitudinem temporis, in quo uetus ille nuncius adesset, qui populum suum non de manu significatiui Pharaonis, sed de potestate intellectualis & significati, qui est diabolus, liberaret. Significatiua enim cætera omnia quæ gesta sunt fuisse Phase uestrum indicio est, quod à patribus ad literam celebratum, maxima in se mysteria continere, manifestis & euidentibus de causis patet. Quid enim esus agni carnium proderat ad conscientiam? Quare renes accingitis? Quare baculos in manibus, calceamenta in pedibus habetis? Hæc omnia, fratres, licet scientiam legis habere uideamini, sicut scriptum est, si non credideritis, non intelligetis. Quomodo enim sanguis agninus in utroque poste, & in superliminari aspersus, ab exterminatore uos eriperet, nisi crucem IESV, qui dicitur Christus, figuraret? De ipso nanque Esaias dicit: Sicut ouis ad occisionem duceretur, & inter cætera, Et inter iniquos reputatus est. Vt ergo nomen IESV pontifex audiuit, furore repletus, ait: Hæc itaque ad destructionem legis prosequeris? An ignoras scriptũ, Si quis propheta uel somniator in Israel surrexerit, ut auertat uos à lege Domini uestri,

A uestri, morte moriatur homo ille. Mathias respondit: Propheta ille de quo nobis sermo, non solũ propheta, sed & Dominus est prophetarum, & Deus, Dei filius, cuius diuinitas manifestis indicijs declaratur. Hac igitur ratione ductus, in ipsum credidi, sperans quòd in confessione nominis eius perseuerabo. Pontifex dixit: Quid si dantur induciæ, uis'ne poenitere? Mathias respondit: Absit à me, ut à ueritate quam semel inueni, nõ per poenitentiã, sed per apostasiam digrediar. IESVM Nazarenum, quem uos quidem negastis, uerum Dei filium, per omnia patri consubstantialem, & coæternũ, atq; coæqualẽ, corde confiteor, ore prædico: Christi seruus sum, aliud esse non potero. Tunc pontifex obdurans aures suas, & stridens dentibus, in eum clamauit, & ait: Blasphemauit. Et subiunxit: Audiat legẽ. Et lecta est, iuxta quod attinebat: Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum: & qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur. Lapidibus obruet eum omnis multitudo. Nõ parcet illi oculus uester, & auferetis malũ ex uobis. Cũ igitur uir sanctus nec blandimẽtis euerti, nec minis aut terroribus cõcuti posset, protulit in eũ sententiã. Os enim, inquit, tuum cõtra te locutũ est, sanguis tuus contra caput tuum. Proinde ductus est ad poenã. Cum ergo uenisset ad locum Bethlaskila, id est, domum lapidatorum, silentium indixit, & ait: Scriptum namque est, cum
B uidero faciem Domini Dei Sabaoth, numquid non uiuet anima mea? (uel ut alij peritiori Iudæo, secundũ Hebraicam ueritatem magis placuit) Quando ueniam & apparebo ante faciẽ Domini? Ait enim, quia prima & ultima litera nominis, quæ sunt Mem & Iod, simul iunctæ, resonent: quin & ipse per has literas alluserit ad nomen suũ, uersiculo Psalmi. Et subiũxit uir sanctus: Hypocritæ, bene prophetauit de uobis Dauid, dicẽs: Captabãt in animã iusti, & sanguinem innocentem cõdemnabunt. & Ezechiel ait: Mortificabãt animas quæ non moriuntur. Testes igitur duo numero, secundum legis mandatũ, posuerunt manus eius super eum, & in tumulo lapidum deiecerunt eũ, ac primi lapides miserunt. Mathias autẽ petijt illos duos lapides consepeliri sibi, in testimoniũ illis. Et lapidatus ab illis, securi quoq; Romano more percutitur, ut quasi præsidi Romanæ maiestatis in hoc aliquid deferretur. Tunc extensis ad coelum manibus, reddidit spiritũ, die VI. Kalendarum Martiarum. Et accedentes uiri ex discipulis eius, sepelierunt eũ: quorum nomina sunt hæc: Lachis, Kaph, Himna, Heimhda, Samuel, Simon, Naamen, Ioseph, Ismahel, Simeon, Ioannes. Quiq; Ioannes gratia Dei destitutus apostatauit, cæteris permanentibus in fide Domini nostri IESV Christi, cui est honor & gloria cum æterno patre & sancto Spiritu, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

HISTORIA DIVI MARCI

Euangelistæ, ex uetustißimo codice descripta, incerto autore.



PER idem tempus, quo dispersi erant Apostoli toto A
orbe terrarum, contigit beatissimum Marcum ad
Ægypti regionem diuina uoluntate pertingere,
unde eũ Euangelistã sancti canones Catholici &
Apostolici decreuerunt. Propter quod primus in
tota Ægypti regione, in Libya, Marmarica, & Am
monica & Pẽtapoli prędicauerat Euãgeliũ, & aduentũ Domini no
stri IESV Christi. Erãt enim cuncti qui in his terris habitabãt, incir
cũcisi, & idolis seruientes, & delubra & simulachra domestica fabri
cabant exercitationes quin etiã nefandissimas habebant: ac malefi-
ca, omnisq́ue contraria uirtus apud eos uigebat, quam Dominus no
ster IESVS Christus aduentu suo disperdidit atq́ue destruxit. Cum
ergo uenerabilis euãgelista Marcus Cyrenen, quæ est apud Penta-
polim, peruenisset, erant enim illic secũdum genus eiusdem religio
nis indigenæ, his Apostolus faciens exordium diuini sermonis, in-
firmos sanabat, leprosos mundabat, spiritus mutos nequissimos
per gratiam Christi solo sermone curabat: plurimi per eum in Do-
minum nostrum IESVM Christum crediderunt, & destruentes i- B
dola sua, lucosq́ue succidentes, baptizati sunt in nomine patris &
filij & spiritus sancti. Dein etiam reuelatur ei per Spiritũ sanctum,
ut ad fanum Alexan driæ pergeret, & sereret ibi bonum semen di-
uini sermonis. Igitur beatissimus euangelista Marcus, uelut athle-
ta fortis, simul ad certamen prompta mente gradiebatur. Itaq́ue fra-
tribus ait: Dominus meus locutus est mihi, ut Alexandriam profi
ciscar. Qui prosequuti sunt eum usq́ue ad nauim: & mãducantes pa-
nem cũ eo, dimiserunt eũ, dicentes: Dominus IESVS Christus pro-
sperum faciat iter tuũ. Venerabilis ergo Marcus Alexandriam die
secũdo peruenit. Egressusq́ue de nauicula, uenit ad locum quẽdam.
Et mox ut ingressus est ciuitatem, calceamentum eius disruptũ est.
Et beatus Apostolus intelligens illud, ait: Verè iter meum expedi-
tum est. Quendã autem cõspiciens qui suere uetera solitus est, ipsi
calceamentũ tradidit corrigiãdum. Qui cum faceret, sinistram ma-
num suam fortiter uulnerauit, & exclamauit, Vnus Dominus. Be
atus autem Marcus audiens, quod dixerat, Vnus Dominus: ait in-
tra semetipsum gaudens, Prosperum fecit Dominus iter meum. Et
expuens in terram, unxit manũ uiri, dicens: In nomine IESV Chri-
sti filij Dei. Et confestim sanata est manus eius. Sutor autem uete
rum, considerans tantam uiri potentiam, & efficaciam uerbi eius,
uitæq́ue continentiã, dixit ei: Obsecro te homo Dei, ut uenias, & de-
clines in domum serui tui, & comedas panem; quia fecisti hodie
misericordiam

A misericordiam mecum. Beatus autem Marcus lætus effectus, ait: Dominus det tibi panem uitæ de cœlo. Homo itaq; coegit Apostolum, & introduxit eum in domum suam, gaudens. Ingressusq; sanctus Marcus, ait: Benedictio Domini hic omnibus sit: oremus fratres. & orauerunt simul. Cumq; gratularentur, ait homo: Interrogo te, unde es, uel unde sermo iste fortis in te? Respondit ei beatus Marcus: Ego seruus sum Domini IESV Christi, filij Dei uiui. Dixit autem homo ille: Vellem uidere eum. Respondit beatus Marcus: Ego tibi eum demonstro. Et cœpit initium facere Euangelij IESV Christi, & ostendere ei quæ à prophetis de eo fuerant prædicta. Dixit autem homo ille: Ego scripturas, quas tu dicis, nunquam prorsus audiui: sed Iliada & Odyssea, quibus Ægyptiorum filij pro sapientiæ studijs imbuũtur. Tunc cœpit beatus Marcus euangelizare ei Dominum IESVM Christum, declarans quòd sapientia mundi huius stultitia sit apud Dominum. Credidit autem homo ille in Dominũ, docente beato Marco, & signa atq; prodigia faciente. Et baptizatus est ipse, totaq; domus eius, & magna multitudo loci illius. Vocabatur autem ille Anizanus. Cumq; plurimi facti essent credentes in Domino, audientes uiri ciuitatis, quòd Galilæus quidam ibi uenerit, qui eorum sacrificia destrueret, & prohiberet cærimonias eorum, quærebant interficere eum, po-
B nentes ei multas insidias. Beatus autem Marcus agnoscens eorum consilia, Anizanum ibidem ordinauit episcopum, & tres presbyteros: id est, Melium, Sabinum, & Cerdonem: & septem diaconos, & alios undecim ad ecclesiasticum ministeriũ pertinentes. Et Pentapolim pergit, commoraturq; ibi dein duobus annis, confortans fratres, qui illic antè crediderant. Et ordinans episcopos per regiones illas, & clericos, iterum Alexandriam uenit, & reperit fratres multiplicatos in gratia & fide Domini, ecclesiamq; constructã ab eis in loco qui uocatur Buculus, id est Bubulci, iuxta mare, sub rupibus. Et lætatus est iustus ualde, positisq; genibus Domino laudẽ dedit. Cũ autem iam impleret tempus eius, & Christiani multiplicarentur, irridentes simulachra, subsannantesq; gentiles: cognouerunt ibidem profani aduenisse sanctum, & repleti sunt liuore propter miracula quæ eum facere compererant. Infirmos enim sanabat, prædicabat surdis, cæcis uisum condonabat. Et quærebant eũ adprehendere, nec poterant inuenire: fremebantq; dentibus suis in spectaculis idolorum suorum, & in festis commessationibus suis clamabant, Magna uis huius magi. Factum est autem, ut beatissima festiuitas nostra Paschalis, id est Dominicus dies sanctus occurreret uicesimo die mensis Parmuthi, quod est octauo Kalendarum Maiarum: quo tempore eorum Serapiaca agebatur celebritas. Hac igitur opportunitate adunati, insidiatores protinus dirigunt: qui repererunt eũ orationis oblationẽ diuinæ Maiestati sacratissimam

celebrantem. Tollentes uerò eum, miserunt funem in collo eius, & A trahentes dicebant: Trahamus bubalum ad loca bucul i. Sanctus autem Marcus cũ traheretur, gratias referebat saluatori Christo, dicens: Gratias tibi ago Domine mi IESV Christe, quia dignus habitus sum hæc pro nomine tuo pati. erantq; carnes eius defluentes in terra, & saxa inficiebantur sanguine eius. Cumq; uespera facta esset, miserunt eum in carcerem, usq; dum pertractarent, quali eum morte disperderent. Circa mediam uerò noctem clausis ostijs, & custodibus ante fores dormiẽtibus, ecce terræmotus factus est magnus. Angelus autem Domini descendit de cœlo, qui tetigit eum, dicens: Famule Dei Marce, & princeps propagatorum sanctissimorum per Aegyptum decretorum, ecce nomen tuum in libro uitæ cœlestis adscriptum est, & memoriale tuum non derelinquetur in sæculum: socius enim factus es supernæ uirtutis. nam in cœlis spiritum tuũ colligent: in te requies non peribit. Hunc enim finem beatissimus Marcus inspiciens, manus ad cœlum extendens, dixit: Gratias tibi ago Domine IESV Christe, quia non me dereliquisti, sed connumerasti cum sanctis tuis. Obsecro Domine IESV Christe, suscipe in pace animam meam, & ne me patiaris à gratia tua separari. Hæc cum dixisset, uenit ad eum Dominus IESVS Christus in habitu quo fuerat cum discipulis suis, & qua forma antequã pateretur, & ait ei: Pax tibi Marce euangelista. Et ille respondit: Do- B mine mi IESV Christe. & abijt. Mane autẽ facto, cõuenit multitudo ciuitatis, & eijcientes eũ de custodia, miserũt iterũ funem in collo eius, & trahebant eum, dicentes: Trahite bubalum ad loca buculi. Sanctus autem Marcus cum traheretur, gratias agebat Domino IESV Christo, dicens: In manus tuas cõmendo spiritũ meum, & hoc dicens beatissimus Marcus, tradidit spiritum. Immanis autem multitudo gentilium ignem succẽdentes, in loco qui uocatur ad angelos, uoluerunt reliquias sanctas comburere. Tũc prouidentia Dei & saluatoris Domini IESV Christi, ualida tempestas exorta est, & procella uenti facta est uehemens: sol quoq; subtraxit suos radios, & tonitrua fuerunt grauia: imberq; plurimus à mane usq; ad uesperum, ita ut habitacula multorum corruerent, & plurimi morerentur. Metuentes itaq; custodes, dimiserunt sanctum corpus, & fugerunt. Alij uerò deridentes, dixerunt: Beatissimus Serapis noster in sua hodie festiuitate, hunc uirum uoluit inuisere. Tũc religiosi uiri uenientes, iusti corpus collegerunt, & detulerunt, ubi orationes sollicitè erant Domino sine cessatione celebrantes. Fuit autem forma beati Marci huiusmodi: Longo naso, subducto supercilio, pulcher oculis, recaluaster, prolixa barba, uelox, habitudinis optimæ, ætatis mediæ, cano aspersus, affectione continuus, gratia Dei plenus. Factis igitur orationibus sepelierunt eum, sicut ciuitatis consuetudo poscebat: & posuerunt eum in loco lapidis excisi,

A cisi, cum gloria, uenerantes memoriam eius cum sobrietate, & precibus, gratulantes quòd primus uiuum & preciosissimum meruit Alexandriæ thronum. Repositus est autem in parte orientali, dormiuitque beatissimus Euãgelista, primus Domini nostri IESV Christi martyr apud Alexandriam Aegypti, die quę est apud Romanos septima Kalendarum Maiarum, iuxta Hebræos autem octauo decimo, imperante Caio: regnante Domino nostro IESV Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HISTORIA ET VITA SANcti Clementis, Romani Episcopi, incerto autore.



TERTIVS Romanæ ecclesiæ præfuit episcopus Clemens: qui disciplinam apostoli Petri secutus, ita morum ornamento pollebat, ut Iudæis & gentibus, & omnibus Christianis populis complaceret. Diligebant enim eum gentiles, quoniam non execrando, sed rationem reddendo, ex eorum libris & cæremonijs ostendebat, ubi nati, et unde nati essent hi, quos deos putarent & colerent: & quid egissent, uel qualiter defecissent, euidentissimis documentis astruebat. Ipsos uerò gentiles posse in-B dulgentiam à Deo consequi, si ab eorum cultura recederent, edocebat. Iudæorum uerò hoc ordine gratia utebatur, quòd patres eorum amicos Dei assereret, legemque eorum sanctam & sacratissimam memoraret. Primumque locum istos apud Deum habituros, instruebat, si legis suæ sacramenta seruaret, in eo quòd promissum Abrahæ non negarent in Christo fuisse completum: id est, quòd in semine Abrahæ Deus hæreditandas promiserat omnes gentes: & quòd dixerat ad Dauid, De fructu uentris tui ponam super sedem meam: & quod per Esaiam confirmauerat, quòd uirgo in utero cõciperet filiũ, et uocaretur nomen eius Emmanuel. à Christianis uerò ideo quàm maximè diligebatur, quoniam singulorũ regionum inopes nominatim habebat scriptos: & hos quos baptismatis sanctificatione illuminauerat, non sinebat publicæ fieri mendicitatis subiectos. Quotidiana itaque prædicatione mediocres ac diuites ammonebat, ne paterentur baptizatos pauperes à Iudæis, aut à gentilibus stipem publicam accipere, & uitam baptismatis consecratione mundatam donis gentiliũ inquinari. His & plurimis huiuscemodi prædicationum floribus pollens, tam Deo quàm omnibus hominibus rationabilibus complacebat. Irrationabilibus uerò placere nemo potest, qui Deo placere probatur. Et ideo nõ timuerunt sancti iniurias hominum irrationabiliũ, quorũ ratio hæc erat, ut displicerent infidelibus, & non timerent. Sic factum est, ut

nec Aurelianum, nec Sisinnium, amicos Neruæ imperatoris, ex A
pauesceret Clemens, cum & Domicillam uirginem, neptem Domiciani principis, sponsam Aureliani, credentem Christo, sacro uelamine ad integritatis perseuerantiam consecraret: & Theodoram Sisinnij coniugem conuersam à simulachris, Deo castitatis propositum profiteri persuasisset. Quam uir suus in zelo ducens, ecclesiã intrantem occultè prosecutus est, studens uidere & audire quid esset, pro qua re uxor eius ad ecclesiam festinaret. At ubi à Clemente episcopo oratio fuisset & collecta dicta, & à populo dictum esset, Amen: statim Sisinnius cæcus & surdus effectus, nihil uidere poterat, nec audire. Tunc dixit Sisinnius ad seruos suos: Tollite me citò inter manus uestras, & eijcite me foras, quoniam oculi mei cæci facti sunt, & aures meæ ita effectæ sunt surdę, ut penitus nihil uidere uel audire præualeam: pueri autem eius gyrabant cum eo intus per totam ecclesiam, inter populos uirorum ac mulierum orantium, & ianuas unde ingressi fuerant inuenire non poterant. Sic factum est, ut dum gyrando in errorem cõuerterentur, ad dominam suam Theodoram, ubi orabat Dominum, cum domino suo peruenirent. Quę cum uideret seruos suos ducentes dominum suum excæcatum, & gyrum uanum laborantes, primùm quidem declinauit aspectum eorum, putans eum apertis oculis se aspicere: & misit unum ex pueris, qui cum ipsa erãt, ut sciret quid sibi uellent cũ suo B
domino ita circumeuntes. Qui respondentes dixerunt ei: Dominus noster dum uult uidere quod non licet, & audire secretum, excęcatus est, et surdus effectus est. Nobis quoque hoc imperauit, ut eũ exportaremus foras. Sed non conceditur nobis, ut illum hinc aliquatenus proferamus. Cumque nunciatum fuisset hoc Theodoræ à puero, prostrauit se in orationem, & cum lachrymis cœpit postulare à Domino, ut inde uir suus cum pueris qui eum ducebant exire posset. & conuersa ad pueros qui eum ducebant, dixit eis: Ite modò, & dantes manum domino uestro, perducite eum ad domum. ego enim orationem meam, quam cœpi, non desinam, donec explicem: sed offerens hostiam meam Domino, expletis mysterijs prosequar uos. Cumque abijssent pueri, dãtes ei manũ, & egressi essent, perduxerunt dominum suum ad domum: & reuersi sunt ad dominam suam, cæcum nunciantes uirum eius effectum, & surdũ. Theodora autem amplius Deo preces lachrymasque effundebat, ut illi diuina misericordia subueniret. Post mysteria autẽ facta, prostrauit se ad pedes beati Clementis Theodora, dicens: Virum suum curas agentem secretorum Domini nostri IESV Christi, cæcitatem incurrisse oculorum amborum, & utrarumque aurium auditũ perdidisse. Tũc beatus Clemẽs uictus fletu & oratione, eos qui aderãt simul, secum Deo preces fundere exhortatur, quatenus uiro eius Dominus & auditũ reddere dignaretur, & uisum. Confidens itaque Clemens

A Clemens post orationem perrexit cū muliere Theodora ad uirum eius,& inuenit eum apertis oculis nihil uidentem, & neq; sermonem aut sonitum audientē. Cumq; ululatu uniuersi perstreperent, & hoc Sisinnius non audiret, dixit ad Deum Clemens: Domine IESV Christe, qui claues regni cœlorum dedisti apostolo tuo Petro, magistro meo, & dixisti ei: Quæ aperueris aperta sunt, & quæ clauseris clausa sunt: tu præcipe, ut aperiantur huius hominis aures & oculi, quoniam tu dixisti: Quæcunq; petieritis credentes, cōsequimini: & tua hæc promissio fidelis permaneat in sæcula sæculorum. At ubi respondentes dixerunt, Amen: aperti sunt oculi Sisinnij, simul & aures eius. & uidens Clementem iuxta coniugem suam stantem, amens effectus, cogitare cœpit, Quidnam hoc esset? & æstimās se magicis illusum artibus, cœpit dicere seruis suis, ut tenerent Clementem episcopum. Dicebat enim: Iste, ut ingrederetur ad uxorē meam, artibus mihi magicis cæcitatem induxit. His autem quibus iusserat ut ligarent Clementem, uidebatur quòd ipsum constringerent & traherent: illi autem columnas trahentes ligabant & trahebant, nunc quidem deintus foras, nūc uerò deforas intus. Hoc quoque ipsi Sisinnio uidebatur, quòd sanctum Clementem uinctū traherent. cui sanctus Clemens ait: Duritia cordis tui in saxum cōuersa est: & quia saxa deos esse æstimas, saxa trahere meruisti. At ille
B quasi uincto insultans, dicebat: Ego te faciam ad omnium maleficiorum tuorum experimentum interfici. Tunc beatus Clemens dans orationem, & benedicens uxorem eius, abscessit: hoc illi in mandatis tradens, ne ab oratione omnino cessaret, donec uisitationē Dominus uiro eius dignaretur ostendere. Oranti autem Theodoræ, & flenti, ecce subitò ad uesperum apparuit quidam uir canicie uenerandus, dicens: Per te sanus erit Sisinnius, ut impleatur hoc quod dixit frater meus Paulus apostolus, Sanctificatur uir infidelis per mulierem fidelem. & cum hæc dixisset, ab aspectu eius abscessit. Vnde non dubium extitit, ibi beatum Petrum apostolum apparuisse. Deniq; statim uocauit ad se Sisinnius Theodoram, & dixit ei: Obsecro te ut roges Deum tuū, ne irascatur mihi. zelo enim tui ductus, abij post te ad ecclesiam: & dum uolui uidere quæ agebantur, & audire quæ dicebantur, amisi auditū pariter & uisum. Nūc ergo quia Clementis fecit præsentia, ut & auditum recuperarem, & uisum, roga eum ut ueniat ad me, & faciat me ueritatē agnoscere. Nā & mihi et pueris meis pro certo hoc uidebatur, quòd Clemētem ligarent cum clericis suis, & ipsum traherēt. Ipsi autem saxa & columnas ligantes traxisse noscuntur. Tunc Theodora perrexit ad episcopum Clementem, & narrauit ei omnia quæ uiderat, & quæ fuerāt ei à suo uiro narrata. Veniens autem Clemens ad Sisinnium, cum honore susceptus est. A' quo audiens uniuersa quæ ad ædificationem eius conuenerant, docuit eum omnia quæ ad fidem catho-

licam pertinere probant: & credidit ei Sisinnius, & in fide corro- A
boratus est, & cœpit genubus Clementis aduolui, dicens: Gratias
ago uero Deo omnipotẽti, qui me idcirco cęcauit, ut uideã: ideo au
ditũ abstulit, ut ueritatẽ hanc audiã, quã ignoranter irridebã: et hoc
putabã falsum esse, quod uerũ est: hoc existimabã uerum esse, quod
falsum est: tenebras putabã lucem, & lucem tenebras ęstimabã. Sed
purgatus est sensus meus à sordibus idolorum. Verè nũc cognoui,
dęmones decipere homines: & qui nõ credũt Christũ Deum, ipsis
dominantur saxa surda & muta, sicut & mihi hactenus dominata
sunt. Hęc et his similia multa dicẽte Sisinnio, gaudium magnum fa-
ctũ est. Credidit enim Sisinnius cum omni domo sua, & dato nomi
ne proximo Paschate futuro baptizatus est. Cõputati sunt autẽ de
domo eius simul uiri cum mulieribus, & infantibus promiscui se-
xus, numero quadringenti uiginti & tres. Per hunc autem Sisinni-
um multi nobiles, multi illustres, & amici regis Neruæ, conuersi
sunt ad Christũ. Tunc Comes sacrarum Publius Tarquinius, ui-
dens innumerabilem multitudinem Christo credere, inuidia Chri-
sti ductus, uocauit ad se patronos regionum, & data eis pecunia,
monuit ut seditionem excitarẽt nomini Christiano. Illo igitur tem
pore administrãte Mamertino pręfecturã urbanã, facta est seditio
populi Romani de nomine Clementis episcopi, & inter se inuicem
confundebantur, dicentes: Quid enim mali fecit? quid boni nobis
non exercuit? Quicunq; ab eo æger uisitari potuit, nonne saluus B
factus est? Quicunq; ad eũ tristis aduenit, gaudens abscesit. Nul-
li unquam nocuit, cum omnibus profuerit. Alij uerò spiritu diabo
li inflati, dicebant: Magicis artibus ista faciens, deorum nostrorum
culturam euacuauit. Iouem dicit Deum non esse: Herculem con-
seruatorem nostrum, dicit esse immundum spiritum: Venerem de-
am sanctam, meretricem fuisse commemorat: deam Mineruam bla
sphemat: & Dianam ac Mercurium, simul & Saturnũ & Martem
accusat: numina etiam uniuersa blasphemat. Tunc Mamertinus ur
bis Romæ præfectus, populi seditionem non ferens, iussit ad se ad-
duci Clementem episcopum urbis Romæ, qui cum eum secretò ui-
disset, cœpit ei dicere: Nobili te stirpe progenitum omnis Romana
multitudo testatur: sed errorem te passum in eo referunt, quòd ne-
scio quem Christum colere te dicant, & contra omnia templa diui-
na te suscipere arguant. Vnde deponenda est à te hęc superstitio su
perflua, & dij sunt à te colendi, eximius ut euadas. Clemens di-
xit: Optarem per prudẽtiam culminis tui, ad rationem accedere: &
te mihi non de tumultu imperitorum, sed de ratione præscribere.
Nam si canes in nos multi latrauerint, & morsibus attrectauerint,
nunquid nobis hoc possunt auferre, quòd nos homines sumus ra-
tionales, & illi fient irrationabiles canes? Seditio autem semper ab
imperitis exorta, ostendit se nihil certum habere, nec uerũ. Vnde
silentij

Comitis sacrarũ Iure consf. & liber Præfecturarũ meminit.

A silentij est flagitanda occasio, in qua pro salute homo irrationabilis disputare secum incipiat, atque tractare, ut Deum uerum inueniat, cui fidem suam iusta ratione committat. Hæc & alia multa rationabiliter dicente Clemente episcopo, furere contra ipsum cœpit urbis præfectus, qui ipsam seditionẽ excitauerat. Et missa relatione ad Neruam pariter & Traianum, dixit, Clementem hunc ad seditiosam uociferationem populi Romani impeti, cum nihil in eo iure possit eorum accusatio inuenire. Ad quæ imperator Traianus rescripsit, debere Clemẽtem episcopum aut sacrificare, aut trans Pontum mare, in heremo quod adiacet ciuitati Cersonę, subire exilium. Quod cum fuisset allegatum, cœpit cum Clemente episcopo agere Mamertinus urbis præfectus, ne uellet spontaneũ subire exilium, sed ut securus uiueret, dijs libamina exhibere. Sed beatus Clemens episcopus nitebatur etiam ipsius iudicis animum ad fidem Christi perducere, cum se ostenderet appetere potius exilium, quàm timere. Tantam denique Dominus gratiam beato Clementi episcopo attribuit, ut fleret præfectus, ac diceret: Deus tuus, quem tu purè colis, ipse te adiuuet in hoc relegatione exilij. Et delegauit præfectus beato Clementi nauem omnibus necessarijs onustam, & sic dimisit eum. Repleta est autem nauis tam de clero, quàm de populo. Secutique sunt Episcopum religiosi multi uiri. Cum autem peruenissent

B ad locum exilij, inuenerunt ibi ad secanda saxa amplius quàm duo millia Christianorum, diuturna relegatione damnatos. Qui uidentes sanctum Clementem Romanum episcopum, omnes una uoce in fletum & gemitum proruperunt. Quos cũ cognouisset Clemẽs, pro Dei nomine relegatos, dixit: Non meo merito ad uos me Dominus misit, sed ad hoc, ad uestram coronam adduxit, ut particeps factus passionis uestræ, etiam consolationis particeps efficiar. Et cum multa eis consolationis & patientiæ uerba intimasset, didicit ab eis, quòd de sexto miliario aquam sibi humeris apportarent. Tunc sanctus Clemens dixit: Oremus Dominũ IESVM Christum, ut confessoribus suis fontis in isto loco uenas aperiat: & qui percussit petram in deserto Sinai, & fluxerũt aquæ in satietatem, ipse nobis laticem affluentem impertiat, ut de eius beneficio gratulemur. Cumque oratione completa hinc inde circumspiceret, uidit agnum stantem, qui pede dextro erecto quasi locũ sancto Clementi ostenderet. Quod sanctus Clemens intelligens, Dominũ IESVM Christum esse, quem solus ipse respiceret, & præter ipsum alius non uideret, perrexit ad locum, & dixit: In nomine patris & filij & spiritus sancti, in isto loco percutite. Sed cum omnes per gyrum rastris effoderent, & non ipsum locum in quo agnus stabat contingerent, accepto breui surculo sanctus Clemens, leui ictu locum sub pede agni percutiens, fontem affluentibus uenis ornatum aperuit, qui suo impetu euomens fluuium fecit. Tunc uniuersis gaudentibus, beatus

beatus Clemens glorificans Deum, dixit: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Ad istam autem famam confluxit omnis prouincia, & uenientes uniuersi ad doctrinam sancti Clementis, cõuertebãtur ad Dominũ IESVM Christũ: ita ut in die illa quingentę animæ, & eo amplius, baptizati in nomine patris & filij & spiritus sancti, perfecti in fide Christi abscederent. Per totam autem prouinciã intra unum annũ à credentib. septuaginta & quinque ecclesię fundatę, & omnia tẽpla destructa, omniaque idola fracta sunt. Post annos aũt tres paganis insistẽtibus, tã ambitiosa relatio cucurrit ad imperatorẽ Traianũ, ut dicerent, ibi per Clementem episcopũ innumerabilẽ Christianorũ populũ accreuisse. Et missus est dux Aufidianus, qui multos Christianorũ diuersis pœnis occideret. Et dũ uideret Aufidianus, omnes gaudentes ad passionẽ accedere, cessit multitudini, & solũ Clementem episcopũ cogebat ad sacrificandũ. & cum uideret illũ sic fixũ in Domino, ut penitus mutari nõ posset, dixit ad suos: Producatur ad mare, & ligetur ei ad collũ anchora, & pręcipitetur in medio mari, ut non possint isti populi Christiani hunc pro deo colere. Quod cum factum esset, omnis multitudo Christianorum cœpit ad littus stare. Tunc dixerunt Cornelius & Febus, discipuli eius: Omnes unanimiter oremus, ut ostendat nobis Dominus martyris sui excubias. Orantibus autem populis, secessit mare in sinum suum, per tria ferè miliaria. Et ingressi populi per siccum, inuenerunt in modum templi marmorei habitaculum B à Deo paratum: & ibi in arca saxea corpus sancti Clementis positum, ita ut anchora, cum qua missus fuerat, iuxta eum esset posita. Reuelatum est autem discipulis eius, ut non inde tollerent corpus eius. Quibus etiam hoc intimatum est, quòd omni anno die passionis eius recedat mare per septem dies, & sic aduenientibus iter prębeat. quod ad laudem nominis sui facit Dominus fieri, usque in hodiernum diem. Hoc autem ubi factum est, omnes gentes per gyrum crediderunt Christo. Ibi fiunt multa diuina beneficia, orationibus eius. Nam & cæci illuminantur ibi, omni anno natalis eius: dæmones effugantur, & omnes saluantur infirmi, qui illuc potuerint peruenire: & est ibi pax Dei, & laus Domini cum gaudio, & benedicitur Christus filius Dei uiui: qui cum patre uiuit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, in sæcula sæculorum, Amen.

HISTORIA

HISTORIA SANCTI CYpriani Martyris & Episcopi, ex uetustissimo codice descripta.

A MPERATORE Valeriano quartùm, & Galieno tertiùm consulibus, tertio Kalendarũ Septembrium, Carthagine in secretario Paternus procõsul Cypriano episcopo dixit: Sacratissimi Imperatores Valerianus & Galienus, literas ad me dare dignati sunt, quibus præceperunt, eos qui Romanam religionem colunt, debere Romanas ceremonias recognoscere. Exquisiui ergo de nomine tuo: quid mihi respondes? Cyprianus episcopus dixit: Christianus sum, & episcopus. Nullos alios deos noui, nisi unum & uerum Deum, qui fecit cœlum & terram, mare, & quæ in eis sunt omnia. Huic Deo nos Christiani deseruimus, hunc deprecamur diebus atq; noctibus, pro nobis & pro omnibus hominibus, & pro incolumitate ipsorum Imperatorum. Paternus proconsul dixit: In hac ergo uolũtate perseueras? Cyprianus episcopus respondit: Bona uoluntas, quæ Deum nouit, mutari non potest. Paternus proconsul dixit: Poteris ergo secundum præceptum Valeriani & Galieni, exul ad urbem Curubitanã proficisci. Cyprianus episcopus dixit: Proficiscor. Paternus proconsul dixit: Non solum de episcopis, uerumetiam de presbyteris
B mihi scribere dignati sunt. Volo ergo scire à te, qui sint presbyteri, qui in hac ciuitate consistunt. Cyprianus episcopus respondit: Legibus uestris bene atq; utiliter censuistis, delatores nos non esse. Itaq; deferri à me non possunt, in ciuitatibus autem suis inuenientur. Et cum disciplina prohibeat, ut quis se ultrò non offerat, & tuæ quoque censuræ hoc displiceat: nec offerre se ipsi possunt, sed à te exquisiti inuenientur. Paternus proconsul dixit: A' me inuenientur. Et adiecit: Præceperunt etiam, ne in aliquibus locis conciliabula fiant, nec cœmiteria ingrediãtur. Si quis itaq; hoc tã salubre præceptum non obseruauerit, capite plectetur. Cyprianus episcopus dixit: Præcepisti. Cumq; Cyprianus sanctus martyr, electus Deo, de ciuitate Curubitana, in qua exilio præcepto Aspasij Paterni proconsulis relegatus fuerat, regrederetur, in hortis suis manebat. Inde quotidie sperabat uenire ad se, sicut illi ostensum fuerat. Et cũ illic demoraretur, repentè Idibus Septembris Tusco & Basso consulibus, uenerunt ad eũ principes duo: unus ex officio Galerij Maximi proconsulis, qui & in curriculum eum leuauerunt: & ambo se in medio posuerunt, & in Sexti perduxerũt. Galerius quidem Maximus proconsul, bonæ ualetudinis recuperandę gratia secesserat. Et ita idem Galerius Maximus proconsul in aliam diem Cyprianum sibi reseruari præcepit. Ex eo tempore beatus Cyprianus

u apud

apud principem,& apud stratorē eiusdem officij Galerij Maximi A
proconsulis fuit. Et cum esset in uico qui dicitur Saturni, inter Venerea & salutaria, mansit ille uniuersus populus fratrum. Et cū hoc sanctus Cyprianus cōperisset, custodire præcepit, quoniam omnes in uico ante ianuā hospitij principis manserant. Et ita altero die, octauo decimo Kalendarū Octobrium manè, multa turba conuenit ad Sexti, secundum pręceptum Galerij Maximi proconsulis. Et ita idem Galerius Maximus proconsul eadem die Cyprianum sibi offerri præcepit, in atrio Sautio sedenti. Cumq́ oblatus fuisset, Galerius Maximus proconsul Cypriano episcopo dixit: Tu es Tascius Cyprianus? Cyprianus episcopus respōdit: Ego sum. Galerius Maximus proconsul dixit: Iusserunt te sacratissimi Imperatores cæremoniari. Cyprianus episcopus dixit: Non facio. Galerius Maximus ait: Consule tibi. Cyprianus episcopus respondit: Fac quod tibi præceptum est, in re tam iniusta nulla est consolatio. Galerius Maximus locutus cum consilio, dixit: Diu sacrilega mente uixisti, & nefariæ tibi cōspirationis homines adgregasti, & inimicū te dijs Romanis & sacris legibus cōstituisti, nec te pij & sacratissimi principes Valerianus & Galienus, & Valerianus nobilissimus Cæsar, ad sectā cęremoniarū suarum reuocare potuerunt. Et ideo cum sis nequissimorū criminum auctor, & signifer deprehensus, eris ipse documēto, cū his quos scelere tuo tecum aggregasti, tecū sanguine tuo saucientur * disciplina. Et decretū ex tabella recitatū est. In Cyprianum enim gladio aduerti placuit. Cyprianus episcopus dixit: B
Deo gratias ago. Post hāc uerò sententiam turba fratrū dicebat: Et nos cū ipso decollemur. Propter hoc tumultus fratrū exortus est, & multa turba eū prosecuta est. Et ita idē Cyprianus in agro Sexti perductus est, & ibi se lacerna birra expoliauit, & genu in terrā flexit, & in orationē se Domino prostrauit. Et cum se dalmatica expoliasset, & diaconibus tradididisset, ad lineā stetit, & cœpit spiculatorem sustinere. Cū uenisset autem spiculator, iussit suis, ut eidē spiculatori aureos XXV. darent: linteamina uerò et manualia fratribus ante eū mittebant. Postea uerò beatus Cyprianus manu sua oculos sibi texit. Qui cū lacinias manuales ligare sibi non potuisset, Iulianus presbyter, & Iulianus subdiaconus ei ligauerūt. Et ita beatus Cyprianus episcopus passus est. Eiusq́ corpus propter gentiliū curiositatē in proximo positū est. Per noctē autem corpus eius inde sublatū est ad cęreos & scholā Cæsareā, ubi Macrobij cādidatiq́ sunt, in uia Mappaliensi, iuxta piscinas, cum uoto & triūpho magno. Post paucos autem dies Galerius Maximus procōsul discessit. Passus est autem beatissimus Cyprianus martyr die octauo decimo Kalendarū Octobrium, sub Valeriano & Galieno Imperatoribus: regnante uerò Domino nostro IESV Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

HISTORIA

HISTORIA SANCTI APOLLINARIS MARTYRIS, ex peruetusto codice descripta.

A 

N DIEBVS Claudij Cæsaris, ueniente Petro apostolo IESV Christi Nazareni, ab Antiochia in urbem Romam, multi cum eo Christiani, administrãtes ei, Romam uenerũt. Qui statim ad synagogam Hebræorum descendens, dedit eis noticiã, dicens, quòd Hebræus esset, & à Iudæa propter fratrum charitatem aduenisset. Cum uerò per multos dies sermocinaretur Iudæis, introducebat eis de nomine IESV, quòd uerus Dei esset filius, qui saluum fecisset omne genus hominum, indicans quantas operationes & uirtutes in Israel fecisset, secundum propheticas uoces. Multi uerò ex Iudęis agentes pœnitentiam pro ignorantia sua, credebant in IESVM, prædicante Petro. Non solum autem Iudæi, sed etiam Romani, suscipientes uerbum, gauisi sunt, quòd uisitatione uisitasset Deus genus hominum, mittens filium suum renouare mundum. Et credentes in IESVM, baptizabantur. Post multũ uerò tempus ait beatus Petrus apostolus Apollonari discipulo suo: Quid sedes nobiscum? Ecce eruditus es de omnibus quæ fecit IESVS. Surge, accipe Spiritum sanctum, simulq́ pontificatum, & per
B ge ad urbem quæ uocatur Rauennatium: multitudo enim populi illic moratur. Prædica eis de nomine IESV, & ne formidaueris. Cõstat enim apud te, quòd uerè Dei sit filius, qui mortuis uitam reddidit, & ægris intulit uerbo medicinam. Et post multa dans orationem beatus Petrus, & ponens manum super caput eius, ait ei: Mittat Dominus noster IESVS Christus angelum suum, qui prẹparet iter tuum, & quæ postulaueris annuat tibi. Et osculans eum, emisit à se. Cum autem peruenisset beatus Apollinaris nõ longe ab urbe Rauenna, mansit apud quendam militem Asiaticũ, nomine Herenæum. Cui indicans, unde aduenisset, aut quid ageret: ait ad eum ille miles: Hospes, filius meus excæcatus est. Sed si qua uirtus est prædicationis tuæ, adhibe medicinam, ut uideam & sequar Deụm tuum, credens in eum. Quem puerum alacriter Apollinaris ad se perduci iussit. Videntibus autem cunctis qui aderant, nihil aliud Apollinaris, quàm signum crucis super oculos cæci faciens, dixit: Deus qui non localiter, sed ubiq; es, intromitte cognitionem filij tui Domini nostri IESV Christi in istam ciuitatem, ut non solum istius oculos corporales inlumines, sed etiam interiores oculos genialium commorantium in loco isto aperias, ut celeriter cognoscẽtes Christum IESVM filium tuum, suum esse Deum, locum mihi prædicationis tribuant, cum magno affectu. Expletis his sermonibus, uidit cæcus: & prouolutus ad pedes beati Apollinaris, unà

cum parentibus, credens in Christo, baptizatus est in fluuio non longè ab urbe Rauenna. Matrona uerò cuiusdam Tribuni militum, nomine Thecla, per annos plurimos grauissima tenebatur infirmitate, quam nullus medicorum poterat erigere. Factum est igitur, ut miles Christianus adstaret ante tribunal, & orta fabula à Tribuno de coniuge infirma, ait miles: Est apud me quidam peregrinus, prouecta ætate, qui etiam filium meum absque ullo medicamine illuminauit. Hunc si uenire permittis, mox ut illũ uiderit, conualescet. Ait ei Tribunus: Et hic unde aduenit? Qui respondit: Ab urbe Roma. Tribunus dixit: Ergo Romanus genere est? Respondit: Nescio, plus tamen Græcus esse uidetur. Dicit ei Tribunus: Secretè perduc eum in domum meam, ut cognoscam uera esse quæ dicis. Cumque ingressus fuisset urbem Rauennam Apollinaris, circum signãs se honestissimè, dixit: Deus qui operaris cum Petro magistro meo, operare & mecum, ut clarificetur nomen tuum, & fiat uoluntas tua. Et ingressus domum Tribuni, officiosissimè susceptus est. Ait autem ad eum Tribunus: Bene aduenisti medice, & quid dulcius quàm æstuanti frigida aqua? Cui beatus Apollinaris respondit: Requiescat in uobis pax Domini Dei nostri IESV Christi. Tribunus dixit: Quis est de quo dicis? Respondit: Filius Dei uiui, qui sæculum perditũ renouauit. Tribunus ait: Vt uideo, tu Galilæus es. Respõdit: Etiam. Tribunus ait: Nosti curationes? B Respondit Apollinaris: Nihil sine nomine IESV. Ait Tribunus: Et quæ uirtus est in IESV? Apollinaris respondit: Conuoca huc milites tuos, & cũctis uidẽtibus dignosces uirtutem IESV. Cumque adstarent, ait Tribunus: Ecce mulier mea lecto tenet̃ infirma annis plurimis, cui omnis medicina cõtraria extitit. si qua ergo uirtus est in te, operare. Cui respõdit Apollinaris: Aperiat Deus oculos cordis uestri, ut uidentes mirabilia eius, credatis IESVM Deum esse. Tunc apprehendens manum mulieris, ait: Surge in nomine Domini nostri IESV Christi, & crede in illũ: & ne amplius dixeris, quòd alius similis sit illi. Statimque surgens mulier, descendit sana de lectulo, clamans & dicens, quòd non sit alius Deus præter IESVM, quẽ prædicat Apollinaris. Videns uerò Tribunus & milites, obstupuerũt dicentes: Quia uerè hic est Deus, qui talia fecit. Potest etiam iste, si diligat̃, inter bella præstare auxilia. Interea ipse Tribunus cũ uxore & filijs & familia sua credentes in IESVM, baptizati sunt. Sed & multi alij ex Paganis, qui interfuerãt, cœperũt fidem IESV Christi profiteri. Habitauit interea in domo Tribuni intra urbem Rauennam beatus Apollinaris, & quottidie ad eum ueniebant ex populo, & docebat eos secretè, dicens: Credite in IESVM, quoniam ipse est Deus cœli & terræ: & credentes baptizabantur. Multi uerò nobiles dabãt filios suos beato Apollinari, ut ab eodẽ sacris literis erudirentur: illi uidelicet qui iam in Christo credebant.

A bant. Myſterium enim & baptiſmata in domo Tribuni beatus Apollinaris agebat cum diſcipulis ſuis aſsiduè. Itaque intra duodecim annos, duos presbyteros, Adheretum & Calocerum ordinauit: Marcianum nobiliſsimum uirum, & Leuthadium philoſophum, diaconos fecit. Sex etiam clericos ſtatuit, cum quibus die noctu'que pſalmos Deo canebat. Cum'que creſceret Apollinaris in deprecatione IESV Chriſti, & multitudo populi creuiſſet in fide Chriſti, iam non poterat latêre. Nunciatum eſt ergo de eo duci Saturno, qui producens eum, ſtatuit ante Pontifices Capitolij Rauennatis. Interrogauit'que eum dux, quis uelit eſſe? Qui reſpondit libera uoce, Chriſtianus ſum. Dux ait: Quis eſt Chriſtus? Apollinaris reſpondit: Filius Dei uiui, per quem omnis creatura uiuit, quæ in cœlo, & quæ in terra, & quæ in mari eſt. Cui dux ait: Et te ipſe miſit ad nos, ut euacues culturas deorum noſtrorum? an ignoras ſacrum nomen Iouis, quia magnus eſt, qui eſt habitator huius Capitolij, ciuitatis, cui te oportet humiliari? Apollinaris reſpondit: Quis ſit habitator ignoro, & quale templum poſsideat, non uidi. Aiunt Pontifices: Veni & uide magnum templum, & mirè exornatum, ibi'que cernes ſimulachrum inuictiſsimi Iouis. Cum'que introiſſet in Capitolium beatus Apollinaris, ſubridens, ait Pontificibus: Iſta tanta ornamenta aurea & argentea, melius poterant pauperibus erogari. Tunc
B irruentes Pontifices paganorum, cum populo, ſuper eum, nimia eum cæde mactauerunt. Et eijcientes eum ad mare, ſemiuiuum reliquerunt. Quem colligentes diſcipuli eius, abſconderunt in domo cuiuſdam mulieris uiduæ Chriſtianæ, adhibentes ei curam. Poſt menſes autem ſex, nobiliſsimus uir nomine Bonifacius, ciuis Claſsis, ſubitò obmutuit. Cui dum plurimi medicorum nihil prodeſſent, indicatum eſt, quòd famulus Dei Apollinaris uiueret, & apud uiduam latêret. Mittens igitur ad eum coniunx eius, obſecrare cœpit, ut ad uirum eius uiſitationem ſuam impenderet. Cum'que perueniſſet ad domum, puella de domo habens ſpiritum immundum, exclamauit dicens: Recede hinc ſerue Dei uiui, nam facio te pedibus ligatis de hac trahi ciuitate. Cui ait ſanctus Apollinaris: Obmuteſce diabole, & exi ab ea, & ne amplius in hominibus loquaris. Qui ſtatim receſsit ab ea. Aſcendens uerò uir beatiſsimus in domum Bonifacij, uidit eum iacentem mutum, & ait: Domine IESV Chriſte, qui clauſiſti os iſtius hominis, ne amplius inuocaret idola in auxilium ſuum, aperi continuò os eius, ut tuum nomen, quod eſt benedictum, inuocet, & credat quia tu es Deus uiuens in ſæcula ſæculorum. Cum'que à Chriſtianis dictum fuiſſet, Amen: eadem hora ſoluta eſt lingua eius, & laudabat Dominum, dicens: Non eſt alius Deus, quàm hic quem beatiſsimus

prædicat Apollinaris. Eodem die amplius quàm quingenti homines crediderunt in IESVM, agentes gratias Deo, & Apollinari famulo eius, per quem illuminati sunt omnes. Non post multos autem dies inflati quidam Paganorum à spiritu immundo, suam facientes uoluntatem, tenuerunt eum: & diutius cęsum fustibus, prohibebant ne de nomine IESV mentionem aliquam faceret. Qui iacens in terra, clamabat, quòd uerè ipse est Deus, qui spõte pro omnium hominum salute corporaliter pati uoluit. Non ferentes Pagani hoc testimonium, beatum Apollinarem nudis pedibus super prunas stare fecerunt. Qui amplius Christo testificabatur. Pagani uerò ab urbe Classe, eum proiecerunt, dicentes ei: Quamuis curationes facias, urbem tamen noli ingredi, & uiues. Erat itaq; beatissimus uir iacens extra muros, & prædicãs de nomine IESV incessanter. Veniebant ad eum multi de ciuitate, timentes Dominum, & ministrabant ei. Non enim parua erat plebs Christianorum, maximè nobilium. Habebant enim Christiani tugurium non lõgè à muro, ubi mysterium faciebant. Baptizabantur autem in mari, in nomine patris & filij & spiritus sancti, quotidie innumeri. Post plurimos deinde annos beatissimus Apollinaris ad Æmiliam perrexit, docendo secretè populum, quoscunq; poterat trahere uerbo. Interea Caloterus presbyter gubernabat ecclesiam, quæ erat Rauennæ, latenter faciens multas uirtutes in nomine IESV Christi. Non post multum tempus regressus ab Aemilia beatus Apollinaris, à Christianis cum omni gaudio susceptus est. Eodem tẽpore Rufus Patricius, ex consule ducatum agebat Rauennæ, cuius unica filia infirmabatur. Indicatũ est ei de nomine Apollinaris sacerdotis: quem mox iussit ad domum suam uenire, ut uisitaret filiam eius. At ubi ingressus est domum cum clericis suis, statim defuncta est puella. Cumq; lamentationes audiuisset Apollinaris, cognouit quia trãsisset. descendensq; increpabat eũ Rufus Patricius, cum lachrymis dicens: Atq; utinã domum meam non introisses. Dij enim magni indignati, noluerunt filiam meam saluare. Tu uerò in quo poteris, cura eam. Et omnes qui aderant, flebant cum eo. Cui beatissimus Apollinaris dixit: Fiducialiter age Patrici, & iura mihi per salutem Cæsaris, quia permittes puellam sequi Saluatorem suum, & modò cognosces uirtutem Domini nostri IESV Christi. Rufus Patricius respondit: Scio quoniã mortua est puella, & non uiuit: tamen si uidero eam stantem & loquentẽ, laudabo uirtutẽ Dei tui, & non prohibebo sequi Saluatorẽ suum. Tunc cum uniuersa multitudine flente, ipse fiduciam habens in IESVM, accessit, & tetigit puellã dicens: Domine IESV Christe, Deus meus, qui magistro meo Petro apostolo tuo dedisti locum impetrandi apud te quæ desiderat, tu suscita hanc puellam, quia tua est creatura, & non est alius Deus præter te. Et respiciens ad puellã, ait: Quid iaces? Surge, confitere B

A creatorem tuum. Quæ statim surrexit, & loquebatur, uociferās & dicens: Magnus Deus quem prædicat Apollinaris, famulus eius, & nullus est alius præter eum. Factum est igitur in illa hora gaudium magnum coram omnibus, & corā Christianis, quia magnificatum est nomen Domini nostri IESV Christi. Baptizata est puella cum matre & familia promiscui sexus, trecenti uiginti quatuor. sed & multi alij ex Paganis crediderunt Christo. Rufus uerò Patricius timens Cęsarem, occultè diligebat beatum Apollinarem, & ministrabat ei. Filia uerò eius consecrata est Christo, & permansit uirgo. Nunciatum est hoc Cæsari à Paganis, quòd quidam uir ueniens ab Antiochia, magicis artibus & incantationibus nomen IESV Hebræi introduxisset in urbem Rauennam, & magna multitudo obediret illi, etiam domus Rufi Patricij. Cui Cæsar mittens successorem, scripsit ad uicarium præfecturę, ut pręsumptorem huiuscemodi aut dijs inclinaret, aut lōgè in exilium mitteret. Accersiuit itaq; Messalinus uicarius Apollinarem in prætorium suum, & ait ad eum coram sacerdotibus Capitolij: Quis diceris? Respondit, Apollinaris. Messalinus dixit: Vnde huc aduenisti? Respondit: Ab Antiochia. Messalinus dixit: Quam artem agis? Apollinaris respondit: Christianus sum, & discipulus Apostolorum. Vicarius dixit: Et quis est Christus? Apollinaris respondit: Filius Dei uiui, qui fecit cœlum & terram, mare & omnem animam uiuētem.
B Messalinus dixit: Tu de illo Christo dicis, qui ante paucos annos, dum se filium Dei diceret, à Iudæis interfectus est? Vtiq; si hic Deus erat, nec mori poterat, nec contumelijs affligi: sed superbè agens iniuriatus est, & morti traditus: hunc tu, qua ratione in numero deorum computas, ignoramus. Apollinaris respondit: Audi iudex quæ dico uiriliter: Deus erat manens in corpore, mundo faciebat mirabilia insignia. Quod autem à Iudæis tentus est, siue crucifixus, caro quę ex uirgine sumpta est, patiebatur: Deus enim impaßibilis permansit, & immortalis. Qui tamen etiam ipsam carnem tertio die excitauit à mortuis, apparens multis: ascendit in cœlum, unde descenderat Deus. Tantam uerò tribuit potestatem in se credentibus, ut in nomine eius dæmonia eijciantur, infirmi conualescant, mortui resurgant. Vicarius dixit: Tu mihi persuadere non potes, ut ego deos sequar ignotos, qui à senatu præcepti non sunt. Sed istis postpositis, accede ad Capitolium, & manibus tuis ponetur thus magno deo Ioui, & immola dijs ut poßis uiuere. Nam per salutem Cæsaris uerberatum te diuersis pœnis, in exilium dirigam. Apollinaris respondit: Iam me perductum in Capitolium existimato, securus esto, quia manibus meis thura non ponā dæmonio, sed Domino meo IESV Christo incensum offerā laudis, & suauitatis. Tum exclamantes Pontifices, dixerunt: Ignoras iudex, quia hic sibi nomen posuit Pontifex, ut sub nomine nostro seducat turbas?

Sed examina eum de præsumptionibus suis. Vicarius dixit ad officium: Exuite eum, & cędentes dicite: Resipisce, & immola dijs. Cumq́ cęderetur, clamabat dicens: Christianus sum. fac quod tibi uidetur. Dum hæc circa famulum Dei geruntur, unus de Pontificibus dæmonium habens, dixit ad uicarium: E culeo appẽdatur, ut tortus diutius, det honorem dijs immortalibus. Beatus Apollinaris dum torqueretur, dicebat: Dominũ IESVM Christũ Deum uiuum esse confiteor, & aliud non dico. Tum uicarius: Dic mihi pestifer, quæ remuneratio tibi erit pro his pœnis? Apollinaris respõdit: Si quis perseuerauerit usq; in finem in Christo, hic saluus erit: & si mortuus fuerit, uiuet. Hæc est remuneratio Christianorum. Tunc uniuersi qui aderant, & audierunt hæc, glorificabant Deum cœli: quia fortior erat Apollinaris, dum pateretur ab his qui ministrabant ei tormenta. Iudex dixit: Denuò uerberetur, & super plagas bulliens aqua mittatur: hinc sub præcone ad nauem perducatur, & cum graui pondere feratur in exilium, & ad partes Illyricæ relegetur. Quidã uerò, qui sęuior erat in famulũ Dei, arreptus à dęmonio, subitò expirauit. Cumq́ eleuatus fuisset à terra beatissimus Apollinaris, ait uicario: Impijssime, quare non credis in filiũ Dei, ut euadas tormenta æterna? Tunc indignatus iudex, iussit saxo os eius contundi. Videntes autem Christiani tantam impietatẽ, commoti sunt, & irruerunt super Paganos: tantaq́ allisio fuit, ut subitò amplius quàm ducentos homines impios interficerent: sed & uicariũ perimere cogitabant. Perturbatus itaq; iudex, reclusit se: Apollinarem uerò cum grauissimo pondere ferri iussit, & in cacerẽ horrificum claudi, & in ligno extendi, & nihil illi ministrari, ut deficeret. Angelus autem Domini nocte ueniens ad eum, uidentibus cũctis custodibus pauit, & cõfortans abijt. Quarto igitur die cognouit iudex, quòd adhuc uiueret. Quare secretè catenatum in nauem imposuit, & in exilium direxit. Secuti uerò sunt eum tres uiri de clero, qui ei ministrabant. Interea ecclesia quæ erat Rauennę, gubernabatur à presbyteris & diaconibus, crescẽte numero Christianorũ. Cumq́ littora currentis maris, nauigarent, subitò nata est tẽpestas, & fracta naue in sicco comminuta est, & eiectus est in littore beatus Apollinaris cum clericis suis, & duobus militibus, cæteri uerò mortui sunt in mari. Aiũt itaq; ad eum milites: Domine pater, quò ibimus? quid faciemus? Quibus ait: Baptizamini in nomine IESV, & uiuetis. Qui statim renunciantes idolis, baptizati sunt in nomine patris & filij & spiritus sancti. Tunc cœperunt pergere de loco in locum, & pertransierunt Misiam, prædicãtes uerbum Dei, & nemo eos recipiebat. Interea cuiusdã primi & magni uiri frater leprosus effectus, uisus est à beato Apollinare, cui dixit ille: Tu uis fieri sanus? Qui ait: Volo. Apollinaris respondit: Crede in IESVM Christum. Respondit: Si me sanum fecerit ipse, est Deus.

Inuocans

A Inuocans Apollinaris nomen IESV, tetigit eum: & statim sanus factus est. Qui & ipse renuncians simulachris, credidit in IESVM, & baptizatus est, & mansit apud eum diebus plurimis. Et inde transiuit ad ripam fluminis Danubij, & multos sociauit ad Dominum. Cumq; innotuisset quòd inimicus esset idolorū, uolebant eum occidere. Qui fugiens, descendit in partem Thraciæ, & mansit ibi diebus plurimis. Erat enim in ciuitate templum Serapis, qui in ipsis diebus nullum responsum suis dabat, spiritusq; dæmonum locutus est dicens: Nescitis quia discipulus Petri apostoli IESV Christi, à Roma huc uenit, & ligauit me, prædicans IESVM? Hic si expulsus non fuerit ab his locis, nos uobis responsa dare non possumus. Facta itaq; inquisitione, inuentus est Apollinaris. Quem discutientes, quid faceret in finibus eorum? narrabat eis, quia Christianus sum, & pro Christi nomine ab urbe Rauenna huc in exilio missus sum. Qui exuentes, eum, diutius fustibus cæsum, usq; ad mare perduci fecerunt. Rogantes quoq; Rectorem prouinciæ, ut per usum nauis currentis ad Italiam, Apollinaris cum suis hominibus aueheretur, dicentes: Melius est ut ibi, unde uenit, habitet, & subuertat populum, quàm hic euacuet culturas deorum nostrorum. Itaq; post tertium annum Rauennam ingreditur. Quem suscipientes Christiani, gauisi sunt gaudio magno, glorificantes Deū qui eis B suum patrem & doctorem reuocasset. Multa enim mirabilia per eum Dominus in littore Dalmatiæ, dū regrederetur, operatus est. Contigit post multum temporis, dum Christiani mysterium facerent in suburbano Pyrinei senatoris, quòd subitò seditio orta est, in ciuitate à Paganis de nomine Apollinaris: & irruētes populi super eum, ligatum ad forum perduxerunt, cædentes & uulnerātes. Non enim dignus est iste, dicebant, præsentari magno deo Ioui, quia frequenter eum illusit: sed ducatur ad templū Apollinis, ibiq; cognoscat uirtutem deorum immortalium. Cumq; perductus fuisset, multi nobiles uiri tam Pagani quàm Christiani, unà cum populo secuti sunt eum. Dicebant uerò Pagani: Videamus si iam homo iste resipuit. Et dum uenisset ad templum, & uidisset simulachrum Apollinis, ait Apollinaris adstantibus: Nūquid iste est deus, in quo auguriatis? Responderunt Pagani: Etiā, primus inter deos, & custos ipse est ciuitatis. Respondit Apollinaris: Nunquā sit huic bene: sed hoc destructo, erit custos Christianorum commorantium in loco isto, Dominus IESVS Christus, qui uerè est Deus. Et facta oratione, simulachrum solutum, & templū diaboli destructum est. Pagani uerò uidentes quæ facta sunt, clamabant dicētes: Senex impius interficiatur, per quem omnia facta sunt. Christiani uerò gratias Deo referebant, dicētes: Quòd uerè ille est Deus, qui talia per hunc patrem nostrum operatur. Commota itaq; pars Paganorum, tradiderunt eum iudici, cui nomen erat Taurus, ut eum

Apollinaris ad Danubiū uersatus.

interficeret. Qui congregans omnem nobilitatem urbis in prætorium suũ, his uerbis cœpit eum alloqui: Rogamus te, prode nobis, in qua uirtute tanta exerces: aut ubi facis cõgregationem & signũ, ut tanta turba te sequatur? Respondit Apollinaris: Virtus alia nõ est, quàm Domini nostri IESV Christi. Donum enim in cordibus nostris habemus: tamen si fabricam quæris, non longè est ab urbe: illic Christianis eloquia tradimus diuina. Taurus iudex dixit: Sunt tibi aliqui adiutores? Respondit: Etiam, plurimi. Taurus iudex dixit: Et ubi sunt modò? Apollinaris respondit: In hac Rauẽnatium urbe consistũt. Taurus iudex dixit: Est in te aliqua uirtus diuinitatis? Beatus Apollinaris respõdit: Iã dixi tibi, est uirtus superna Domini nostri IESV Christi. Taurus iudex dixit: Ecce apud me est filius naturalis cæcus natus: inuocato igitur nomine ipsius quem crucifixũ à suis asseritis, aperi oculos eius, & credemus, quia uerè ipse sit Deus: sin autem aliud, igni te trademus ad comburendũ pro scelerib. tuis. Apollinaris respondit: Veniat ad me ille cæcus. Cumq́ uenisset, ait ad eũ Apollinaris: In nomine IESV Christi crucifixi aperi oculos tuos, & uide. Qui statim aperiẽs oculos, recepit lumẽ. Stupefacti igitur omnes qui erãt pręsentes, dicebãt: Quod uerè hic est Deus qui talia operatur. Multiq́ ex eis crediderũt in IESVM. Tũc Taurus pręses secretè eruit eũ de populo, & misit illũ nocte in pręsidio suo quasi custodiendũ. Et mansit ibi annos quatuor. Erat enim ab urbe miliario sexto, ibiq́ currebãt ad eum omnes Christiani, & docebant ab eo. Quicunq́ uerò ad eũ ęger perductus fuisset, sanus reuertebatur, quacũq́ infirmitate detentus fuisset. Postea in diebus Vespasiani Cæsaris, inuidiosa relatio Pontificum Capitolij Rauẽnatis, qui erãt super aras trecentas, peruenit Romã, aduersus beatũ Apollinarem, & dicebat: Si hunc seductorem Apollinarem non interfeceris, qui contraria regno uestro & saluti præfecturæ prædicat, Romanas cæremonias exterminio tradetis. Non enim parua multitudo ab eodem seducta, quottidie in iniurijs deorum immortalium debacchatur: ipse quoq́ magicis artibus templa omnia destruit. Solius igitur Apollinaris incuruata ætas uita priuetur, ut nomen Romanũ permaneat. Direxit itaq́ Imperator Talemiũ Sionem, ut si dijs sacratissimis quis temerario ore iniuriam insereret, pro ipso conceptu deorum aut satisfaciat, aut urbe priuetur. Non enim iustum est, ait, ut nos deos uindicemus, ne si ipsi de inimicis suis ulcisci non poterint, irascantur. Interea hęc data iussio percurrit ad Demosthenẽ, illustrem uirũ atq́ patricium, sed omnino paganissimũ: qui missa executione, Apollinarẽ sibi exhiberi iubet. Qui cum iam incuruatus nimia ætate & diuersis passionibus, adstaret in conspectu iudicis, clamatum est à Paganis: Nihil ab eo inquiras, omnes scimus quia Christianus est, & destructor templorũ. Aut puni eum, aut longius projce ab hac urbe, ne pereamus.

A pereamus. Demosthenes Patricius dixit: Dic mihi antique seductor, cuius religionis es? Beatus Apollinaris respondit: Nō nego gloriæ uestræ, sed uerum dico, quia Christianus sum, & eruditus à beato Petro apostolo, & ab ipso in hāc fœlicissimā directus sum urbem, ut per nomen IESV Christi salutem consequi mereantur, credentes huius urbis habitatores. Tum Demosthenes Patricius dixit: Quid multa? tempus est, ut à uanitate tua recedens, satisfacias dijs. Beatus Apollinaris respondit: Sacrificiū meipsum offero, pro salute filiorum meorum, quos adquisiui. Si quis non recesserit ab hac incredulitate, & non adorauerit Deū cœli, qui cum Domino nostro IESV Christo & spiritu sancto regnat in sæcula sæculorū, erit consumendus igni perpetuo: qui aūt crediderint, & baptizati fuerint, habebunt requiem æternam, & diuitias immutabiles. Tunc iudex accensus furore, tradidit eum in custodiā cuidam Centurioni, qui & ipse iam Christianus erat occultus: cogitans quibus modis à cruciatibus eū liberaret. Accipiens itaq; Centurio, duxit eū ad classem, in domū suam. Post aliquot dies dicit Centurio Apollinari: Domine pater, noli te tā citò morti tradere, quia uita tua nobis necessaria est: sed egredere noctu, & uade in uicū quo infir-
B mi habitāt, donec furor populi cōquiescat. Et medio noctis laxauit eum, ut fugeret. Cumq; cognitū fuisset à Paganis, secuti sunt eū: qui apprehensus nō longè à porta, tamdiu cęsus est, donec existimatus mortuus relinqueretur. Exinde ante lucem collectus à discipulis suis, perductus est in uicū ubi leprosi morabantur: & ibi inter Christianos iacens, septem dies superuixit, admonens Ecclesiam ne à fide Christi discederet: & annuncians eis, quòd multæ futurę essent persecutiones pro nomine Christi: sed post has plurimas tempestates, etiam principes ad fidem Christi essent accessuri. Annuncians etiā, omnia numina dęmonum euacuāda, & liberè in toto orbe terrarū hostias à Christianis Deo uiuo offerendas esse. Si quis ergo, inquiens, permanserit in fide IESV Christi, uita uiuet, & nō morietur. His & alijs multis expletis eloquijs, defunctus est beatissimus Apollinaris, martyr & episcopus, & sepultus est extra muros Classis, in arca saxea, sub terram propter metū Paganorum missa. Gubernauit autem ecclesiam suam annos uiginti nouem, mense uno, dies quatuor: passusq; martyriū est sub Vespasiano Cæsare, die decimo Kalendarum Augustarum, regnante Domino nostro IESV Christo, cui est honor & gloria in sęcula sæculorum, Amen.

FINIS.

BEATISSIMO PATRI, IVLIO TERTIO, PONTIFICI MAXIMO, IOACHIMVS Perionius Benedictinus Cormoeriacenus S. P. D.



VM ipse mecũ reputo, Iuli Pontifex Maxime, quàm multi & Græci & Latini scriptores uitas resq; gestas Imperatorum literarum monumentis mandare, & ab hominum obliuione uindicare studuerint: non possum equidem nõ magnopere mirari, tam paucos esse, qui idem officium sanctißimis clarißimisq; illis duodecim uiris, quos CHRISTI *Apostolos Græco sermone, id est, legatos, & quasi nuncios, maiorum nostrorum instituto nuncupamus, sibi præstandum putauerint. Etenim si tot homines ad illud officium communis uoluptas atq; utilitas, quæ duo in historia uel sola, uel maximè spectantur, excitauit: eædem profecto causæ, quæ hîc multo & grauiores & ueriores, quàm illic, omnibus propositæ sunt, non solum eundẽ paremq; hominum numerũ, uerumetiam plures, ut idem horum causa susciperent ac efficerent, impellere & potuerunt, & uerò debuerunt. Nam, ut de oblectatione primùm dicã, cum illi, quod maximam in eo uoluptatem posteris propositam putarent, si quibus armis, quibusq; artib. ac rationibus imperatores tam Græci quàm Latini uel auxerũt imperium, quod initiò paruum accepissent, uel quod maximum accepissent, conseruauerint, cognouißent, sibi in eorum rebus gestis scribendis studium diligentiamq; ponendam censuerint: quantam quæso, quamq; ueram cum maxima admiratione coniũctam uoluptatem, omnes ex Apostolorum uitis percipere possunt, si eos duodecim uniuersos totum penè orbem terrarum, singulos infinitam hominum, atq; adeò populorum multitudinem ad Christi fidem religionemq; deduxisse cognoscant? quãta uerò eosdem affici necesse erit, cùm illos hoc totum sine ui, sine minis, fraude, insidijs, armis, sanguine ac morte cuiusquam, quibus illi imperia sibi pepererunt: sed adhortationibus, precibus, modestia, continentia, parsimonia, patientia, alijsq; uirtutibus, id est, ut paucis omnia complectar, sermone & opere perfecisse intellexerint? Si enim eorum imperij initium recordando repetere uelimus, tria milia hominum à Petro, primo sermone: altero, quem nõ ita multo pòst habuit, quinq;, ab ingrata Deo uita ad gratam sanctamq; deducta reperiemus. Quòd si longius etiam progrediamur, in ijs præsertim quæ, quòd diuinis libris continentur, maiorem habent auctoritatem, quot milia hominum tota Græcia & Asia Paulum, sola oratione & uoce, adiunctis nouis quibusdam inusitatisq; operibus, sub Christi imperium subegisse dicemus? Quod de cæteris quoque eodem modo iudicandum est. Conferantur nunc, si placet, ea omnia quæ ab imperatoribus gesta sunt, quo facilius quanta sit in excitanda admiratione pariendaq; uoluptate dissimilitudo, intelligatur. Alius apud Romanos Galliam Romano imperio adiunxiße, alius Germaniam dicitur, alij alias prouincias. An hæc illi sine agrorum depopulatione, sine urbiũ euersione, sine cæde innumerabilium hominum, templorum direptione, iurisq; diuini ac humani uiolatione aut perfecerunt, aut perficere potuerunt? Ex quibus intelligi potest, quæ, aut quorũ uoluptas sit ea,*

A

B

A sit ea, quæ ijs legendis paritur, ex quibus maximum animo dolorem omnes capere debent. Quòd si nihil tale in Apostolorum expeditionibus reperitur, contraq́ hominum salus, Rerumpublicarum à miserabili deorum, id est dæmonum seruitute liberatio, uerіq́ Dei religio eorum diligentia procurata & constituta est: certè horum omnium cognitione incredibilis quædam ac uera delectatio pariatur necesse est. De utilitate eadem dici possunt. Si enim omnes ea & legere libenter, & attentis animis audire solent, quæ ad se pertinere intelligunt, legendis autem audiendisq́ rebus gestis Apostolorum ea cognoscuntur, & discuntur omnia, quæ ad summam omnium hominum utilitatem, dignitatem, salutemq́ conducunt: an non indecorum uidetur, hæc tam utilia, aut necessaria potius posteris non tradere: uitas autem Imperatorum memoriæ prodere, quæ nec utilitate cum his, nec necessitate, nec uerò dignitate comparari ullo modo possunt? Nam ut de hoc quoq́ aliquid dicam, fuerint sanè in illis uirtutes, quæ eis à scriptoribus tribuuntur, fuerint in eis bene uiuendi exempla, fuerint ijdē continētes, iusti, sapientes, fortes: at ueræ illæ uirtutes nō sunt habēdæ, præsertim cum à fide, sine qua Deo nihil gratum esse potest, seiunctæ fuerint, atq́ secretæ. Hoc etiam uerè dici potest, cum ea ferè quæ illis tributa sunt, scriptores uel ignorauerint, uel gratiæ causa & ad deorū uel aliorum uoluptatem scripserint, illos magna ex parte libros suos mēdacijs & uanitatibus refersisse. Quæ ego omnia, si mihi propositum esset, facilè docere possem, præsertim cum summas eorum qui his temporibus uixerunt, uirtutes in historia legamus, quorum scelerum ita ple

B riq́ spectatores fuerunt, ut eos suo testimonio iugulare possint, non subleuare. At in his duodecim uiris quos Apostolos, ut dixi, maiorū nostrorum instituto uocamus, nihil fucatum, nihil fictum, nihil deniq́ simulatum reperiri potest: sed omnium uerarum uirtutum in illis quasi splendor quidam expressus, earumq́ summa cōsistit: eiusq́ rei non hominem testem habent, sed Christum, id est Deum, qui eos & lucem mundi appellat, & doctores eiusdē instituit, ut lucem ad sanctissimam eorū uitam, doctrinam ad ea quæ eos alijs tradere iussit, retulisse uideatur. Quod si eorū uitam atq́ doctrinā Deo gratā acceptamq́ esse uidemus, quid de utilitate existimare debemus? Legendis quidem ueterum historijs, nobis sæpe uerbum prudenter, fortiter, moderatè, iusteq́ dictū placet: sed tamen an uita eorum, quorum illud est, ei consona fuerit, ignoramus semper, aut plerunq́ dubitamus: propterea quòd ferè usuuenire uideamus, ut oratio pulcherrima sit hominum, uita turpissima, & ab oratione dissentiens: ex quo dicta ferè contemni solent. Quæ autem ab Apostolis in eo genere dicta feruntur, ea nobis similiter uenire in dubium non possunt: propterea quòd illi & eam uitam traduxerunt, ut ipsius comes illorum esset oratio: & eo sermone usi sunt, illū ut nō refelleret uita, sed cōprobaret. Hæc igitur, aliaq́ talia cogitanti mihi, uisum est indecorū maximè, cum nō solū imperatorū, sed etiā priuatorū hominum uitas, id est dicta et facta, quæ magna ex parte eiusmodi essent quæ dixi, tā multi scripsissent: neminem adhuc ferè extitisse, qui horum sanctissimorum clarissimorumq́ uirorum res gestas sibi literis mādandas censuerit. Itaq́ hoc mihi opus suscipiendum esse statui: quod quo maiorem auctoritatem haberet, ea primùm de his talibus uiris tradidi, quæ diuinis literis ac libris continētur: deinde ea quæ probati auctores, ij præsertim qui id genus uitæ quod Christum nobis in præceptis reliquisse uidemus, ma-

gna cum laude & gloria secuti sunt, memoriæ prodiderunt. Nam si qui fortè tales A
sunt, qui ea quæ de illis non iam diuinæ literæ, sed uel Egesippi, uel Irenæi, uel Eu-
sebij, uel etiam Hieronymi, aut aliorum eiusdem generis scripta confirmant, contem
nēdà putant, aut nullius esse auctoritatis cēsent oportere, aut eodē in numero & lo
co habenda illa iudicant quæ de illis uniuersa Ecclesia multis iam seculis comproba
uit: non uideo quid uerum in historia, quæ ueritatis magistra est, aut sequi ipsi pos-
sint, aut alijs approbandum pro uero tradere. Si enim, exempli causa, Aemylij
Probi, si Suetonij, Plutarchi, aliorumq; scriptorũ historias ueras esse, ob eamq; cau-
sam retinendas approbandasq; iudicant: horum autem falsas, & iccirco respuēdas:
primùm maximam iniuriam cùm illis talibus uiris, tum Ecclesiæ facere uidentur,
qui horum scripta & Ecclesiæ iudicia minus habere uirium ad faciendam fidem,
quàm illorum censeant oportere. Deinde cum nihil afferre possint, cur illis potius,
quàm his fides habenda sit: & nos contrà graues causas afferre possimus, quare his
potius credi oporteat: isto quidem præiudicio suo planè declarant, & quantum ipso
rum iudicijs tribuendum sit: & quid de eis omnes boni existimare possint. In eodem
mihi errore uersari uidētur ij, qui quales fuerint Apostoli, cæteriq; quos sanctissimæ
beatissimæq; uitæ opinione clarissimos in cœlum hinc euolasse credit Ecclesia, scire
non curant: tenere uerò, quos se in uita præstiterint ac gesserint omnes ij, qui uel om
nino à religione nostra abhorruerunt, aut eam quidem coluerunt, sed ei turpitudi-
ne uitæ quantum in ipsis fuit, tenebras offuderunt, sibi laudi esse ducũt. Videndum
est enim, quantum cuiq; scriptori tribuendum sit & fidei & temporis, ut in eo &
locus retineatur, & modus necessarius adhibeatur. Quorum omnium si ratio ha- B
beatur, sicuti certè in primis habenda est, non est id quidem dubium, quin quoniam
historia & ad ueritatem & ad mores dirigi debet, horum duodecim uirorum san-
ctissimorum, et cæterorum, quorum literæ diuinæ mentionem faciũt, uita primum
locum tenere debeat: proximum, cæterorum quos Ecclesia ueneratur: tertium, eo-
rũ qui à nostro uiuendi instituto non abhorruerunt, nec ab Ecclesia coluntur: postre
mum, eorum qui ab eodem abhorruerunt. Quæ enim (malum) ratio est, id quod
plerisq; in more positum est, primas in hoc genere ijs tribuere, quorum res gestæ quæ
traduntur, nec tam ueræ sint, si modo sunt, quàm cùm superiorũ omnium, tum uel
maximè primorum, nec tantum lucem tamq; certam ad uitam & mores afferre
possint? Nec uerò si quis splendidæ orationis rationem ita habendam esse censeat,
ut hunc tam necessarium, tamq; utilem ordinem peruerti cōtinuò putet oportere,
audiendus est. Isto enim pacto fabula, id est rerum falsarum fictarumq; narratio, hi
storiæ, ueriq; cognitio falsi perceptioni anteponetur. Sed de his hactenus. Nunc cur
& eum ordinem, quem in exponendis eorum uitis seruaui, tenuerim, & ad te po-
tissimum, Iuli Pontifex Maxime, hunc libellum miserim, dicendum est. Ego cum
hos duodecim uiros à Matthæo, Marco, et Luca non eodem ordine nominari ani
maduerterem, nec alium ordinem addendum putarem, eum potissimum secutus
sum, quē Lucas in Euangelio suo tenuit: nisi quòd Paulum commodè inter Petrũ
& Andream interijci posse iudicaui, cum eos ab Ecclesia coniungi cernerem: &
Mathiam postremum tenere locum, quòd Iudæ proditori, cæteris præter Paulum
iam delectis, successerit. Tibi autem potissimum, Iuli Pontifex Maxime, horum

talium

A talium uirorum, id est Christi Apostolorum uitas dicandas censui, quòd sedes Romana, cui hoc anno prouidentia diuina præesse cœpisti, semper iam ab initio Apostolica appellata sit, non ob aliam causam, nisi quòd Petrus princeps Apostolorum, primus eam uniuersamq; Ecclesiã rexerit. Eum equidẽ maiestate tua indignũ esse scio: sed cum multos scribere de rebus diuinis cœpissem, atq; hic unus absolutus esset, eum ad te hoc tempore, dum alij absoluẽtur, mittere malui, quàm gratulationis officio deesse, quod omnes boni certatim & uotis & oratione sequeretur. Neq; enim mihi committẽdum putaui, ut cum illi eam uoluptatem, quam incredibilem ex ista maxima dignitate tua animis suis perciperent, declararent, uellentq; te hunc summum honorem ex tua tuorumq;, id est Christi ouium dignitate administrare: ego unus in tanta omnium lætitia tacerem, nec oratione scriptoq; testificarer commune omnium nostrûm gaudium ex eo natum esse, quòd te diuinitus delectum esse speremus: ut quemadmodũ iam cœpisti, Ecclesiã, quam perniciosis quibusdã opinionũ quasi tẽpestatib. fluctibusq; iamdiu agitatã & perturbatã, tuendam conseruandãq; accepisti, pro summa sapientia & doctrina tua, quam cum pari auctoritate Deus cõuexit ad eum tranquillitatis pacisq; portum, quem tantopere omnes quasi ex longa nauigatione aspirantes tenere cupiatis, perducas. Faxit Deus Optimus Maximus, ut potestas & uolũtas, quas tibi dedit, eos exitus habeant, qui & illi maximæ gloriæ sint, & Ecclesiæ utilitati, & tibi dignitati. Uale beatissime Pater.

Cormœriaci, quod est oppidum Turonum in Gallia, Decimo Cal. Decemb. 1550.

VITA BEATI PETRI APOSTOLI, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno auctore.

B 

IMON, is qui Petrus à Christo, ut mox docebimus, appellatus est, frater Andreæ apostoli, Ioanne, siue Iona patre natus est, in oppido Galilæę prouinciæ, quod Bethsaida dicitur. Is à Christo primùm discipulus delectus est, deinde Apostolus, postremò cæteris totiq; ecclesiæ præfectus est. Quod quemadmodũ factum sit, sigillatim exponendum censui. Andreas quidem eius frater, cum Ioannem, qui Christum baptizauit, dicentem audiret, IESVM esse qui peccata tolleret: eum secutus, apud illum eo ipso die commoratus est. Postridie Simonem fratrem primum inuenit, eiq; se Christum, id est, eum quem lex & prophetæ uenturum prædixissent, & inuenisse, & uidisse dixit. Simon, qui hoc experiri uellet, ad IESVM se adducendum curauit, quem ut ille uidit, eum esse Simonem Ionæ filium dixit: eiq; nomen Petri imposuit, quo appellandus esset. Petrus IESVM his gestis sequi non cœpit, sed tum denique, cùm ad mare Galilææ eum se uocantem audiuit. Cum enim duæ naues ad lacum Genesarenum starent, earumq; unam quę Simonis erat, Christus conscendisset, eum, ut à terra paulùm subduceret, rogauit Christus sedens, ex nauicula multitudinem docebat: qui ut dicendi finem fecit, Simonem admonuit, ut rete laxaret, ac in mare demitteret. Simon se ac socios tota nocte in piscatione operam perdidisse dixit: se tamen dicto eius audientem, rete laxaturum. Quod cum fecisset, piscium multitudinem cœperunt tantam, ut rete rumperetur:

cogereturq;

cogereturq́ ipse & socij eiusdem nauis, alios qui in altera naui erant, rogare A
ut uenirēt, & se adiuuarent. Illi cū uenissent, uniuersi utranq; nauem impleue
rūt: quo quidē pondere penè naues submersæ sunt. Simō aūt Petrus, qui hoc
Christi factum secū animo penitus, ut inusitatum, reputaret, & miraretur, se
ad illius pedes infirmitatis conscius misit, eumq; rogauit, ut à se, qui pecca-
tor esset, discederet. Christus Petrum, ut bono animo esset, admonuit: eiq;
fore dixit, ut homines caperet, id est, retibus orationis eos ad ipsius fidem de-
duceret. Hinc Petrus ac socij eius relictis omnibus, Christum ita secuti sunt,
ut nunquam postea ab eo discesserint. Itaque cum non ita multo pòst, mul-
ti eius discipuli, propter eum sermonem quem ab illo de edendo corpore, &
potando sanguine suo habitum, præpostere acceperant, discederent, rogaret-
que Christus duodecim Apostolos, num ipsi etiam abire uellent: Simon Pe-
trus unus pro omnibus respondit: Domine, ad quem nos conferemus? Ver
ba enim eum uitæ æternæ habere. Se etiam ac condiscipulos credere, ac co-
gnouisse iam, eum esse Christum, Dei uiui filiū. Erant iam tum ex communi
discipulorum numero duodecim delecti, quos Apostolorum appellauit no-
mine. Quod cum Matthæus, Marcus & Lucas exponunt, Petrum primo lo
co nominant: Matthęus uerò præterea primum eum uocat. Duodecim aūt,
inquit, Apostolorum nomina sunt hæc: primus, Simon qui dicitur Petrus, &
Andreas frater eius, Philippus & Bartholomæus, Iacobus Zebedęi, & Ioan-
nes frater eius, Thomas & Matthæus publicanus, & Iacobus Alphæi, &
Thaddęus, Simō Chananęus, & Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum. Sed ad
alia ueniamus. Christus cum quinque milia hominum quinque panibus ac
piscibus duobus ita satiasset, ut reliquiæ etiam permultę superessent, Apo-
stolos conscendere nauem, & transmittere, dum multitudinem dimitteret, ius
sit: ipse dimissa turba, solus in montem oratum ascendit, ibiq; uespere etiam
erat. Nauicula autem in qua erant Apostoli, in medio mari ita fluctibus iacta B
batur, ut penè se euadere posse iam diffiderent: cū Christus re cognita, quarta
noctis uigilia ad eos uenit, ita pedibus, ut si terra eundum fuisset. Quem cum
ita ambulantem discipuli animaduertissent, metu perculsi, clamare, ac uisi-
onem esse dicere. Ipse statim, ut bono animo essent hortatus est: se esse, ne ti-
merent. Petrus rogare eum, ut si ipse esset, se ad ipsum uenire iuberet. Cumq;
Petrus illius iussu de nauicula descendens, pedibus ingredi cœpisset, exorta
ui magna uentorum, timuit: iamq; submergi incipiebat, cum Christum ut se
seruaret, rogauit. Christus autem porrecta manu, cōprehensum & ereptum
obiurgauit, quòd de ipsius auxilio & ope diffisus esset. Christus in agrum Cę
sariensem nec ita multo pòst cum discipulis uenit. In ipso itinere cum ab
eis quæsiuisset, quæ'nam esset hominū de ipso opinio: illiq; ita respondissent,
ut dicerent eum alijs Ioannem Baptistam, alijs Eliam, nōnullis Hieremiam,
aliquibus unum aliquem ex prophetis uideri: eos rursus rogauit, quem'nam
illi ipsum esse dicerent? Tum Petrus unus pro omnibus respondit, eum esse
Christum Dei uiui filium. Quo ille responso satis declarauit, quantum ei tri-
bueret, quæq; uerò de illo ipse sentiret. Itaq; Christus ipse beatum eum esse di
xit, quòd ei non caro & sanguis, sed pater ipsius qui in cœlo esset, talem de eo
opinionem patefecisset atq; enunciasset. Eumq; Petrum esse professus, su-
prà, & in ea petra ecclesiam suam ædificaturum se esse promisit, quam portæ
inferorum nulla ui labefactare possent, aut euertere. Claues præterea ei se tra-
diturum cœlorum, id est, eiusmodi duplicem potestatem, ut quicquid tum al
ligauisset in terra, idipse ratum in cœlo habiturus esset. Eodem ferè tempo
re amoris summi illius quidem, sed parum considerati, signa magistro discipu
lus ostendit. Nam cum idem discipuli, sibi propediem Hierosolymam eun-
dum esse exponeret, ibiq; fore, ut à pontificibus primisq; ciuitatis irrideretur,
consputaretur, uerberaretur, interficeretur, ac tertio die ab inferis excitaretur:

Petrus,

A Petrus, qui hæc eius maiestate ac uirtute indigna existimaret, non diuinam
prouidentiam, charitatemq; illius in genus hominum consideraret, eum ob-
iurgauit his uerbis: Deus ista prohibeat, hęc tibi minimè accident. Hoc Chri-
stus ita acerbè tulit, ut eum aduersarium uocauerit, eiq;. ut se sequeretur, impe
rauerit: quòd non ea quæ Dei essent, uerùm ea quę hominum, spectaret. Se-
xto pòst die illum Christus unà cum Iacobo & Ioanne eius fratre in montem
quendam remotis arbitris duxit, ubi cum ita illius & uultus immutatus esset,
& uestis, ut ille solis lumen imitaretur, hęc niuis candorem: eodemq; puncto
temporis Moses & Elias uisi essent cum eo loquentes de morte quam Hie-
rosolymis perpessurus esset, tum Petrus loci amœnitate, Christiq; iucundis-
simo illo, gratissimoq; aspectu captus & delinitus: Domine, inquit, gratus
est hic & commodus nobis ad habitandum locus. Itaque si tibi uidetur, tria
hic tabernacula, tibi, Mosi, Eliæq; faciamus. Nihil ad hæc ille respondit,
tantum'que uisi sunt illi uocem exaudire monentis, ut Christum filium suum
charissimum audirent. Quod cum audirent, præ metu proni in terram ce-
ciderunt: ad quos IESVS accedens, eis, ut surgerent, nec timerent, impera-
uit. Illi surgentes, cum oculos sustulissent, præter IESVM uiderũt neminem.
Capharnaum, Galilææ oppidum, Christus docendi causa tum fortè uene-
rat, cum nõnulli, quorum hoc munus erat, ibi tributum exigebant. Ii ad Simõ
nem Petrum adeuntes, eum rogarunt, num Christus eius magister tributum
pendisset? Cumq; ille annuisset, domũ in qua Christus erat, ingressus est. Chri
stus eum occupans quæsiuit, à filijs'ne suis reges tributum exigerent, an ab a-
lienis? Cum ille, ab alienis, respondisset: tum Christus conclusit, liberos esse
filios. sed ne ipsi illis causam sermonis de se afferrent, eum ad mare iussit
ire, & hamum iacere, eum'que piscem quem primùm cœpisset, auferre, eius-
que ore aperto, numum quem inuenturus esset, pendere. Idem cum Chri-
B stum audisset siue docentem, siue admonentem, siue etiam præcipientem,
ut si quis nostræ religionis ac disciplinæ alteri peccasset, is primùm clàm
remotis'que arbitris, ab illo obiurgaretur: si ipsum non audiret, duos testes
adhiberet: si ne tum quidem in uiam rediret, idem apud ecclesiam ab i-
pso accusaretur: cui si minimè ille obtemperaret, iam pro alieno à nostra
disciplina haberetur: quoniam quoties peccanti nobis ueniam dare nos o-
porteret, ex Christi oratione non planè intellexerat: eum rogauit, quoties
peccanti fratri ignoscere deberet: & an si septies peccasset, in eo modum sta-
tuendum esse censeret. Christus autem, non in septimo quoque peccato
modum se statuere respondit, sed in septimo & septuagesimo. Quo ille
responso facilè declarauit, quotiescunque Christianus aliquis contra nos
quippiam aut dixerit, aut scripserit, aut fecerit, toties nos, si ex animo ut sibi i-
gnoscamus, roget, ueniam dare oportere. Adolescens quidam admodum lo-
cuples, IESVM, audiens eum, ut uiam salutis sibi ostenderet, rogauerat.
Christus legis Mosaicę pręcepta, quę rogãti ille cõmemorasset, eiusmodi esse
respõdit, ut ijs si parêret, uitã & gloriã consequeretr sempiternam. Quibus cũ
se ille iam inde à puero obtemperasse dixisset: Christus quiddam illi deesse ad
didit. quod si faceret, fore dixit, ut perfecto absoluto'que uirtutis munere fun
geretur. Hoc autem in eo positum esse, ut omnia quæ haberet, uenderet,
daretq; egentibus, ueniens'que ipsum sequeretur. Ille qui multa, ut dixi, ha-
bebat, cum de bonorum contemptione ac despicientia uerba Christum face-
re audisset, tristis abijt. Christus autem, cum hoc comperisset, discipulorum
animos à diuitiarũ & opum studio hoc modo abduxit: Difficile esse, eos qui
essent locupletes, in cœlum peruenire: quinetiam facilius esse camelum
per foramen acus transire, quàm eum in cœlum conuolare, cuius spes omnis
in opibus acquiesceret. Quod cum illi intellexissent, mirari & quærere cœ-
perunt, quis'nam gloriam sempiternam consequi posset? Ille, & hoc in ho-

minibus situm esse negauit: & nihil esse dixit, quod Dei potestatem, potentiamque effugeret. Petrus uerò, qui Christum de contemnendis deserendisque omnibus ita disseruisse meminisset, ut ei etiam qui hoc fecisset, si gloriã consequi sempiternam uellet, necesse esse ipsum sequi: rogare eum cœpit, quodnam premium ipse ac condiscipuli, qui eum contemptis relictisque omnibus secuti essent, ab eo expectare deberent? Tum Christus iureiurando confirmauit, ipsos illos qui eum secuti essent, in mundi renouatione, cum cœpisset iudicare, in sellis duodecim sedentes, duodecim tribus Israelitici populi iudicaturos: omnes uerò qui uel domum, uel fratres, uel sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros ipsius nomine causaque reliquissent, uitam sempiternam esse cõsecuturos. Idem in conuiuio illo ad quod extremum duodecim Apostolos pridie quàm in crucem ageretur, adhibuit, quantum & IESV tribueret, & de se detraheret, declarauit, quantoque studio ad gloriam aspiraret sempiternam. Cum enim IESVS abluere eis omnibus pedes, ac detergere constituisset, primùm à Petro initium cœpit. Quod ille primùm, cum & magistri dignitatem, & suam infirmitatem, & ut ita dicam, indignitatem consideraret, pati noluit: deinde cum illum dicentem audisset, si eum non ablueret, nihil ipsi cum eo commercij, nihil commune futurum, tanta animi alacritate concessit, ut non solum pedes, uerumetiã manus & caput quo minus ab eo abluerentur, minimè recusaret. Eadem in cœna paulo pòst, idem Christum tristem perturbatum'que animo animaduerterat, eodemque affectum animo ipsi ac condiscipulis prædicentem audiuerat, fore, ut unus eorum ipsum proderet. Qua illius oratione cum uehementer omnes, ut æquum erat, commoti essent, ipse Ioannem silentio admonuit, ut ex Christo, quis'nam hoc tãtum tamque immane scelus admissurus esset, cognosceret. Ille in IESV sinum capite deposito, intellexit ad eum hoc crimen pertinere, cui frustũ intinctum IESVS porrecturus esset. Quanta in magistrum fide esset, ibidem ostendit. Nam cum ille omnibus prædixisset, fore, ut ipsi ea ipsa nocte, se deserto discederent: ipse multis uerbis, iterum ac tertium pollicitus ei est, ut cæteri illum desererent, se tamen cum illo pariter antè moriturum, quàm tanto scelere se contaminaret. Quod quidem aliqua ex parte tũ præstitit, cùm paulo pòst, in eo horto, qui quòd oliuis consitus erat, Oliueti dictus est, multitudo omnis generis armatorum qui eum comprehensuri erant, à defendendo magistro non deterruit: districtoque gladio, Malcho, qui uim primus inferebat, aurem præcidit. Itaque solus cum Ioanne postea ex Apostolis IESVM, cum eum uinctum armata cohors ad Pontifices & pharisæos hostes ducebat, usque ad Annæ ædes secutus est. Sed iam tempus illud uenerat, in quo Christus ei amicitiæ officia nulla, morte etiam proposita, se prætermissurum pollicenti, prædixerat fore, ut antè quàm gallus ea ipsa nocte caneret, ter se ipsius esse discipulum negaret. Itaque amor ille, quem tam eximium & singularem præ se ferebat, puncto temporis ac repentè ita refrixit, & immutatus est ei animus, ut qui tot, ut dixi, armatorum metu deterritus non fuisset paulo antè à defendendo magistro, tum mulierculæ uoce & interrogatione impulsus, se illius esse discipulum negauerit. Quod quia metu coactus fecit, non est à magistro, quem ipse negauerat, desertus discipulus: fecit enim, ut statim in uiam rediret, ut colligeret, culpamque & confessione tacita agnosceret, & lachrymis dilueret: quemadmodum se, dum paulo antè ei prædixerat, cum se rogasse patrem exposuit, ne illius fidem deficere, tollique pateretur. Itaque hæc illius pœnitentia tam grata IESV fuit, ut tertio inde die cum ab inferis excitatus esset, & nominatim uni Petro se reuixisse nunciari uoluerit, & se ipse illi cum solus esset eodem die ostenderit. His ita expositis, ad maiora nunc, lætioráque ueniamus. Ex eis enim, id quod adhuc dixi, intelligi licebit. Eo ipso quo IESVS reuixerat die, cum

A cum mulieres quædam, in his Maria Magdalena, se ad sepulchrum Christi prima luce officij causa contulissent, neminemq; uidissent, sed modò sepulchrum uacuum, Magdalena statim ad Apostolos ueniens, eis nunciauit sepulchrum inane esse, Dominumq; sublatum. Petrus hoc nuncio ualdè conturbatus, unà cum Ioanne cursu eò contendit. Cumq; illi ita esse animaduertissent, domum se receperunt. In quo quidem officio quoniam illi duo soli fuerunt, facilè intelligi potest, in eis magistri amorem maiores uires habuisse, altiusq; radices egisse quàm in cæteris. Quod autem sequitur, eiusmodi est, ut ex eo uno illum magistro discipulum omnium charissimum fuisse appareat. Fortè Iacobo, ac Ioanni eius fratri, & Thomæ, alijsq; nonnullis condiscipulis, se ad mare Tiberiadis piscatum ire dixerat. quibus etiam uisum est eò unà proficisci. Conscensa naue, cum totam noctem frustra in piscatione consumpsissent, mane IESVS in littore constitit, eo quidem habitu, ut eum minimè agnoscerent. Quærit ille, numquid cæpissent? quod cum negarent, eis dixit: Si rete ad dextrum nauigij latus iacerent, fore ut inuenirent. Paruerunt illi, pisciumq; multitudinem cæperunt tantam, ut rete iam trahere non possent. Ioannes animaduerso miraculo, Petro IESVM esse dixit. Petrus in mare se deiecit: alij nauigio terram tenuerunt, trahentes rete plenum piscium. Cum descendissent, piscem qui subditis ignibus coquebatur, & panem uident. iubet eos Christus pisces afferre quos cæpissent. conscensaq; naue, Petrus rete traxit: in quo cum centum quinquaginta tres essent, integrum tamen remansit. Ad prandium cum discipulos Christus uocasset, omnes ab eo panem piscemq; acceperunt. À prandio Petrum ille rogat: an se chariorem, quàm alij qui aderãt, haberet. idq; fecit iterum, ac tertiò, cum & Petrus singillatim ad rogata etiam responderet, & Christus toties ei se oues suas, id est, ecclesiam suam committere, diceret. Hoc prætereà Christus addidit, eum, cum adolescens esset, proficisci quò uellet solitum: fore,
B cum prouectæ ætatis fuisset, ut porrectis manibus, eum alius cingeret, & duceret quò minimè uellet. Qua ille sua oratione significauit, quo mortis genere gloriam Deo tributurus esset. Idẽ, cum in cœlũ Christus ascendisset, ante missum spiritum, iam tũ non solũ scripturę sanctę mysteria intelligebat, uerumetiam eorum ueritatem re & euentu docebat. Cũ enim duodecim Apostolos à Christo delectos recordaretur, eum numerũ Iudæ proditione ac morte & imminutum, & restituendũ esse, ex Dauidis psalmis intellexit. Itaq; cum surrexisset, hoc condiscipulos docuit, his uerbis: Scripturã impleri oportere, quam Spiritus sanctus ore Dauidis de Iuda proditore magistri, prædixisset. scriptum enim esse in libro Psalmorum: Fiat domicilium eorum desertum, nec sit qui in eo habitet. Et episcopatum eius alter accipiat. Itaque deligendum esse, ac sufficiendum in eius locum, unum ex ijs qui semper Christũ unà cum ipsis secuti essent, ex eo iam tẽpore, cum à Ioanne ablutus & baptizatus est, ad eũ diem quo in cœlũ ascendisset. Hac Petri oratione cæteri Apostoli adducti, duos unà cũ eo proposuerunt, Iosephũ, qui Barsabas dictus est, & Mathiã. orauerunq; Deum, ut ostenderet, utrum eorum uellet in Iudæ demortui locum succedere. Cumq; eis sortes dedissent, Mathiæ sorte magistratus & Apostolatus obtigit. Paucis pòst diebus, quinquagesimus dies, quem Pentecosten Græco nomine appellamus, uenit. Eo die cum Spiritũ sanctum Christus discipulis misisset, quo cõpleti uarijs linguis Deum laudarent, eius rei fama innumerabiles, qui fortè ex omnibus nationibus Hierosolymæ tum erant, ad rem cognoscendam excitauit. Cumq; in eum locum ubi erant discipuli, cõuenissent, nemoq; esset qui non eos eo sermone uti, eaq; lingua loqui perciperet, quæ regionis, cuius erat, propria esset: partim stupor eos inuasit, partim admiratio. Sed tamen nonnulli irridentes, eos uino onustos esse dixerunt. Itaq; Petrus unus hanc illorum audaciã, & calumniandi libidinẽ, hac

oratione reprehendit, falso eos existimare nostros esse ebrios, cũ tertia etiam tum diei hora esset. esse autem hoc ipsum, quod Deus Ioelis prophetæ uoce prædixerat, fore ut ipse extremis diebus in omnes homines spiritũ suum diffunderet, prophetarentq́ ac prędicerent res futuras, liberi Hierosolymitanorum. cõuersaq́ oratione ad Hierosolymitanos, eis IESVM dixit, uirũ inter eos signis uirtutibusq́ à Deo probatũ, quem ipsi interimissent, ab eodẽ ab inferis excitatum esse, quòd eo in loco retineri cohiberiq́ minimè potuisset. Id enim Dauidem his uerbis prædixisse: Insuper & caro mea in spe acquiescet, quoniam non relinques animam meã in inferis, nec sanctum tuũ corruptioni obnoxiũ facies. Dauidem enim nõ ipsum de se hęc dixisse, cum & mortuus esset, & sepulchrũ illius usq́ ad eum diem ibi uiseretur, sed cum propheta esset, Deũ ei iurasse quendam, qui ex illius semine nasceret̃, in solio illius sessurũ esse: hinc eum hęc de Christi, ut hoc uerbo utar, resurrectione multo antè prædixisse. Eum IESVM à Deo excitatũ esse, cuius rei ipsi omnes, eius discipuli, testes essent. Itaq́ eũ qui sublatus esset in cœlũ, promissione patris, donũ illud effudisse, quod ipsi cernerẽt & audirent. Eum aũt in cœlũ ascendisse, Dauidẽ docere, his uerbis: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponã inimicos tuos, scabellũ pedum tuorũ. cum Dauid ipse in cœlũ minimè ascẽderit. Quapropter hoc sibi persuaderent, IESVM eum quem cruci suffixissent, & Dominũ à Deo, et Christũ esse factũ. Hęc cũ Petrum perorantẽ audissent, subijt eos pœnitẽtia, eumq́ ac cęteros Apostolos rogarũt, quid'nam facere eos oporteret. tũ Petrus eos hortatus est, ut et eos ueteris uitę pœniteret, & unusquisq́ eorũ IESV Christi nomine aqua salutari expiaret̃. sic enim fore, ut donũ Spiritus sancti acciperent. ad eos enim, eorumq́ liberos, & ad omnes qui procul abessent, quos quidẽ Dominus uocauisset, hãc promissionem pertinere. Alijs etiã uerbis plurimis eos hortatus est, ut se ab eo hominũ genere, qui Christũ in crucem egissent, abducerent, atq́ secernerent. Valuit apud tria milia hominum hęc Petri oratio, omnesq́ aqua salutari abluti, expiatiq́ sunt. Multo etiã plures, nec ita multo pòst, ad nostrã fidẽ religionemq́ deduxit. Is enim unà cum Ioanne in templũ orandi causa ad horam nonam ueniebat, cũ claudus & paralyticus quidã, quem morbus is ex utero matris inuaserat, portaret̃: ut quemadmodũ quotidie solitus erat, ante ianuam templi quæ Speciosa dicebatur, positus, aliquid ab ijs qui introirent in templũ, acciperet. Is ergo cum Petrum & Ioannẽ introeũtes animaduertisset, eos ut sibi aliquid largirent̃ rogare cœpit. Quẽ cũ illi intuerentur, Petrusq́ eũ in ipsos oculos cõijcere iussisset, ille paruit, quòd se ab eis pecuniã accepturũ esse speraret. Sed cũ Petrus sibi argentũ esse negasset, hoc se illi dare quod haberet, dixit: imperauitq́, ut IESV Christi Nazareni nomine se in pedes erigeret, atq́ ambularet. Se erigit ille statim, & in templũ rectè ingrediens, Deo gratias agit. q́ tantæ admirationi fuit omnibus, ut maximus cõcursus factus sit populi in porticum Salomonis ad Petrum & Ioannẽ, cum ille eos teneret. Quam multitudinem ut uidit Petrus, nihil esse dixit, quòd mirarent̃, aut in se & Ioannem oculos cõijcerent, quasi ui sua atq́ autoritate fecissent, ut ille incederet. IESVM enim esse, quẽ & illi deditum Pilati libidini, dimisso liberatoq́ scelesto homine, interfecissent, & Deus ab inferis excitauisset, cuius fide & nomine is quẽ cernerẽt ac nossent, sanus esset & incederet. Scire se hoc ab illis imprudẽtia esse factũ queadmodũ etiam ab eorũ magistratibus: quod aũt omnium prophetarum sermone prædictũ esset, Christum esse perpessurũ, ita absolutum esse à Deo. Quare eos facti pœniteret, ipsiq́ in uiã redirent, ut eorum peccata eluerentur. Multaq́ alia in eandem sententiam & Ioannes dicebat, cum sacerdotes & magistratus templi atq́ Saducæi interuenerunt, qui iniectis manibus cõprehensos eos in custodiam in crastinũ tradiderunt, quòd molestè ferrent doceri ab eis populũ, & IESV exẽplo & nomine induci mortuorũ resurrectionem,

A rectione. Quinq; aũt milia hominum qui hęc audierant, eis crediderũt. Poste
ro die cum Annas & Caiaphas, aliiq; sacerdotes & scribæ conuenissent, eos
produci iubent, ab eisq; requirũt, cuius hoc nomine fecissent. Petrus spiritus
sancti plenus, hoc scire omnes qui adessent oportere dicit, si ab ipsis quæra-
tur in iudicio, cuius nomine curatus esset is de quo ageretur, curatũ eum esse
IESV Christi Nazareni nomine, quẽ cum cruci suffixissent, Deus à mortuis
excitasset. Hunc esse lapidem, qui cum ab eis ædificãtibus improbatus esset,
ad anguli caput sit accommodatus, neq; in alio spem salutis esse collocãdam.
Neq; enim nomen aliud esse in terra datum hominibus, quo omnibus salutẽ
dari oporteat. Illi cum Petri & Ioannis, quos idiotas & ignaros esse scirent,
constantiam tantam cernerent, & uirtus eorum magnam eis admirationem
attulit, & oratio. Cumq; hominem qui curatus fuerat, stantẽ cum eis uiderẽt,
nihil habebant quod contrà dicerent. Secedere tamen eos extra conciliũ pau
lisper iusserunt, ut inter se quid faciundum esset, constituerẽt. Rem esse ita cla
ram & illustrem dicunt, ut eam ipsi iam negare non possent. Itaq; hoc tantum
placere, ne deinceps loquerentur aut docerent IESV nomine. Quod cum eis
imperarent, illi responderũt: Si æquum esset diuino iudicio, eos potius quàm
Deũ audire, ipsi uiderent: se aũt non posse de iis quæ uidissent & audiuissent,
non loqui. Eos tum cum minis dimiserunt, cum nullam satis iustam causam
animaduersionis inuenirent. Discipulorum omnium eiusmodi erat uitæ insti
tutum, ut nec quisquam eorum quicquam haberet ut suum: et si qui eis se ad-
iungerent, omnia quæ possiderẽt uenderẽt, preciumq; ante Apostolos pone
rent. Vir aũt quidam Ananias nomine, cum Sapphira uxore sua, cum agrum
uendidisset, multumq; de precio detraxisset uxore conscia, partẽ quandã affe
rẽs ad pedes Apostolorũ posuit. Quod cũ Petrus spiritussancti permotiõe co
B gnouisset, ab Anania quæsiuit, cur à Satana impulsus, spiritui sancto mẽtitus
esset, fraudassetq; de agri precio: cum præsertim maneret ei, uẽditaq; possessio
in illius esset potestate? Neq; enim eũ mentitũ esse hominibus, sed Deo. Hæc
cum Ananias audiret, cecidit, & spiritũ edidit. Quæ res omniũ animos uehe
menti metu perculit. Vix autem trium horarum spaciũ intercesserat, cum Sap
phira eius uxor, huius rei ignara, introiuit. Eam Petrus rogauit, an tanti agrũ
uendidissent? quæ cum annuisset, reprehensaq; esset ab illo, iisdẽ uerbis quib.
uir eius, statim, id quod ei Petrus prædixerat, cecidit mortua. Quanta aũt uis
in eo curandorum morborum fuerit, quantaq; omniũ de eo in hoc genere opi
nio, hinc intelligi licet, quòd cum omnes ægros & debiles in uiis quibus iter
facturum eum sperarent, posuissent, non expectabant dum eos ipse tãgeret,
sed uim in eius umbra tantã inesse putabant, ut se ac suos liberatum iri confi-
derent, si ea ad ipsos perueniret. Quæ eos spes minimẽ fefellit. Omnes enim
qui tum è finitimis oppidis Hierosolymã uenerũt, aut delati sunt, Petrus sani
tati pristinæ restituit. Aeneam etiam quendam, qui annis octo iacuerat in
grabbato paralyticus, Lyddę curauit. quod cum Lyddẽses et Saronẽses com
perissent, ad Christianã religionem deducti sunt. Quinetiam mortuos exci-
tauit. in iis Tabitham, quæ Dorcas dicitur. hæc Ioppæ habitabat, mulier cùm
uirtutibus omnibus, tum liberalitate in egentes prædita. Cum autem ex mor
bo interiisset, discipuli qui Ioppæ erant, missis duobus Lyddam, quoniam
haud procul inde aberat, Petrum rogant, ut ad se uenire ne grauaretur. Venit
ille, circũstant eum omnes uiduę flẽtes, eiq; uestes ostenderũt, quas ipsis Dor
cas faceret. Eiectis foràs omnibus, ipse orat: conuersusq; ad cadauer, Tabitha,
inquit, surge. illa continuò oculos aperit: quam sua manu erectã, sanctis ac ui
duis uiuam reddit. Cuius miraculi fama cum totam urbem peruasisset, mul-
ti crediderunt. Sed eò unde digressus sum, reuertor. Simon quidam erat in
quodam oppido Samaritanorum, magicis artibus & rationibus eruditus. Is
cũ longo tẽpore ante aduentũ Philippi, qui fuit ex septẽ diaconis unus, Sama

ritanos suis illis artibus præstigijsque ita captasset semper, ut illum uim magnam esse Dei dicerent: tamē Philippo multa de regno Dei ibi differēti cum multi assentirentur, ipse etiam assensus est, aquaque salutari expiatus, eum sequebatur. Apostoli autem qui erant Hierosolymæ, cùm Samariam disciplinam nostram approbasse audissent, eò Petrum Ioannemque miserunt, ut Samaritani oratione eorum, manuumque impositione spiritum sanctum acciperent. Simon, quem Magum paulo antè fuisse diximus, cum ita spiritum sanctū dari ab Apostolis cerneret, contendit ab eis, ut precio ad hāc uim & potestatem perueniret. Petrus, qui scelus hominis perspectū haberet: Pecunia, inquit, tua tibi sit exitio: quòd Dei munus pecunia constare, quærique existimasti. Itaque eum admonuit, ut ipsum istius sceleris pœniteret, Deumque ipse rogaret, si fortè hoc animi tam peruersum præposterumque iudicium remitteret. Ille Apostolos orauit, ut Dominū causa sua rogarent, ne quid eorum quæ dixissent, ei cōtingeret. Petrus Ioppæ apud Simonem quendā sutorē, eo tempore quo Thabitam mortuam excitauit, habitabat. Paucis interiectis diebus, quędam ei uisio hora diei sexta, cum esuriret, et cibum capere uellet, hoc modo oblata est. Cœlum apertum uisus est uidere, ex eoque linteum magnum quatuor initijs et oris in terram demitti, in quo essent omnia genera quadrupedum, serpentium, & uolucrum. Secuta est tum uox, siue admonētis, siue imperātis, ut ea occideret & comederet. cumque negasset ille se ulla re uesci posse, quæ immunda sacraque esset: tum uocem audire uisus est dicentis, Quod Deus consecrasset & expiasset, id ne profanum diceret. Quod cum iterum ac tertiò factum esset, uas illud speciem lintei præferens, in cœlum receptum est. Petrus cum se collegisset, cogitare ac reputare secum cœpit, quid'nam uisio illa portenderet? Interea & uiri tres missi à Cornelio centurione cohortis Italicæ, ad ianuam Simonis sutoris perueniunt: qui euocatis nonnullis quærunt, num Simon Petrus ibi habitaret? & spiritus eum admonuit, esse tres qui eum uellent, cum quibus proficisci ne dubitaret, quòd eos ipse misisset. Itaque descendens, ultro eis se obtulit, dixit'que eum esse se quem quærerent, rogauitque quid uenissent. Illi se à Cornelio cēturione, uiro probo, cuius de uirtute & liberalitate in egentes Iudæi omnes testarētur, missos esse dixerunt, quòd angelus sanctus eum admonuisset, ut illū accersendum curaret. Postero die unà cum illis profectus, sequenti Cæsaream peruenit. Cornelius conuocatis necessarijs & amicis, eos expectabat. Itaque ut eum appropinquare cognouit, ei obuiam prodijt, misit'que se ad pedes eius ut illum adoraret. Quod ille facere, cum se etiam hominem esse diceret, prohibuit. Domum unà cum eo loquens cum'intrasset, ut multos qui conuenissent uidit, eos certò scire dixit, ne fas esse uiro Iudæo societate coniungi cum alienis, aut ad eos accedere. Sed quoniam Deus ipsi ostendisset, neminem hominem profanum aut immundum esse habendum, propterea accersitum se non grauatè uenisse. Hinc quærere cœpit, quamobrem ab eis accersitus esset. Tum Cornelius quatriduo antè exposuit, cùm solus domi suæ hora diei nona oraret, uirum quendam ueste candida ornatum ita uisum esse, qui & orationem ipsius & eleemosynas Deo acceptas gratas'que diceret, ac moneret, ut ipse Ioppa Simonem Petrum accerseret: itaque se gratias illi agere dixit, quòd uenisset, & simul se paratos ad audiendū id omē quod ei à Domino præceptū esset. Petrus cum hæc audisset, sibi compertū esse dixit, nullius rationē à Deo potius quàm alterius haberi: sed acceptos gratosque illi esse omnes apud omnes gētes, qui eum timeāt, iusteque uixerint. Verbum misisse Deū filijs Israeliticis, quòd pacem IESV nomine nūciaret, eum esse Dominū omniū. Eos scire, uerba habita esse ab illo per uniuersam Iudæā, quibus à Ioānis baptismo intellectū sit, IESVM à spiritu sancto unctum esse, eundemque omnes qui à diabolo oppressi essent, pro sua benignitate curasse, cum Deus in eo inesset, & cum eo uersaretur. Se ac condiscipulos te-

A los testes esse eorum omnium, quæ ipse in Iudæa Hierosolymæq; fecisset. Eum cum Iudæi cruci suffixissent, tertio die à Deo ab inferis excitatum esse, ostensumq; non omni populo, sed ipsis qui à Deo prouisi essent, conuiuioq; ab eo adhibiti unà cum eo edissent atque bibissent, cum à mortuis excitatus esset. Eundem eis imperasse, ut populum docerent, ac dicerent pro testimonio, ipsum à Deo uiuorum & mortuorum datū esse iudicem. Eum prophetas omnes illum ostendere, cuius nomine omnib. qui ei crederent, errantibus & peccantibus uenia daretur. Nondum finem dicendi fecerat, cum spiritus sanctus in eos descendit, qui eum audiebant. Quos cum linguis loquentes, & Deū laudantes cernerent, Iudæi Christiani qui cū Petro uenerant, obstupuerunt, quòd munus spiritus sancti ad Gentes etiam pertineret. Tum Petrus eos IESV Christi nomine baptizandos, expiandos'que curauit. Hierosolymam cum Petrus paulo pòst adijsset, Iudæi qui nostram disciplinam comprobassent, eum grauiter obiurgarūt, quòd ad homines qui præputium haberēt, diuertisset. Quibus cum rem omnem ordine narrasset, ita in eius sermone acquieuerunt, ut Deo gloriam tribuerent, quòd etiam Gentibus pœnitentiæ locum ad uitam dedisset. Iisdem ferè temporibus Herodes rex Iacobum, Ioannis fratrem, securi feriendum curauit. Quod cum Iudæis probari ac placuisse cerneret, Petrum etiam comprehendi iussit, & in uincula conijci, ijs ipsis diebus, quibus Iudæi panibus fermento confectis uesci non solent, ut eum post Pascha populo produceret. Ecclesia toto illo tempore Petrum precibus suis Deo commendare non desistebat. Nocte autem, quam is dies sequebatur, quo eum Herodes producturus erat, Petrus inter duos milites uinctus catenis duabus dormiebat, & custodes ad ianuam carcerem custodiebant, cum Dei angelus præstò fuit, qui excitato Petro, ut surgeret, uestēq; sibi sumeret, se'que sequeretur, imperauit. Ille, catenis repentè è manibus B elapsis, sic eum sequi cœpit, ut sibi uisum oblatum existimaret. Nec uerò ab erratione antè liberatus est, quàm præteritis primis & secundis uigilibus, porta'que ferrea, quæ eis ultrò aperta est, quæ eadem ad urbem ferebat, uiá'que una confecta, ab eo angelus discessit. Tum demum, cùm se collegisset, certò scire se dixit, angelum à Deo missum esse, qui ipsum è manibus & potestate Herodis eripuisset, & Iudæorum expectatione. Domum cum uenisset Mariæ, matris Ioannis, qui Marcus dictus est, in qua multi orabant, pulsauit fores. Cumq; puella quædam, Rhode nomine, accurrens, quis'nam pulsaret, rogaret, cognita Petri uoce, non aperuit, sed gestiens lætitiam, omnibus nunciatum redijt, Petrum apud fores stare. Illi qui eum in carcerem coniectū custodiri etiam existimarent, primùm insanire eam dixerunt: deinde cùm illa ita esse affirmaret, eius angelum esse fatebantur: in eaq; sententia permanserunt, quoad Petrus, qui semper pulsabat, intromissus, rei ueritatem comprobauit. Ipse manu indicto silentio, eis rem omnem ordine exposuit, eos'que rogauit, ut ea ipsa Iacobo & condiscipulis nunciarent. Iudæi postea extiterūt, qui primùm Antiochiæ, deinde etiam Hierosolymæ docerent, qui non circuncideretur, uitam sempiternam consequi posse neminem. Tum fortè Antiochiæ erant Paulus & Barnabas, qui cum contrà docerent, id non esse necessarium, res ad magnam contentionem seditionemq; peruenit: itaq; Christianis omnibus qui eam urbem incolebant, Paulū & Barnabam unius, quosdamq; alios alterius factionis, mitti placuit de hac controuersia Hierosolymam, ad Apostolos atq; maiores natu. Quò ut uenerūt, Apostoli maioresq; natu conuenerunt unum in locū, ut quid de hac re teneri oporteret, uiderent. Cumq; res diligenter tractaretur, Petrus surgens, scire omnes qui aderant dixit, prouidentia diuina iampridem factum esse, ut ex ipsius ore Gentes euangelij uerba audirent, & crederēt, idq; Deū ita approbasse, ut eis æquè ac ipsis qui Iudæi essent, spiritum sanctum daret, nihil'que inter utrosque interesse o-

stenderet. Itaque nihil esse, quòd dent operam, ut Deus onus discipulis impo A
nat, quod neque ipsi, neque maiores ferre potuissent, præsertim cũ munere ac beneficio Iesu Christi, gloriam sempiternam, quemadmodum illi, se consecuturos esse confiderent. Iacobus frater Iudæ apostoli, qui Hierosolymitanus Episcopus erat, cum perorasset Petrus, ita locutus est: Simonem narrasse, quemadmodum Deus primùm constituerit ex Gentibus populum sibi adipisci ac sumere, id quod prophetæ tradidissent. Itaque hoc censere se, eorum animos qui ex Gentibus ad Deum reuerterentur, non esse conturbandos nouis legibus: sed scribendum ad eos esse, ut se deinceps ab ijs quæ idolis immolarentur, à stupro, & fornicatione, ab eorum animalium quæ suffocata essent, sanguine abstinerent. Hoc omnium sentẽtijs comprobatum est. Itaque missa epistola ad eos qui Antiochiæ erant, cuius hæc fuit sententia: Visum esse spiritui sancto, & ipsis, nihil oneris eis imponere, nisi ea quæ modò commemorauimus. Atque hæc quidẽ sunt, quæ de Petro in ijs libris, qui Noui testamẽti nomine inscribũtur, & appellãtur, scripta reperiũtur. Quæ aũt deinceps narrabimus, ab alijs, ut ab Egesippo, Irenæo, & Eusebio, Hieronymoque accepimus. Romã quidem Petrus uenit, Claudio imperatore, ibique pontificatũ quinque & uiginti annis gessit, ut omnes probati auctores ac ueteres commemorant. Quòd si annis quinque & uiginti pontificatũ administrauit, id est usque ad quartum decimum Neronis annum, qui idem ultimus fuit, certè tertio uel secundo, ut Hieronymo placet, Claudij anno, primùm Romam uenerit necesse est. Nonnulli autem exponunt, in ijs Clemens, qui ei quarto loco successit, eum Romam eo maximè cõsilio uenisse, ut Simonis Samaritani, de quo paulo antè dixi, errorem refelleret. Egesippus quidem principio tertij libri aliquid narrat, quod quia & ad Petri laudem, & Simonis summum dedecus pertinet, non erit alienum exponere. Simonis istius fraudes & præstigiæ tantum apud Neronem B
ualuerant, ut non solum primum apud eum locum amicitiæ teneret, uerùm etiam illi ab eo diuini honores tribuerentur, ut Iustinus, Irenæusque commemorant: præter autem alia inusitata opera quæ effecturum se esse pollicebatur, etiam mortuos ab inferis excitare se posse iactabat. Excesserat tum fortè è uita Romæ adolescẽs nobilis, Neronis propinquus, ad quẽ excitandũ alij Petrũ, alij Simonẽ accersendũ censuerũt. Illi cum conuenissent, Petrus Simoni, qui suam uim & potestatem iactaret, priores partes dedit, ita tamen, ut si id quod se facturum esse profiteretur, non præstaret, ipse non deesset. Simon, qui plurimum apud barbaros & ignaros nostræ religionis homines, artes suas ualituras speraret, conditionem hanc proposuit, ut si ipse adolescentem ab inferis excitasset, Petro moriendum esset: sin Petrus hoc certaminis genere uicisset, idem supplicium Simonem maneret. Placet Petro conditio. Accessit ad mortuum Simon, qui ut carmina quædam pronunciare cœpit, is qui mortuus erat, caput mouere & agitare uisus est. Hinc clamor barbarorum, eum uiuere, eum cum Simone loqui, cum gaudio uociferãtium: hinc in Petrum irarum stimuli, hinc etiam irridẽtium cachinni, quòd se ausus esset cum Simone comparare. Petrus, qui ea falsa, quę à Simone fierent, intelligeret, eundem uultum, eundem oris animique habitum ferebat. Silentiumque ut impetrauit, ita locutus est, non id uerum esse quod uideretur, sed speciem quandam ueri imitari. Quòd si uerum esset, eum uiuere, ipse loqueretur: si uerè ab inferis excitatus esset, surgeret, incederet, colloqueretur. Atque quo facilius non solum id falsum esse quod uideretur, intelligi posset, sed ne iam quidem ostendi speciem posse, Simonem à mortuo iubet secedere: cùm recessisset, ne moueri quidem unquam uisus est postea. Tum Petrus, cum secum ipse silentio paulisper orasset, adolescenti, ut Christi nomine sanus et incolumis surgeret, imperauit. Statim surgit adolescens, loquitur, incedit, cibum capit. Eum postea matri tradidit, quæ cum eum rogaret, ut ab se illum discedere ne pateretur, eam

ne ti-

A ne timeret, hortatus est: eum enim custodē suum habere. Hoc cum omnibus ingentem admirationem excitasset, in contrarium uersa sunt omnia. Petrum laudibus in cœlum ferre omnes, Simonem ut præstigiatorem irridere, explodere, & lapidibus obruere. idq; factum esset, nisi Petrus compresso ac sedato paulisper tumultu, satis acre de illo supplicium sumptum esse dixisset, quòd artes suas nihil ualere intelligeret atq; sentiret. Viueret ille sanè, et Christi regnū crescere uel inuitus cerneret. Angebatur ille apostoli gloria, seq; uictum dolebat. Itaq; cōuocato populo, offensum se à Gallilæis (sic enim nostros contumeliæ causa appellabat) ostendit, deserturumq; se dicit eam urbē quam tueri soleret. Constituit diem, quo in cœlum uolando ascenderet: sibiq; in cœlum quando uellet, aditum patêre dixit. Dies ut constitutus uenit, collem Capitolinum conscendit, unde se deijciens uolare cœpit, cum summa populi admiratione, qui eum uenerabatur: plerique uim talem Dei, non hominis esse dicebant, nihil tale fecisse Christū. Petrus interea orare cœpit IESVM, ut ei suas artes futiles esse ostēderet, ne tali specie populus deceptus, non facile ad fidē cōpelli adduciq; posset. Se tamē precari, ut sic in terrā caderet, ut nihil se potuisse uiuus recognosceret. Ille ut Petrus finem dicendi fecit, implicatis remigijs pennarum quas sumpserat, corruit, non quidem exanimis: sed fracto debilitatoq; crure, Aretiam concesit, ibiq; mortuus est. Quod ut Nero comperit, dolens amici casu, ereptumq; sibi uirum Reipublicæ utilem ac necessariū molestè ferens, Petrum quemadmodum interficeret, cogitare cœpit. Cum uerò comprehendi eum iussisset, ea re cognita, Christiani omnes eum rogant, ut aliò se recipiat. Petrus contrà, se non commissurum dicit, ut metu mortis cessisse uideatur: æquum esse mori pro Christo, qui mortem subijsset pro omnibus. non mortem illam, sed immortalitatem futuram. indignam se esse fugam mortis, qui multos doctrina sua ut se hostias Christo offerrēt, impulisset. Christi prædictione mortem sibi subeundam esse, qua Deo gloriam tribueret. B Atque hęc quidem, & his similia, Petrus afferebat. plebs autem illachrymans ab eo petebat, ne se inter maximas sæuientium barbarorum tempestates fluctuātem desereret. Vicerunt fletus & lachrymæ obstinatum animū. Discessurum se ex urbe pollicetur. Itaq; insequenti nocte salutatis Christianis, proficisci solus cœpit: qui ut ad portam qua egredi constituerat, uenit, Christum sibi obuiā prodire uidet, adoransq; eum, Quo'nam iret, rogauit. Ille, cum Romā se, ut iterū crucisuffigeretur, uenire dixisset: statim Petrus hoc de genere mortis suę dictum intellexit. Itaq; in urbem redijt: nec ita multo pòst comprehensus, supplicio crucis inuerso capite, quod indignum se esse diceret, qui ita ut Christus moreretur, affectus est. In cruce multis uerbis Christo oues commendauit, quas ipsi tradidisset.

VITA BEATI PAVLI APOstoli, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno auctore.



PAVLVS, qui antea Saulus appellabatur, Iudæus, ut ipse ait, Pharisæusq; genere, ex tribu Beniamin, Tharsi, quod est Ciliciæ oppidum, natus est. Vt autem aptus literis eius animus fuit, eum Hierosolymam legis Mosaicæ perdiscendæ causa parentes miserunt, ibiq; Gamalielem legis optimum interpretem doctoremq; audiuit. Hic autem eum fructum ex studijs percepit, ut statim ei cōtigerit æquales suos longè multumq; superare, non solū legum institutorūq;, quę à maioribus acceperat, doctrina, uerumetiam in ijs detinendis studio et uoluntate. Itaq; cum etiam admodum adolescens esset, cerneretq; Stephanū aliam disciplinam, ut ipsi uidebatur, Mosaica sublata & conuulsa, constituere

uelle, eorum omnium qui illum ea de causa lapidibus obruerunt, uestes custodiuit, necisque eius, ut ipse ait, cõscius fuit. Nec uerò ita multo pòst, biennio fere exacto, cum ipse per se iam religioni disciplinæ' que nostræ nocere posset, hostili infesto' que animo ecclesiam primùm domi, id est Hierosolymæ, deinde foris oppugnare cœpit. Nam in ædes ipse irrumpebat, uiros' que ac mulieres, qui Christum ut Deum colerent, ui abductos tradebat custodiæ. Impetratis uerò hac de re à principe sacerdotum ad synagogas Damascenorum epistolis, quasi furijs agitatus, adiunctis comitibus, eò contendit, ut si quos ibi inuenisset huius disciplinæ uiros ac mulieres, uinctos Hierosolymã perduceret. Iam ille magnam itineris partem in eo consilio propositoque permanens confecerat, cum subitò media luce, offuso obiectoque cœlesti lumine excæcatus, metuque perculsus, ex equo decidit. Tum uerò huiusmodi uocem exaudiuit: Saule, Saule, quid me oppugnas? Cumque obstupescens, quæsiuisset, Quis es Domine? ille' que dixisset, Se esse IESVM quem oppugnaret ac persequeretur, durumque ac graue ei esse stimulo calces opponere: tum quærere cœpit, quid se ille facere iuberet? At ille, ut Damascum proficisceretur, admonuit. ibi enim eum auditurum, quid ipsum facere uellet. Comites autem Pauli perterrefacti constiterant, cum & uocem exaudirent, & uiderent neminem. His ita gestis, Paulus ut præceptis Christi parẽret, oculos aperit: sed cum nihil prorsus cerneret, à comitibus deductus est. Iam triduo oculorum munere caruerat, cibum' que non cæperat: cum quidam Christi discipulus, cui nomen Ananias, ab illo in uisu admonitus, confirmatusque quòd Paulum sibi discipulum doctorem' que Gentium delegisset, ad Paulum adijt, eique negotiũ quod ipsi Christus dedisset, exposuit. Expiatur salutari aqua Paulus, captoque cibo uires suas, seque collegit. Atque hoc quidem pacto Paulus à uita Deo ingrata, ad Christianam religionem traductus est. Nunc quẽ in hac se præbuerit, dicendum est. Nunquã ille tam infestus & acer nostræ religionis disciplinæque, antequam ei se Christi impulsu addixit, oppugnator hostisque fuit, quàm magnum se eiusdem postea propugnatorem defensoremque præstitit. Ad eã B
enim defendendam tum celeritatem attulit, tum studium, tum incredibilem inuicti animi in omni suppliciorum genere patientiam & constantiam. Nam ut primùm aqua salutari expiatus est, qui antea in IESVM contumeliosus fuisset, eumque Deum esse ac Christum, quem Iudæi Seruatorem expectarent, ita pernegasset, ut qui id confirmarẽt, eos uinctos ad supplicium necem' que, ut dixi, raperet: contrà non priuatim & obscurè, sed publicè ac palàm Damasci in senatu concilio' que publico ciuitatis, hunc & filium Dei & Christum esse profiteri ac prædicare cœpit. Quæ eius tam repentè facta mutatio, contraria' que oratio, & omnibus qui eum audiebant, tantæ admirationi fuit, ut dicerent: An non hic Hierosolymæ eos qui Iesum appellabant, oppugnabat: eo' que huc uenit, ut uinctos illos ad principes sacerdotum pertrahat? & Iudæis tam inuidiosa atque inuisa, ut tandem communi consensu, & quasi conspiratione, eum necare decreuerint. Quod quò & commodius & maturius facerẽt, præfectũ Arethæ regis rogant, ut uigiles pro portis excubare iubeat. At eius discipuli illorũ insidijs cognitis, ipsum noctu è specula in sporta demiserunt, & ita fuga salutem quæsiuit. Lucas quidem eum commemorat statim ex hac fuga se Hierosolymam recepisse, conantemque sese discipulis adiungere, metu prohibitum fuisse, quòd illi discipulum eum minimè crederent: Barnabæque opera ad apostolos adductum esse, qui eis ordine, quæ & in itinere sibi euenissent, & à se Damasci IESV nomine magno animo acta essent, narrauerit. Ipse autem Paulus in epistola quam ad Galatas multo pòst scripsit, se ad apostolos profectum negat, nisi triennio pòst: primumque in Arabiam concessisse, deinde Damascum redijsse confirmat. Itaque uel Lucas prætermissa eius in Arabiam profectione, & in Damascum reditu, quod triennio pòst

A egerit Paulus, commemorat, uel certè Paulus ex illa fuga Hierosolymam ad Apostolos se recepit, cum eisq; tam paucos dies commoratus est, ut hoc sibi commemorandum non putauerit. Vtcunq; res habeat, hoc profectò constat, eum & Hierosolymam & in Arabiam uenisse. Quantum quidem temporis in Arabia consumpserit, incertum est. Neque enim ipse, neque Lucas, neque quisquam alius tradit. Hoc autem dubium non est, quin in ea regione quamdiu commoratus est, multa uerba de religione nostra fecerit, multos'que ad Christi fidem deduxerit. Ab Arabia Damascum se rediisse dicit, deinde triennio pòst, Hierosolymam uenisse, Petri uidendi causa, & apud eum dies quindecim commoratum, aliumq; Apostolum, præter Iacobum fratrem, id est propinquum Domini uidisse neminem. Quindecimo pòst die in Syriam & Ciciliam concessit, quòd ut ipse ait, Ecclesiis Iudææ quæ Christum colebant, facie ignotus esset. Atque hoc ipsum est fortasse quod Lucas deinceps commemorat, eum cum à Barnaba ad Apostolos deductus esset, ipseq; cum Gentibus locutus esset, disputassetq; cum Græcis, qui illũ ob eam causam interficere cupiebant, à discipulis cognito eorum consilio deductum esse primùm Cæsaream, deinde Tharsum Ciciliæ oppidum. Cum autem illic esset, Barnabas qui Antiochiam à discipulis gratulandi causa iis qui bus Christo credidisse cognouerant, missus erat, hortãdiq; eos, ut in suscepta professa'que semel fide permanerent: non ita multo pòst, Tharsum ut Paulum quæreret, profectus est, quem cum inuenisset, eum Antiochiam duxit, ibiq; annum continuum ita populum docuerunt, ut discipuli tum primùm Christiani nomirarentur. Visum est etiam tum discipulis qui in ea urbe habitabãt, conferre quantum quisque poterat, ac pro facultatibus, idq; per Barnabam & Paulum discipulis egentibus, qui Iudæã incolebant, mittere. Quo expleto munere, Antiochiam adiuncto Ioanne, qui Marcus appellatus est, re

B uersi sunt. Erant autem præter illos Antiochiæ tum prophetæ & doctores permulti qui cum Dominum colerent, ac ieiunarẽt, Spiritussancti iussu Paulum & Barnabam ad id munus & opus, ad quod perficiẽdum eos delegerat, positis super eos manibus, cum orassent atque ieiunassent, dimiserunt. Illi autem à spiritu sancto delecti atque missi, primùm in Seleuciam uenerunt, deinde in Cyprum nauigauerunt, uno comite itineris Ioanne, de quo paulo antè dixi. Cùmque totam insulam usq; ad Paphum obiissent, Sergius Paulus proconsul, uir prudẽs eos accersiuit, quòd uerbum Dei audire cuperet. Erat tum in eius comitatu quidam magus, cui nomen Clyniæ erat, qui Apostolis, cum proconsulem à sententia abducere studeret, resistebat. Hoc cum Paulus instinctu spiritus sancti cognouisset, grauissimis eum uerbis obiurgare cœpit, quòd diuina consilia institutáque dissolueret ac tolleret: eum'que cæcitate ad tempus huiusmodi sceleris sui, pœnas daturum esse prædixit. Vix ille finem dicendi fecerat, cum Elymas cæcus repentè effectus, qui se duceret obambulans, uisus est requirere. Quo tam admirabili facto adductus Sergius Paulus proconsul, credidit. Ex quo pleriq;, in his Hieronymus, illum qui antea Saulus diceretur, Paulum nominatum esse cõfirmãt. Paulus autem, & Barnabas à Papho soluentes, Pergen Pamphiliæ urbem traiecerunt. Hinc Ioanne Hierosolymam reuertente, ipsi Antiochiam Pisidiæ oppidum recto cursu contenderũt. Quo in oppido cum aliquãdiu cõmorati essent, in synagogã conuenerunt, lectis'que pro more nõnullis legis & prophetarum capitibus, principes eos rogarunt, num quid uellent dicere. Tum Paulus clarissima oratione usus est, qua Dei in Iudæos beneficia usque à patriarcharum selectione, populi'que ex Aegyptiorum seruitutis liberatione repetẽs, commemorauit, perduxitq; ad Dauidem: ex cuius semine ac genere IESVM Seruatorem Deus ex pacto extulisset, quem Ioannes uenturum prædixisset, uenienti testimonium diuinitatis dixisset, quem principes sacerdotum nullo comperto cri

mine, innocentem indicta causa in crucem egissent, ablatum'que sepulturæ A
tradidissent, quem Deus tertio pôst die ab inferis excitauisset, conueniẽter ijs omnibus quæ à prophetis prædicta essent. Eum esse agnoscerent, cuius beneficio delictorum eis gratia fieret, quam facere lex Mosis minimè potuisset. Ad eos qui ab Abrahamo genus duxissent, qui Deum timerent, hoc uerbum salutare missum esse, ad eos'que pertinere. Cum finem dicendi fecisset, dimissa'que concione, ipse & Barnabas exirent, eos rogarunt, ut proximo die, qui solennis erat habendis concionibus (sabbatum uocant) ijsdem de rebus uerba facerent. Multi autem Iudæi & peregrini eos secuti sunt: quos illi, ut in sancto proposito permanerent, hortari non destiterunt. Cũ autem dies uenisset, tota propè ciuitas conuenit ad uerbum Dei audiendum. Quod cum Iudæi animaduerterent, ira perciti, ijs quę à Paulo dicebantur, contradicere cœperunt. Tum Paulus & Barnabas magno constanti'que animo Iudæis dicunt, eis primùm consilium uerbumq; Dei exponendum fuisse: se autem iam, quòd indigni essent illi iudicio suo sempiterna gloria quam prædicarent, ad Gentes proficisci. sic enim Dominum ipsis præcepisse. Quod cum ij qui erant ex Gẽtibus, audirent, maximam ex eo uoluptatem'perceperunt, Domini'que uerbum maximis laudibus, honorificis'que uerbis extulerunt: quinetiam omnes quibus uitam æternam Deus dare decreuerat, crediderunt. Hanc continuò apostolorum gloriã, Iudęorũ inuidia consecuta est. Adduxerunt enim eos in inuidiam odium'que primorum ciuitatis, ac mulierum tantum, ut orto tumultu, excusso primùm ex pedibus, Dei præcepto, puluere, Iconium uenirent. In hoc quoque oppido cum synagogam Iudæorum ingressi, ita uerba facerent, ut multos Iudæos & Græcos ad religionem disciplinam'que nostram deducerent, Iudæorum opera & inuidia in eos Gentium animi concitati sunt. Ac multis quidem diebus, quibus ibi commorati sunt, magno animo egerunt, cũ B
interea Dominus signis miraculis'que uerbum suum ornauit, ac probauit. Cum autem distracta diuisa'que esset in partes duas ciuitas, altera'que pars apostolos sequeretur, altera quæ cum Iudæis faciebat, impetu facto, eos contumelijs affectos, lapidibus obruere decreuisset: huius rei certiores facti, se Lystram & Derban, Lycaoniæ oppida, contulerunt, ibiq; atque in finitima regione docendi uerbi diuini munere functi sunt. Tum forte Lystris erat claudus quidam, qui semper ingrediendi munere caruerat. Eum cum Paulus ita audientem animaduerteret, ut se curari posse non uideretur diffidere, clara uoce ei, ut rectus se in pedes erigeret, imperauit. Erigit se ille, ualentisq; ritu ingredi cœpit. Quod cũ turba animaduertisset, magna uoce Lycaonicè omnes, Deos specie habitu'que hominum ad se uenisse clamant: nuncupantq; Barnabam Iouem, & Paulum Mercurium, quòd dux uerbi esset. Sacerdos quoque Iouis hoc comperto, tauros cum coronis ante portas urbis unà cum populo uolebat immolare. fecissetq;, nisi apostoli in medium scißis tunicis prodijssent, cum hac oratione: Se etiã mortales esse, illis similes homines, qui docèrent, rebus huiusmodi fictis & falsis repudiatis, Deum uiuum colendum esse, cuius opere cœlum, terra, mare, omniaq; quæ illa complexu suo continerent, constitissent: qui superioribus temporibus Gentes suo arbitratu uiuere siuisset, quibus tamẽ specimen sui edidisset, pluuijs temporibusq; fertilitatem præstãtibus. Quæ cum illi dixissent, uix tandem obtinere potuerunt, ut ne immolarent. Nonnulli aũt Iudæi nec ita multo pòst Antiochia & Iconio uenietes, multitudini persuaserũt, ut Paulũ lapidibus obruerent, quẽ eiectũ ex urbe pro mortuo reliquerunt. At discipulorũ opera qui eũ circumdederant, seruatus, in oppidũ introiuit, posteraq; die cum Barnaba Derbam profectus est. Cumq; in illo oppido uerbũ Dei docuissent, adduxissentq; multos in Christi fidẽ, Lystrã, Iconiũ, & Antiochiã reuersi sunt: ibiq; discipulorũ animis confirmatis, cũ exhortati eos essent, ut in fide permanerẽt: multisq; calamitatibus et

A aduersis rebus superatis, in Dei regnũ introeundũ esse docuissent: prefectisq; singulis urbibus presbyteris, orassent cũ ieiunijs: eos Domino in quẽ crediderant, cõmendauerunt. Tũ uerò obeũtes Pisidiã, in Pamphyliã contẽderunt. Cumq; Pergæ uerbũ Dei nunciassent, descenderũt in Attaliã: inde Antiochiam, in qua urbe delecti fuerãt ad id munus quo functi erãt, nauigauerũt. Quò cum peruenissent, cõuocata concione, exposuerunt omnia quæ Dei benignitate egissent. Cõmorati sunt autẽ ibi multos dies cũ discipulis. quo quidem tẽpore quidam ex Iudæa uenerũt, qui hoc profitebãtur: Nisi, qui ex lege Mosis circũcisus esset, salutẽ adipisci posse neminẽ. Cumq; Barnabas & Paulus ab illis discreparent, ex eaq; dissensione, orta esset, ut fit, seditio: placuit omnibus, Paulũ & Barnabam cum alijs nonnullis alterius functionis Hierosolymam ad Apostolos & presbyteros de hac quæstione mitti. Illi per Phœnicem & Samariam Hierosolymam profecti, ibiq; exponebãt quanta Deus ipsorũ hortationibus apud Gentes fecisset, ijsq; cõmemorandis omnium animos ingenti lętitia affecerũt. Quod etiã Hierosolymam cum uenissent, facere minimè destiterũt. Ibi aũt conuocata cõcione, cum rẽ cuius causa missi essent, narrassent, quę illis etiam tẽporibus in ea urbe Pharisęorũ maximè q crediderãt opera, quęstio posita est, dictis uicissim sentẽtijs, tandẽ placuit ad eos discipulos, quorũ animi eius quęstionis difficultate Antiochię distraherent, hoc scribi p Iudam qui etiã Barsabas dicebat, & Silã, uiros primos in ecclesia, Paulo & Barnaba adiunctis, uisum esse Spiritui sancto atq; ipsis, nihil eis oneris Mosaicę legis imponere, nisi ut à stupro, & ab ijs cibis qui idolis immolati essent & à sanguine animaliũ quę suffocata essent, abstinerẽt. Illi aũt Antiochiã cũ uenissent, conuocata multitudine epistolã reddiderũt: qua plecta, incredibilẽ animo ex cõsolatione cæperũt uoluptatẽ. Aliquot uerò interieiectis diebus, Paulus cũ Barnaba egit, ut ad eas regiones ac ciuitates in quibus uerbum Dei exposuissent, reuerterent, uiserẽtq; quid fratres ac discipuli agerẽt. Cũq;
B Barnabas ꝑbato collaudatoq; cõsilio, Ioannẽ, quẽ paulo antè reuertisse Hierosolymã dixi secũ esse uellet, Paulus aũt nollet, ꝑpterea q Hierosolymã tũ cũ ipsi operã eius desiderarẽt, abijsset: secuta est ex eo dissensio tãta, ut Barnabas, comite itineris Ioãne ascito, in Cyprũ adiret: Paulus adiũcto delectoq; Sila, Syriã & Ciliciã obiret. quibus in regionib. cõfirmatis discipulorũ animis, eos ut Apostolorũ presbyterorumq; pręceptis parẽret, admonebat. De qua illius ꝑfectione anteq; plura dico, libet de superiore quã Hierosolymã, ut dictũ est, susceperũt, ille et Barnabas, aliquid dicere. Mihi quidẽ hęc illa uidetur esse quã in epist. ad Galat. exponit his uerbis: Se iterũ Hierosolymã quarto decimo anno pòst, ascito Tito unà cũ Barnaba uenisse, cõtulisseq; cũ discipulis, sermoneq; habuisse de ijs quę ad euangeliũ q̃d Gentibus & apud Gentes pręducaret, pertinerẽt, idq; in cõmune ac publicè, q̃d in eo cõsilio de quo paulo antè dixi, factũ esse arbitror, priuatim aũt ac remotis arbitris cũ ijs de quib. aliqua esset opinio. Iacobũ autem, Petrũ & Ioannẽ, qui columina religionis nostrę esse uiderẽtur, cũ munus q̃d Christus ipsi cõcessisset, cognouissent, datis dextris id est data acceptaq; fide, societatẽ cũ ipso et Barnaba coijsse, ut illi ad Gẽtes, ipsi ad Iudęos ꝑficiscerent. Hoc ut credã, me hæc uerba cũ ijs quæ ex Luca suprà cõmemoraui collata & cõiuncta admonẽt. Nã cũ ita seiunctũ à Paulo Barnabã Lucas ꝑpter Ioannem dicat, ut nunq; postea eũ à Paulo uisum esse cõmemoret, his aũt uerbis cõfirmet Paulus se unà cum Barnaba tãto pòst Hierosolymã profectũ esse, ut sermonẽ de euãgelij ratione cũ Apostolis haberet, quod semel factũ esse idẽ Lucas narrat, certè hęc illa ipsa non alia uidetur profectio. Idemq; cõfirmat quod deinceps in eadẽ epistola Paulus cõfirmat, Petrũ cum Antiochiam uenisset, & modò cũ Gentibus, modò cũ Iudæis clàm cibũ caperet, cùm Iudæos, tũ uerò Barnabam in istam suam simulatã & fictam traxisse sententiã. Atqui Barnabas post eam, de qua dixi, dissen-

sionem, nunquam uisus est Anthiochiæ. In Cypro enim interfectum eum fu- A
isse, Ioannes is quem secū duxit, in uita eius exponit. Atq; hæc à me eò dicta
sunt, ut ne tēporum inscitia laberemur. Nunc ad reliquam expositionem re-
uertamur. Paulus igitur comitē itineris laborisq; socium delegit Silā. Ii cum
Syriā & Ciliciam obeuntes, Derbam & Lystram peruenissent, Paulus ibi Ti-
motheū patre Gentili, matre Iudæa, eaq; fideli natū, cuius de uitæ integritate,
disciplinæq; obseruatione discipuli bene existimarent ac loquerentur, cū in-
uenisset, secū proficisci uoluit, eumq; propter Iudæos circumcidit. Quocunq;
uenissent, ea quæ ab Apostolis & presbyteris Hierosolymæ decreta fuerant,
seruanda tradebant. In Phrygiam & Galatiam cū uenissent, Spiritus sanctus
eis uetuit, ne uerbum Dei in Asia docerent. Inde cum traiecissent in Mysiam,
uellentq; in Bithyniam uenire, Spiritus IESV non siuit. Itaque ex Mysia
Troadem profecti sunt. Hic uisum Paulo ostensum est. Vir quidam Macedo
uisus est ei stare, ac orare, ut in Macedoniam traijceret, seque adiuuaret. Quo
ex uiso intellexit Paulus, ijq; qui cū eo erant, cū eis exposuisset, se à Deo ad E-
uangelium Dei Macedonibus renunciandum uocari. Itaq; statim Troade re
cto cursu Samothracā, & insequenti die Neapolim tenuerūt, inde Philippos
quæ est prima partis Macedoniæ ciuitas. In hac urbe aliquot dies commorati
sunt. Egressi aūt portam ad flumē, precationis causa cū consedissent, uerbum
que Dei mulieribus quæ eò cōuenerant, prædicarent: & in ijs quædā mulier
Lydia nomine purpuraria Thyatirorū, quæ Deū colebat, ea quæ à Paulo dice
bant attētè audiret, afflata Spiritu sancto credidit. Cumq; aqua uitali expia-
ta, totaq; eius familia rogaret, ut si se fidelē esse Domino cognouissent, ad æ-
des suas habitatū uenirent, impetrauit. Cū aūt Paulus cū suis precationis cau
sa irent, facta est eis obuiā puella quædā, quæ numine Pythonico afflata, diui
nādo magno quæstui dominis suis erat. Hæc Paulū comitesq; eius secuta, ma
gna uoce hæc locuta est: Hi homines serui Dei sunt, qui uobis uiā salutis ostē B
dūt. Idq; multis diebus fecisse dicit. Paulus aūt ad eā cōuersus, dæmoni impe-
rauit, ut IESV Christi nomine ex illa exiret, eodemq; pūcto tēporis egres-
sus est. Domini aūt puellæ cū de spe quæstus hoc pacto se decidisse animaduer
terent, Paulū & Silā cōprehenderūt perduxeruntq; in forū ad principes: ꝓdu-
cētesq; magistratib. eos dixerūt ꝑturbare ciuitatē, docereq; morē et disciplinā
quā sequi & approbare ciuibus qui Romani essent, minimè liceret. Magistra
tus cū etiam multitudo in eos infesta uenisset, scissis tunicis suis, eos uirgis cæ-
di iussit, cæsos in uincula cōiecit. Media aūt nocte, cum ita precarentur Deū,
& laudarēt, ut ab alijs qui erāt in carcere facile exaudirentur, terræmotus re-
pentè factus est tantus, ut etiā carceris fundamēta cōmouerētur, & ostia aper
ta sint, & uniuersorum dissoluta uincula. Expergefactus autem custos carce-
ris ex illo terræmotu, cum apertas ianuas carceris cerneret, districto gladio se
ipse iam interficere uolebat, quòd uinctos fugisse existimaret, cū statim Pau-
lus uoce magna clamare cœpit, ne se interficeret: uniuersos enim esse etiam
in carcere. Ille cū lumine introgressus, cum eos solutos uideret, tremore corre-
ptus, se ad pedes eorū misit, ducensq; extra carcerē, rogare eos cœpit, quid si
bi faciendū esset, censerent, ut uitā consequeretur sempiternā. At illi hoc ei re
spōsum dederūt: si in IESVM Christum crederet, fore ut ipse familiaq; eius
tota gloriam sempiternā adipiscerentur. Domum aūt eius cum uenissent, pri
mumq; quæ ad salutē pertinebant, ei totiq; familiæ tradiderūt. Deinde ablu-
tis plagis, eū familiamq; eius totā aqua salutari expiauerunt, tū mensa instru
cta ijs epulis quas ille pro tēpore parare potuit, unà cibū læti cæperunt. Pri-
ma aūt luce per lictores custodi magistratus imperarunt, ut illos emitteret.
Quod cū ille Paulo nūciasset, questus est quòd cæsos se publicè, & homines
Romanos indēnatos in uincula cōiecissent, quos clàm emitterēt. Non ita fie
ri oportere, sed ipsi uenirēt & emitterent. Quòd cū lictores principibus ciui-
tatis

A tatis renunciassent, timore perculsi illi quod Romanos esse Paulum & Silam audirent, eos rogare cœperunt, cum eos eduxissent, ut ex urbe discederent. Illi autem educti è carcere, in Lydiam concesserunt: inde uisis fratribus, cum eos consolati essent, profecti sunt. Cum autem peragratis Amphipoli & Apollonia, Thessalonicā, ubi Iudæorum synagoga erat, uenissent, Paulus ter in hebdomada de scripturis cum eis disputabat, tota'que eius oratio in eo consumebatur, ut doceret Christum & perpeti mortem oportuisse, & à mortuis excitari: & IESVM esse Christum, eum quem ipsis prædicaret. Nec uerò eius oratio inanis fuit. Nam ex Iudæis quidam crediderunt, Paulo'que ac Silæ coniuncti sunt, & ex Gentibus permulti, & in his non paucæ mulieres nobiles. Erat in ea urbe Iason quidam, qui Paulum & Silam domum suam acceperat. Quod cum Iudæi intellexissent, ij qui in falsa sua sententia permanserunt, adhibitis de uulgo uiris quibusdam facinorosis, orto tumultu ciuitatem concitauerunt, eo'que consilio domum Iasonis conuenerunt, ut cum eos inuenissent, populo producerent. Sed cum eos non inuenissent, Iasonem ipsum & quosdam Christi discipulos ad principes ciuitatis rapere & trahere cœperunt, cum hoc clamore, Iasonem esse qui eos quos tenerent, & alios homines qui orbem concitarent, eo'que iam uenissent, hospitio exceperit. atque eos omnes contra Cæsaris decreta facere, cum regem alium IESVM esse dicerent. Qua quidem sua oratione plebem principes'que ciuitatis concitauerunt. Cū uerò Iason, cæteri'que quos unà cum eo productos paulo antè dixi, causam dixissent, dimissi sunt, ac liberati. Christiani autem confestim noctu Paulum & Silam Berrhœā miserunt: quò cum uenissent, in Iudæorū conuentum introierūt, habitoque de religione nostra cū eis multo sermone, permultos & Iudæos & Gentiles tā uiros quàm mulieres ad Christi fidem cultumque traduxerunt. Quod cum Iudæi qui erant Thessalonicæ, resciuissent, Berrhœā

B uenientes, ita tumultibus urbē impleuerunt, ut Christiani statim Paulum, Timotheo Sila'que ibi remanentibus, coacti sint ad mare mittere. Sed ij qui eū deducebāt, ipsum Ahetnas usque prosecuti sunt: quibus cū Paulus mandatum dedisset ad Silā & Timotheum, ut quam primum ad se uenirent, abierūt. Paulus autē cum eos Athenis expectaret, cerneretque idololatriæ deditam ciuitatem, animi agitatione inflammari impellique cœpit, ut de rebus ad religionem nostrā pertinentibus ibi dissereret. Quo factum est, ut & in synagoga cum Iudæis & Christianis, & in foro quotidie cum eis qui confluebant, disputaret. Quidā autem Epicurei & Stoici cū eo disserebant, multisque de doctrina noua ex utraque parte inter se collatis sermonibus, eum ad Ariopagum pertraxerūt, quo liberius quid ille de hac re tota sentiret, diceret. Ille uerò in medio Ariopagi stans, hæc liberè dixit: se illos omni ex parte superstitiosiores animaduertere, propterea quòd ipse cum illorū simulachra præteriret, atque inspiceret, aram etiā inuenisset, in qua hoc inscriptū esset, Ignoto Deo: quasi quod ignorarēt, colerēt, atque uenerarent. Quod igitur ignari colerent, id se eis enūciare. Deū enim, qui hāc uniuersitatē, eaque omnia quæ cōplexu suo cōtinet, effecit, cū cœli terræque sit Dominus, non in tēplis quæ manu opereque hominum facta sint, habitare: nec manibus hominū coli, quasi aliquo egeat, cū ipse det omnibus uitam, spiritum, cætera'que omnia. Eundemque fecisse, ut ex uno omne hominum genus uniuersam terram incolant, definito uitæ cursu, quem omnibus dederit, ut quærant Deum, si fortè ad eius notitiā perueniant, quanquam non multum ab unoquoque nostrûm abest. Eius enim benignitate & uiuere nos, & moueri loco, & esse, quemadmodum quidā poeta illorum dixerit: Nā sumus & genus eius. Nos igitur cū genus Dei simus, eiusque cognatione teneamur, nō debere existimare auro & argento aut lapidi, quem homo arte & cogitatione sua sculpserit, similem esse diuinitatem. Et tempora quidem huius ignorationis cum Deus detestatus sit antea semper, tum denique hominibus pa-

tefacere,

tefacere, ut omnes actæ uitæ pœniteat, propterea quòd diem constituerit, in quo orbem iustè sit iudicaturus, eo iudice, quem esse decreuerit, tradita omnibus fide, cum eum à mortuis excitasset. Cum autem mentionem resurrectionis fieri audissent, eorum partim irridere cœperunt, partim se de ijsdem rebus Paulũ iterum differentem audituros esse dixerunt. Sic Paulus è senatu dimissus est. Quidam tamen ei assensi sunt: in his Dionysius Ariopagita, & mulier nomine Damaris. Illis quidem temporibus Claudius Cæsar Iudæos omnes ex urbe Roma abire iusserat. In his Aquila quidam Iudæus, Ponticus genere, & Priscilla eius uxor, relicta Italia, Corinthum uenerant. Paulus autem cum Athenis Corinthum contendisset, ad eos adijt, habitauitq; apud eos, quòd eiusdem artis essent, quæ in tabernaculis faciendis uersatur, eiusq; artis unà cum eis opus agere solitus erat. Nec uerò arte illa impediebatur, quo minus in synagoga, præsertim sabbato, disputaret: daretq; operam, ut Iudæos & Græcos ad religionem cultumq; nostrum deduceret. Quod tamen & liberius & studiosius fecit, posteaquam Silas & Timotheus de Macedonia uenissent. Orationem autem omnem eò conferebat, ut Iudæis IESVM Christũ esse, testimonijs scripturæ persuaderet. Quod illi cum improbarent, atq; adeò insectarentur, excussit Paulus uestimenta sua, cum his uerbis: Peccata uestra in capita uestra redundabunt, nulla culpa mea. Iam ad Gentes me conferam. Hæc cum perorasset, migrans inde, domum cuiusdam, cui nomen Tito Iusto erat, qui Deum colebat, uenit. In ea, cum synagogę coniuncta esset, non destitit ea quæ religionis nostræ sunt, exponere: tantumq; profecit dicendo, ut & Crispus, qui princeps erat synagogæ, cum omni familia sua crediderit, & multi Corinthij etiam aqua salutari expiarentur. Noctu autẽ Dominus uisus est Paulũ monere, ne timeret, libereq; loqueretur, propterea quòd cũ ipso esset, neminem' que ei malum daturum, quòd magnum hominum numerum in ea urbe haberet. Commoratus est autem ibi Paulus annum & sex menses, quod tempus in docendo Dei uerbo consumpsit. Erat tum Achaiæ proconsul Gallio, ad cuius tribunal Iudæi Paulum adduxerunt: accusaruntq;, quòd contra legem hominibus Deum colere suaderet. Quibus cum Paulus purgandi sui causa respondere uellet, Gallio uetuit, dixitq; Iudæis, eos se æquo animo audituros, si quod facinus proferrent: nunc, cum de legis eorum uerbis ac nominibus controuersia sit, ipsi uiderent: se enim earum rerum iudicem esse nolle. Ac Iudæi quidem tum Paulo omisso, toto impetu in Sosthenem ferri, eumq; in conspectu Gallionis cædere cœperunt: nec illi ea res curæ fuit. Paulus uerò, cum etiã multos dies illic fuisset, salutaris fratribus, in Syriam unà cum Aquila & Priscilla nauigauit, peruenitq; Ephesum: ibiq; illis relictis, ipse in Iudæorum concilium ueniens, cum eis disputauit. Cum'que Epheso se discedere uelle diceret, eumq; Iudæi rogarent ut diutius cõmoraretur, nõ concessit: sed cum rediturũ se polliceretur, discessit: uenitq; Cęsaream, ubi salutatis Christianis, Antiochiam profectus est. quo in oppido cum aliquandiu commoratus esset, Galatiam Phrygiamq; obiuit, eo consilio, ut Christianos in fide confirmaret. Peragratis autem superioribus regionibus, Ephesum redijt: ibiq; inuentis quibusdam discipulis, ab eis quæsiuit, num Spiritum sanctum credentes accepissent. Cumq; respondissent, se ne id quidẽ auditione accepisse, sit'ne Spiritus sanctus omnino: rogare eos iterum cœpit, Cuius igitur nomine baptizati essent? Tum responderunt illi, Ioannis baptismo se esse expiatos. Paulus ad hæc addidit: Ioannem baptismo pœnitentiæ populũ expiasse, eos monentem, ut in eum qui ipsum sequeretur, id est, in IESVM, crederent. Tum omnes, qui erant duodecim numero, IESV nomine baptizati sunt, uenitq; ad eos Spiritus sanctus, cum eis manus imposuisset: inde longius loqui, & prophetare cœperunt. His gestis, in synagogam uenit, libereq; per trimestre de regno Dei disseruit. Cum uerò nonnullos & obstinatè in sententia perma-

nere,

A nere,& Christi disciplinam cultum'que in conspectu multorum insectari animaduerteret,ab eis discessit, secretis'que discipulis in tyranni cuiusdam schola quotidie disputabat. id'que biennio perpetuum fuit, ita ut omnes qui Asiam incolebant, Iudæi atque Græci, uerbum Domini audirent. Hinc Paulus mira quędam opera & inusitata Christi nomine edidit. Nam cum & sudaria & semicinctia, quę corpus illius attigissent, ęgris adhibebantur, ijs etiã qui à dęmonibus torquebant̃, statim morbi dęmonesq́ depellebãtur. Quod cũ septẽ filij Sceuæ Iudæi, qui exorcistę habebãtur, animaduertissent, experiri placuit, num idẽ facerent quod Paulũ facere cernerẽt. Itaq́ IESV nomen in eis qui spiritus malos habebãt, inuocabant, his uerbis: Adiuro uos per IESVM, quẽ Paulus prędicat. Dęmones aũt cũ respõdissent, se & IESVM nosse, & Paulũ, & illi qui essent, ignorare: homo in quo malus genius erat, statim in eos inuolauit, uimq́ eis intulit tantã, ut nudi acceptis uulneribus domo fugerent. Eiusq́ rei fama cum omnibus Iudæis & Gentilibus qui erãt Ephesi, percrebuisset, metu perculsi omnes, IESVM laudibus in cœlum extollere. Multi etiam eorũ qui religioni nostrę nomen dederunt, ea quæ egerant in uita, confitebantur. Fuerũt etiam pleriq́ eorum qui rebus studijsq́ quibusdam curiosius dediti erant, qui libros in conspectu omnium cõbusserunt, tanta copia, ut cũ rationem haberẽt precij, denariũm quinquaginta milia inuenirent. His ita gestis, numine diuino Paulus afflatus, Hierosolymã, Macedonia et Achaia peragratis, ire decreuerat: quòd intelligeret, cum eò uenisset, sibi Romã esse proficiscendũ. Tum uerò Ephesi ingens motus ob Christi disciplinam ortus est. Demetrius enim quidam, qui argentariã faciebat, fingendis ædibus ex argento Dianæ, opificibus atque operis magno quæstui erat: quem cum Pauli doctrina tolli intelligeret, eos conuocauit, atque in Paulũ nostros'que

B homines concitauit, his uerbis: Eos scire dixit, quanto ipsi atque sibi hæc ars quæstui semper fuerit: spectare etiam atque audire, à Paulo non solum Ephesi, sed penè tota Asia ingentem hominum multitudinem ab ea religione reuocari, quippe qui doceat deos non esse, qui manu opereq́ hominum fiant. Quòd si eos quæstus tãtus qui eis eriperetur, criminiq́ daretur, nõ moueret, uel Dianę templũ, quod isto pacto cõtemneretur, eiusq́ religio ac maiestas, quã tota Asia & orbis coleret, cuius tollendæ fundamenta iacerentur, moueret. Qua Demetrij oratione, tanta iracundia illorum animi exarserunt, ut clarissima uoce clamarent: Magna Diana Ephesiorum. Hinc totam urbem tumultus occupauit: impetu'que facto communi cõsensu omnes Caium & Aristarchum Macedones, Pauli comites, in theatrum ui perduxerunt. Paulus autem cum ad populum prodire uellet, nõ passi sunt discipuli. Nõnulli etiam de Asiæ principibus, qui cum eo amicitia coniuncti erant, miserunt, qui eum rogarent, ne in theatrum prodiret. Alij autem aliud sentiebant. Erat enim in magna perturbatione ecclesia, & plerique quam ob causam conuenissent, nesciebant. Alexander de turba protrahitur. Ille silentio postulato, rationem reddere nitebatur. cognitus uerò Iudæus esse, clamare tum cœperunt omnes: Magna Diana Ephesiorũ. Scriba aũt urbis sedato tumultu, nostros ita defendit, quasi in Dianã illi nihil dicerent: alijsq́ iactatis sermonibus, qui ad sedandos populi animos pertinerẽt, concionem dimisit. Motu sedato, discipulos Paulus cohortãdi causa cõuocauit: quos cum ad extremũ salutasset, in Macedoniã profectus est. quam ille prouinciã peragrans, discipulos multo sermone cohortari nullo loco destitit. Venit inde in Græciã, in qua cũ menses tres commoratus esset, constitueret'que in Syriam nauigare, insidię illi à Iudęis factæ sunt. itaq́ mutato cõsilio, per Macedoniã redijt. Comites ei se itineris prębuerunt, Sosipater Pyrrhi Berrhoensis filius, Thessalonicensiũ Aristarchus secundus, Caius Derbæus, & Timotheus, Asiani Tychicus & Trophimus. His pręmissis Troadem, Lucam unum secum habuit: qui cũ Philippis quin-

to die Troadem nauigio peruenit, qua in urbe dies septem omnes cõmorati sunt: eorum autem extremo quem Dominicum dicimus (unum enim sabbati diem hunc Lucas intelligit) cum cibi capiendi causa omnes cõuenissent, Paulus postero die profecturus cũ eis disputabat: cum'que sermonem in multam noctẽ produceret, adolescens quidã, cui nomẽ Eutycho erat, oppressus somno, de tertia contignatione decidit, sublatus'que est mortuus. Ad quem Paulus descendens, medium complexus, circũstantes ne conturbarentur, admonuit. animum enim eius in ipso esse. Certus ille de salute adolescentis, rediјt in cubiculum, ubi cum gustato cibo usq; ad lucem sermonem protraxisset, puerum uiuũ læti adduxerunt, cũ iam ille discessisset. Lucas autem ac cæteri comites itineris, conscendentes nauem, in Asson nauigauerunt, ut ibi eum qui terra iter faciebat, reciperent. Sic enim illis se uelle facere dixerat. Paulus ibi conscensa naui, recto cursu Mytilenen cũ eis cõtendit. postera die è regione insulę quę Chius dicitur, applicuerũt, sequenti Samũ, postridie Myletũ, quòd ipse Ephesum prçterire decreuisset, ne qua mora ei in Asia afferretur, quo minus Hierosolymã ante Pentecostes diẽ peruenire posset. Itaque Myleto mittẽs Ephesum, maiores natu ecclesiæ accersiuit. qui cum ad eum conuenissent, hac ad eos oratione usus est: Scire eos, ac tenere optimè, se, ex quo primùm die in Asia fuisset, Domino ministrasse, ac paruisse semper cum omni animi demissione ac lachrymis: scire etiam, quibus à Iudæis insidiјs malis'que circumuentus sit, nullum'q; ab ipso prętermissum tempus esse, quo nõ liberè diligenterq; publicè priuatim'que eos docuerit, quæ ad religionem Christianam pertineret: testimoniјsq; scriptuæ Iudęis ac Gẽtibus pœnitentã scelerum quæ in Deũ admisissent, & in Dominum nostrũ IESVM Christũ, fidem suaserit, cũ interea nihil de ipsorũ facultatib. abstulisset. Tũ uerò Spiritu uinctũ se Hierosolymã petere, ubi quid sibi euenturũ sit ignoraret: nisi quòd Spiritus sanctus ubiq; indicet, cũ illic uincula & cruciatus manere. Sed tamen se nihil horũ omniũ extimescere, nec uitã suã pluris quàm se ipsum facere, dũ modò cũ uitę cursum, qui ipsi à Deo datus esset, cõficeret, idq; munus docendi euãgeliј quod à Domino accepisset, exequi pro dignitate posset. Exploratũ sibi esse, se nunq; postea à quoq; eorum uisum iri, quos adiјsset. Itaq; testari eis, culpæ nulli se affinẽ esse: quippe cũ omne Dei consiliũ eis exposuerit, à quo nulla pœna proposita, nullis suppliciјs potuerit retardari: sibi uniuersoq; gregi cõsulerent, cui eos Spiritus sanctus episcopos prçfecisset, Dei ecclesię, quã ille sanguine suo quæsisset, gubernãdę gratia. Scire se, lupos rapaces impetũ facturos esse in gregẽ post discessum suũ, et ex ipsis uiros proditoros qui improba oratione discipulos ad se conarent abducere. Proinde uigilarẽt, memoriaq; tenerẽt, ipsum nullũ finem eos per triennium cũ lachrymis monendi fecisse. Se eos Deo & uerbo gratię eius cõmendare, qui ędificare sanctificatos oẽs, eisq; hereditatẽ dare posset. Argentũ & aurum, aut uestem nullius se concupisse, eiusq; rei eos se testes habere, cũ ad ea paranda quę ipsi ad cultũ uictumq; necessaria fuerint, corporis labor suffecerit: eos se docuisse, labore & opere quæsitis opibus egẽtibus atq; ęgris subuenire oportere, memores uerbi illius Domini IESV: Beatius esse dare, quàm accipere. Quę cũ dixisset, positis genubus orauit cũ omnibus. Tũ uerò magnus omniũ fletus secutus est, incidentes'que in illius collũ, osculum ei ferre cœperũt: nec aliud maiorem dolorẽ eis attulit, quàm quòd se nunq; postea à quoquã ipsorum uisum iri dixerat. Deduxerũt eum ad nauẽ, qua cõscensa ipse & comites recto cursu Coum, postridie Rhodũ, inde Pataram uenerũt. Inuenta autem naui quę in Phœnicẽ contenderet, nauigarunt in Syriam, Tyrum'que applicuerunt, quòd ibi nauis onus expositura esset. Hic cum discipulos offendisset, qui ei afflatu diuino commoti, prohibebant ne Hierosolymam adiret, septem dies commoratus est: quibus expletis, Tyro Ptolemaidã uenit, qua in urbe salutatis fratribus, diẽ unum

cum

A cum eis fuit: insequenti Cæsaream cum uenisset, Philippum euangelistã qui in septem diaconis erat, adijt, & apud eum cum comitibus habitauit. Ibi iam aliquot dies commorati erant, cum uir quidam ex Iudæa, propheta, aduenit, Agabus nomine. Is cum ad eos uenisset, detracta Pauli zona, pedes & manus alligauit, dixit'que, Spiritum sanctum hoc prædicere, & antè denunciare: Virum cuius illa zona esset, ita Hierosolymæ à Iudæis uinctum, dedendum esse Gentibus. Quod cum Pauli comites & loci incolæ audiuissent, eũ rogare omnes cœperunt, ne Hierosolymam proficisceretur. Ille autem eis ita obiurgatis, ut fletu illorum animum suũ excruciari fateretur, se non solum uinci, sed etiam mori Hierosolymę Christi causa & nomine paratum esse dixit. Itaq; illi cum eum se de sententia deducere posse diffiderent, ita suadere destiterunt, ut eius rei euẽtum diuinæ uoluntati permitterent. Hierosolymam cum uenisset, nostræ religionis homines libenter eum cũ comitibus exceperunt. Postridie unà cũ eis ad Iacobũ apostolum, qui Hierosolymæ episcopus præerat, uenit: quò cũ seniores omnes conuenissent, primũ ipse singillatim eis omnia exposuit, quę Deus apud Gẽtes ipso ministro adhibito effecisset. deinde illi cum Deũ summis laudibus ornassent, dixerũt: Eum, quãta Iudæorũ multitudo ad Christi fidem deducta esset, uidere. Eos autem omnes qui legi Mosaicæ parẽdum censerent, auditione accepisse, ipsum quòcunque ueniret, ubi Iudæi inter alias nationes uiuerent, hoc docere, discedendum esse à lege Mosaica, nec Iudæis circũcidendos esse filios, nec illam iam in templum eo more quem lex illa præscriberet, ingrediendi esse necessitatem. Itaque se illi auctores esse, ut quoniam multitudinẽ necesse esset conuenire, se ipse cũ alijs quatuor qui uouissent, expiaret, caputq; raderet. Sic enim fore, ut quæ de illo audissent, falsa esse comperirent. Se autem scripsisse de ijs qui ex Gentibus religioni nostræ

B nomen dedissent, ut se deinceps ab escis, quæ idolis immolatæ essent, sanguine strangulatorũ animalium, & fornicatione stuproq; abstinerent. Paulus postero die adiunctis illis quatuor, expiatus in tẽplum cũ eis uenit, ostendit'que expiationis tempus esse quoad pro unoquoq; eorũ hostia immolaretur. Dũ autem hęc agunt, explentur'que dies septem, Iudęi Asiani cum Paulũ in templo animaduertissent, omnem in eum populũ concitauerunt, iniectis'que manibus ut eum cõprehenderent, admonere & rogare cœperunt circumstantes, ut se in cõprehendendo eo homine adiuuarẽt: qui cũ ubique omnes ea doceret, quæ & ad populi, Senatus q; Iudæorum, & legis, & templi perniciem, exitiumq; pertinerent: tum uerò prophanos homines in templum adduxisset, sanctum'que locum uiolasset, Trophimũ eum Ephesinum, quem cum illo in urbe uiderant, ab illo in templum introductum existimabant. Motus hinc tota urbe ortus est tantus, ut omnes eò concurrerent. Quòd si tribuno, qui tũ in urbe erat, nunciatus tumultus non fuisset, periculum fuisset, ne à populo tumultuante discerperetur. Sed ita tulit diuinum consilium, ut dum cõprehensum & extractum extra templum interficere cogitant, tribunus cum centurionibus & militibus interueniret, cuius primus aduẽtus non furorẽ aut inuidiã populi sedauit, sed finẽ cędẽdi eius attulit. Is sedato ut dixi tumultu, cõprehensum Paulũ, catenis duabus uinciri iussit. Cumq; rogaret, quis'nam esset, quid'que fecisset, alijq; aliud in turba clamarent, sic ut nihil certi præ tumultu posset cognoscere, ut in castra ducerẽt, imperauit. Secuta est eũ multitudo populi uociferãtis, ut de medio tollerẽt. tantaq; uis orta est, ut à militibus cũ ad gradus uentũ esset, portari cogeretur. Paulus uerò cũ in castra duci cœpisset, tribunũ rogauit, num cum eo paucis agere liceret? Ille, cum quæsiuisset, Gręce'ne sciret, & nũ is esset Aegyptius qui paucis antè diebus tumultũ cõcitauisset, eduxissetq; in solitudines quatuor millia sicariorũ: Paulus se Iudæũ, Tharso, quod Ciliciæ non ignotũ oppidũ esset, natum, esse respondit. rogare aũt illũ se, ut ad populum sibi uerba facere liceret. Quod cum ille permisisset,

Paulus è gradibus, Hebraicè (quod maioris silentij causa fuit) cum eos admonuisset, ut quam ipse rationē apud illos redderet, audirent, ita locutus est: se Iudęum esse, Tharsi Cilicię natum, educatū Hierosolymę, ad Gamalielis pedes eruditum patrijs legibus, quarū non secus atq; illi omnes tū essent, ita propugnator extitisset, ut Christianam disciplinā hostili animo ad mortem insectaretur, uinciendis tradendisq; in custodias uiris & mulieribus qui eam sectam sequerentur. Quorum omnium se habere testes, dicebat, Pōtificem omnesq; maiores natu: à quibus acceptis ad fratres epistolis, cum Damascum iret, ut inde uinctos & nexos Hierosolymā supplicij causa abduceret, accidisse in ipso itinere, cū iam Damascus in propinquo esset, ut meridie subitò lumine cœlesti circūfunderetur, cadensq; ex equo, audiret uocem quasi obiurgantis, cur ipsum persequeretur. cumq; rogasset, quis'nam esset, & quid ipsi imperaret: illum respondisse, IESVM Nazarenum se esse, quem persequeretur: Damascum autē iret, ubi planè, quid ei faciendū esset, cognosceret. Cum uerò prae splendore lucis despicere non posset, manu à comitibus Damascum se esse deductum. Ananiam uerò quendā, qui Iudæorum omniū Damascenorum testimonio legis erat obseruantissimus, ad eū uenisse, ac dixisse ut cerneret, eodemq; puncto tēporis se illud uidisse. Eundem tū eo usum sermone esse, ut diceret, ipsum Diuina prouidentia delectū esse, ut eius uoluntatē cognosceret, essetq; testis apud omnes homines eorum omniū quæ uidisset & audisset. Itaque aqua salutari expiaretur, ipsiusq; peccata appellato inuocatoq; illius nomine eluerentur. Redeunti autē sibi Hierosolymam, atq; oranti, uisum illum esse dicentē: Abiret ipse citò Hierosolyma, quòd eius de ipso testimoniū non probarent. Se uerò respondisse, eos ipsum scire solitū in uincula conijcere, & pulsare eos qui ei crederent: seq; tū, cum Stephani illius testis sanguis effunderetur interfuisse, atq; factum coram Deo, qui illū interficerent, approbasse, cū uestes eorum asseruaret. Christum tum præcepisse, ut irent procul ad exteras nationes. Attentè eum ad hanc orationem omnes audierant, cùm statim uoce sublata dicere cœperūt: Tolle istum de medio, neq; enim fas est eū uiuere. Secutus est hinc clamor maximus, uestimenta sua proijcietium, puluerem q; iactantiū in aera. Quod cū tribunus animaduertisset, duci eū in castra iussit, & uirgis cæsum torqueri, ut sciret quamobrem tanto clamore ei obstreperent. Iam præceptis tribuni milites obtemperare parati erant, cum Centurionem qui aderat Paulus rogauit, num hominē Romanum indicta causa & indemnatum illis uirgis cædi liceret. Centurio statim tribunum admonuit, etiā atq; etiam uideret, quid faceret. Eum enim hominem, quem uerberari iussisset, ciuem esse Romanum. Accedens autem tribunus, eū rogauit, num Romanus esset: quod cum ille annuisset: Ego, inquit, magna ui pecunię hoc ius ciuitatis adeptus sum. Ego uerò, Paulus inquit, & natus ciuis sum. Ita ab ea pœna Paulus liberatus est, & tribunus magno in metu fuit, cum eum ciuem Romanum esse resciuisset. Postero die soluit eum, conuocatis'que sacerdotibus, omniq; populo, eum produxit: quo diligentius comperiret, quam ob causam à Iudæis accusaretur. Ipse in eos qui conuenerant coniectis oculis, ita uerba fecit: Se ad eum diem semper bona fide in oculis iudicio'que Dei uixisse. Hoc uerbū pontifex Ananias molestè acerbeq; ferens, eis qui circūstabant præcepit, ut ei colaphos infringerent. Paulus uerò hac ad eū oratione usus est: Percutiet te Deus, paries dealbate: qui cū sedens lege me iudices, tamen cōtra legem os meū tundi iubeas. Qui aderant, Paulū obiurgare, quòd summum Dei sacerdotē maledictis lacesseret. Ille uerò nescire se dixit: eū principē sacerdotū esse. Scriptū enim esse: Principi populi tui ne maledicito. Tum Paulus, qui ibi partem unā eorum qui aderant, Saducęorū, alteram Pharisęorum esse, intelligeret, clamare in concilio cœpit: Pharisæum se esse, Pharisæiq; filium, in iudicium adductū se, quòd spem & uitā mortuorū poneret ac defenderet. Statim

A orta est inter Pharisæos & Saducæos dissensio tanta, ut dimissa multitudine, quidam Pharisæi, nihil se facinoris aut sceleris in eo comperisse, pugnaciter diceret. Quid, inquiũt, si spiritus aut angelus cum eo collocutus est? Tribunus, qui timeret ne Paulus in turba discerperetur, militibus imperauit, ut eum de medio raptum in castra ducerent. Proxima nocte eum Deus uisus est admonere, ut bono fortiq; animo esset. Sicut enim Hierosolymæ ipsius propugnator & defensor fuisset, sic fore ut Romæ etiam existeret. Vt autem illuxit, non nulli Iudæi plures quadraginta, inito consilio, uouerunt se nihil cibi & potionis capturos, quoad Paulum interfecissent. Quam quidem coniurationem suam pontifici ac senioribus exposuerunt: admonuerunt'que eos, ut peterent à tribuno, ut Paulum ad illos produceret, eam'que fraudem ita tegerent, quasi aliquid de eo certius comperturi essent: se uerò, prius quàm ille appropinquaret, eum paratos esse interficere. Pauli sororis filius cum insidias quæ auunculo pararentur, intellexisset, uenit ad eum in castra, ei'que indicauit. Ille accersito Centurione, eum rogauit multis uerbis, ut adolescentem ad tribunum ducendum curaret: habere enim eum aliquid quod ei nunciet. Adolescentem tribunus cum remotis arbitris rogaret, quid'nam indicare sibi uellet, constituisse dixit Iudæos, ipsum rogare, ut postero die Paulum in concilium produceret, quasi certius aliquid in eum inquisituri essent. Quod uideret ne faceret, propterea quòd essent plures quadraginta ex eis, qui cõiurassent se ex insidijs Paulum esse interfecturos, & uouissent se nihil capturos cibi antè quàm hoc scelere se contaminassent. Tribunus dimisso ita adolescente, ut uetaret ne cui se cum illo de ea re locutum fuisse diceret, duos centuriones accersiri iussit, quibus imperauit, ut milites ducentos, equites septuaginta, lancearios'que ducentos compararent, & iumenta, in quæ impositum Paulum tertia

B noctis hora saluum & incolumem ad Festum præsidem Cæsaream perdurent. eis'que ad illum epistolam dedit, cuius hæc sententia est: Claudius Lysias Felici optimo præsidi, Salutem. Virum, quem ad te mitto, à Iudæis comprehensum, tum cùm iam inteficeretur, aduentu meo, militum opera uix saluum è manibus eorum eripui, cum Romanum eum esse comperissem. Cum uerò scire cupiens quid ei obijcerent, illum in concilium eorum produxissem, ei tantum obijci comperi, quæ ad legem eorum pertinerent, quorum nihil morte aut uinculis dignum esset. Quoniam autẽ intellexi, ex eis esse qui illum ex insidijs necare constituissent, eum ad te misi, ut accusatores apud te agant, si quid in eum uelint dicere. Vale. Milites noctu Paulum, Antipatridem duxerunt: postridiè uerò equites eum Cæsaream ad Felicem perduxerunt, cùm cæteri in castra reuertissent. Reddunt etiam illi epistolam, quam cum perlegisset, Paulum, cuius esset prouinciæ, rogauit. Cum'que Cilicem eum esse cognouisset, eum se auditurum esse dixit, cum accusatores in eum uenissent. interim in Herodis prætorio custodiri eum iussit. Quinto autem die Ananias pontifex, cum quibusdam maioribus natu, & Tertullo quodam oratore Cæsaream uenit, omnes'que Felicem adierunt: citato'que Paulo, eum Tertullus accusare cœpit his uerbis: Maximas tibi gratias agimus optime Felix, quòd & benignitate ac uirtute tua in pace, omni compresso tumultu, bello'que, uiuimus: & pro incredibili tua sapientia, multa quæ superiores prætores quibus successisti, neglexerant, correctione adhibita feliciter geruntur. Sed ne te longa oratione traham, à te peto maiorem in modum, ut nos breuiter dicentes benignè attente'que audias. Non ignotam tibi esse arbitror sectam Nazaræorum, qui nouis quibusdam religionibus institutis'que, omnium hominum mentes contra leges imbuunt & inficiunt. Eius principem cum pestiferum istum inuenissemus, qui & omnibus Iudæis in uniuerso orbe seditionis auctor esset, & templum uiolare ac

 polluere

polluere uoluisset, comprehẽsum ex lege nostra iudicare decreuimus. Sed tribunus Lysias, ui magna eum eripuit, iussitq; eius accusatores ad te uenire: ex quo tu facilè poteris ea crimina cognoscere, quorum causa eum in iudicium adduximus. Iudæi tum uera esse quæ Tertullus diceret, asseuerarunt. Paulus uerò, cum Felix potestatẽ dicendi fecisset, ita respondit: Scio ego, te, optime Felix, iampridem iudicem datum esse Iudæis: quæ me causa impellit, ut bono animo, magnaq; spe fretus, nũc pro me ipse respondeam. Intelligere enim potuisti, dies esse non plus quindecim, cum Hierosolymam in templum religionis causa adij. Isti autem nec ibi me cum aliquo disputantem, aut seditionẽ mouentẽ, nec in urbe ipsa, nec in synagogis inuenerunt: nec uerò ea quæ mihi obijciunt, probare possunt. Hoc autem fateor, me in disciplina quam sectam uocant, sic patrium Deum meum colere, ut & ea omnia quę in lege ac prophetis scripta sunt, uera esse credam: & eam quam etiam illi expectant, bonorum ac malorum resurrectionem fore confidam. in quo ipse etiam studeo ita me gerere, ut nemini, quod sciam, materiã occasionemq; peccandi præbeam: ab eáque suspicione, Deo teste, sum liberrimus. Multis autẽ annis pòst Hierosolymam ueni, ut egentibus pro facultatibus subuenirem, Deoq; offerrem quæ uouissem: quæ in templo facientem me cum offendissent Iudæi, non tumultum turbamq; concitantem, ut isti uolunt, comprehenderunt, clamãtes uoce maxima, Tolle inimicum nostrum. In ijs quidam erãt ex Asia Iudęi, quos adesse hic oportuit, & accusare si quid haberent, quod criminosum in me putarent. Dicant uerò nunc hi ipsi quo in flagitio me deprehenderint, nisi quòd hac oratione usus sum, cum in iudicium ob resurrectionem mortuorum adductum me esse clamarem. Hæc cum ex utraque parte dicta essent, Iudæorum querimoniam in illud tempus reiecit, cum Lysias tribunus uenisset: Paulum autem interim Centurioni ita custodiendum tradidit, ut & in pace eum esse uellet, & neminem de suis ei ministrare quæ opus essent, prohiberet. Interiectis aliquot diebus, Felix cum Drusilla uxore sua, quæ Iudæa erat, ueniens, Paulum accersiuit, audiuitq; eum de Christi fide & religione disserẽtem. Cumq; protracto, ut fit, sermone, de iustitia, de castimonia, iudicioq; futuro diceret, tremore correptus Felix, Paulum dimisit: eiq; dixit, se eum euocaturum, cum opus esset: eumq; sæpe etiam postea accersiuit, quòd se ab illo pecuniam accepturum esse speraret. Biennio autem pòst, Felici Porcius Festus successit, eiq; uinctum Paulum reliquit, ut à Iudæis gratiam iniret. Festus tertio quum in prouinciam uenisset die, Hierosolymã Cæsarea profectus est: quod cum primùm pontifices ac primi Iudæorum resciuissent, illum adierunt, rogaruntq; ut Paulum, in quem infesto animo uenissent, Hierosolymã perduci iuberet: id' que fecerunt, ut in uia ex insidijs eum opprimerent, ac necarent. Festus autem Paulum Cæsareæ custodiri dixit, quam ad urbem cum propediem rediturus esset, si qui ex eis unà proficisci uellent, uenirent & accusarent, si quod in homine crimen esse existimarent. Ipse cum Hierosolymæ non amplius dies octo aut decem commoratus, Cæsaream ut uenit, postridie pro tribunali sedens, Paulum ad se adduci iussit. Iudæi, qui Hierosolyma uenerant, eum, cùm productus esset, circunsteterunt, multaq; & grauia ei crimina obijcere cœperunt, quæ probare non poterant: cum Paulus uerbo tantum, se legem Iudæorum, aut templum uiolasse, aut quicquam contra Cæsaris maiestatem fecisse pernegaret. Tum Festus, qui Iudæis gratificari uellet, cum à Paulo quæsiuisset, num Hierosolymam ire, & illic de ijs ipsis criminibus apud ipsum iudicari uellet: Paulus se ad Cæsaris tribunal, ubi iudicandus esset, stare dixit, Iudæis se nullo loco iniuriam intulisse, quod ipse melius sciret. Si quis eos læsit, aut crimen capitis admisit, se, quo minus morte mulctetur, minimè recusare. Sin nihil est eorum quæ in ipsum conferrent, neminem esse qui eum illorum libidini posset dedere. Itaque ad Cæsarem, inquit,

A inquit, prouoco. Tum Festus de consilij sententia, Ad Cæsarem, inquit, prouocasti, ad Cæsarã ibis. aliquot diebus pòst, Agrippa rex & Berenice Cæsaream Festi salutandi causa uenerunt, qua in urbe cum multos dies commorarentur, cum eis de Paulo sermonem Festus instituit, eaq; omnia eis exposuit, quæ paulo antè gesta & dicta esse dixi. Quæ cum Festus omnia commemorasset, Agrippa hominem se uelle audire dixit, quod futurum postridie ille promisit. Postero die Agrippa & Berenice cum tribunis et primis uiris ciuitatis conuenerunt: quos ut uidit Festus, produci Paulum iussit. Eo producto, Festus dixit: Eum hominem quem Agrippa & cæteri cernerent, à Iudæis eiusmodi criminibus circunuentum esse, quę si uera essent, ipse continuò summo supplicio afficiendus esset: quemadmodum etiam Iudęi ipsi, cum ipse Hierosolymæ esset, contenderant. Se uerò nullum crimen capitis in eo comperisse. Quoniam autem Romam eum ad Cæsarem, ad quem prouocauisset, mittendum cēseret, nihilq; certum haberet, quod de illo Domino scriberet, se iussisse eum ad illos, & maximè ad Agrippam produci, ut cum eum pro se dicentem audiuisset, ipse haberet quod scriberet. Cum Agrippa Paulo potestatem dicendi factam esse dixisset: tum Paulus beatum se primum dixit, quòd apud eum esset uerba facturus, qui omnem Iudæorum disciplinam, omniáque instituta, omnesque consuetudines teneret: deinde ea omnia exposuit, quæ ab illo commemorata esse, antè dixi, de Iudæorum inuidia, initio longè petito ab eo tempore, cum primùm à Christo è cœlo uocatus est, eoq; superiore, cum legi Mosaicæ parendum esse censeret. Hæc cum Paulus diceret, Festus magna uoce insanire Paulum dixit, eumq; ad insaniã adigere multas literas, quibus esset præditus. Paulus insanire se negauit, sed uerba ueritatis prudentięq; plena dixit fundere. Scire enim hæc omnia regem, apud quem uerba faceret. Tum Agrippam rogauit, num prophetis fidem haberet? Scire etiam se dixit, eum fidem habere. cùm ille: Paucis, inquit, persuades ut sim Christianus. & Paulus: Oro, inquit, Deũ, & paucis & pluribus, ut non tu modò, uerũ etiam hi omnes qui audiunt, tales euadant, qualis sum ego, exceptis his uinculis. Surrexerũt tum rex, prætor, Berenice, & qui cum eis consederãt: cumq; secessissent, hæc inter se de Paulo iactabant, eũ nihil morte aut uinculis dignũ fecisse. ac præterea Agrippa Festo, eum dimitti potuisse dixit, nisi ad Cęsarem prouocasset. Cum autem nauigationi dies constitutus esset, ut Romã ad Cęsarē iret Paulus, cuidã Cēturioni, Iulio nomine, cohortis Augustæ, unà cum aliquot alijs uinctis traditus est. Conscensa naue Adramyttina, cũ essent omnes in Asiã nauigaturi, soluerunt. Postero die Siodnem applicuerunt. Iulius, qui Paulũ humanè haberet, eum ad amicos adire permisit, ab eisq; curari. Hinc soluentes, Cyprum, propterea quòd aduersis uentis usi sunt, tenere nõ potuerũt. Itaq; ab ea repulsi, mare Ciciliæ & Pamphyliæ pręteruecti, Myram Lycię oppidum deuenerunt: ubi cum centurio nauem Alexãdrinam offendisset, quæ in Italiam nauigaret, in eam omnes imposuit. Cumq; satis multis diebus tarda nauigatione uix ad Cnidum, quòd uentus non sineret, peruenissent, Cretã per Salmonem præternauigarunt: quã cum uix tenuissent, uenerunt in quendam locum, qui Boni portus dicitur, cui finitima erat Thalassa urbs. Cum uerò multum iam tempus peractum esset, nec tuta esset iam nauigatio, propterea quòd ieiunij iam tempus præterijsset, omnes qui aderant Paulus admonebat, uidere se nauigationem futuram cum magno periculo, non solũ oneris et nauis, sed etiã uitæ omniũ. Cēturio porrò maiorem fidem gubernatori et nauclero, quàm Pauli uerbis habebat. & portus ille minimè ad hyemandum aptus erat. Quod cum multi animaduerterent, auctores fuerunt ut illinc naues subducerentur, ut Phœnicem Cretæ portum, qui Africũ & Chorum spectat, hyemãdi causa possent appellere. Sed Austro flante, cum ex animi sentẽtia nauigationem successisse sibi existimarent, cum Asso soluentes, Cretam applicarent,

B

plicarent, uentus Typhonicus, qui Euroaquilo uocatur, non ita multo post A nauem agitauit & impulit: quæ cum correpta, non posset impetum uimq; uenti sustinere, ei omnes cum cessissent, huc atq; illuc agitabantur. in paruamq; insulã quę Clauda uocatur, tempestate delati, uix scapham tenere potuerunt: quã conscensa, subsidio usi sunt, deligata naue, ueriti ne in Syrtim inciderent, soluta naue ita agitabantur. Cumq; ui magna tempestatis agitarentur, postero die iacturam fecerunt: sequenti, suis manibus nauis supellectilem proiecerunt. Cumq; nec sol, nec astra multis diebus se eis ostenderent, tempestatisq; uis magna impenderet, sublata eis erat in posterum spes omnis salutis. Tum Paulus in medium omnium procedens: Si me, inquit, audiuissetis, à Creta minimè soluissetis, omniaq; hæc quæ amisistis haberetis. Sed uos nunc hortor, & moneo, ut bono animo sitis. Neq; enim cuiusquã uestrûm uita amittetur, sed nauis tantũmodo. Visus est mihi superiore nocte angelus Dei, cuius sum, quemq; colo, dicere, ne timerem. Cæsari me sisti oportere, Deumq; mihi omnes qui unà mecum nauigarent dedisse. Itaq; bono animo este. Diuina enim benignitate fretus, ita fore credo, ut mihi prædictũ est. nos in quandam insulam peruenturi sumus. Vt autem quartadecima nox fuit, cum omnes intempesta nocte in mari Adriatico huc atq; illuc iactarentur, suspicabantur nautæ aliquem sibi locum ostendi: depressoq; bolide, passus uiginti abesse comperere rũt. paruoq; interuallo progressi, iacto rursus bolide, quindecim passus inuenerunt. Cumq; uererentur, ne in loca salebrosa inciderent, iactis ex puppi ancoris quatuor, optabãt ut lucesceret. Iidẽ cũ ex naui effugere constituerẽt, demersa in mare scapha, quasi ancoras à prora expãsuri essent: tum Paulus Cẽturionẽ ac milites cõmonefecit, nisi illi in naui manerẽt, eos saluos esse nõ posse. Itaq; milites statim scaphæ funib. diruptis, eam in mare demergi siuerunt. Dũ uerò dies expectatur, hortabatur omnes Paulus, ut cibũ caperẽt, quòd ad eorũ salutẽ hoc pertineret. Neminemq;, dicebat, crinẽ capitis amissurum. Quæ B cum dixisset, & ipse, & cęteri iam meliore spe freti cibũ unà cæperũt. Erant autẽ in ea naui ducenti septuaginta sex. Capto cibo, triticum in mare abiecerũt, itaq; nauem exonerarunt. Cum uerò illuxisset, nec terram cognoscerent, animaduertunt sinum quendam, qui littus habebat, in quẽ constituebant, si possent, nauem expellere. Itaq; sublatis ancoris, mari se committebant: laxatisq; gubernaculorũ funibus, passisq; uento uelis ad littus contendebãt. Sed cùm in locum qui utraque ex parte mari cingitur incidissent, nauis ita impegit, ut prora fixa immobilis staret, puppis uerò undarum fluctuumq; ui agitaretur. Quod cum milites animaduerterent, hoc consilij cæperunt, ut uinctos trucidarent, ne quis nando euaderet. Sed Centurio, qui Paulum seruare uellet, eorum tale consilium impediuit: iussitq; eos qui nandi periti erãt, primos ad terram egredi, cæteros partim in tabulatis, partim in aliquo eorum quæ è naui portari poterãt. Ita factum est, ut omnes ad terram salui exierint. Seruati tum deniq; cognouerunt, Meliten eam insulam nũcupari. Barbari uerò magnam omnibus humanitatem ostenderunt. Omnes enim excitato igne, propter imbrem qui impendebat, & frigus, adhibuerunt. Cum uerò Paulus sarmẽtorum magnam uim quam collegisset, in ignem coniecisset, uipera è calore egrediẽs, manum eius arripuit: quam ut Barbari è manu illius pendentem uiderunt, inter se dicebant, planè illum cæde se cõtaminasse, qui cum è mari seruatus esset, eum tamen diuina iustitia nõ sineret uiuere. At ille quidem excussa in ignem bestia, nihil mali sensit omnino. Barbari autem expectabant, dum tumor eum corriperet, aut repentè mortuus caderet. Quod cum illi diu frustra expectassent, mutata sententia, eum Deum esse dixerunt. Erat tum Publius quidam, primus eius insulæ. Is Paulum unà cum socijs in agro suo triduò perhumane habuit. quo quidẽ tempore Publij pater è febre ac dysenteria laborans decũbebat: ad quem cum Paulus accessisset, eum precibus, manuumq; impositione cura-

A ne curauit. Hinc cæteri qui ægrotabant in insula, cum ad eum adijssent, curati sunt. Itaque magnos ei ac socijs honores officiaque detulerunt, quãdiu in insula cõmorati sunt: & cũ soluerent, ea quæ ad uictum pertinebant, præbuerunt. Post trimestre, in nauẽ consc̃ederũt Alexandrinã, quæ in insula hyemauerat, soluẽtesque Syracusas tenuerũt: qua in urbe cum triduũ cõmorati essent, Rhegiũ, inde Puteolos biduo uenerunt: ubi cum nostræ religionis homines inuenissẽt, eorũ rogatu, apud illos septẽ dies cõmorati sunt. ita Romã peruenerũt. Quod cum Christiani, qui Romę erãt, audirent, obuiam eis usque ad forũ Appij & Tres tabernas prodierũt: quos cũ uidisset Paulus, gratias Deo egit, melioreque animo fuit. Romã cum uenissent, uinctos Centurio pręfecto reliquos tradidit: Paulo uerò permisit, ut solus cum milite qui eum custodiebat, habitaret. Tertio quàm uenissent die, primos Iudæorum Paulus accersiuit, quibus exposuit ea omnia quæ ipsi Hierosolymæ accidissent: se, cum patrijs legibus institutisque parẽret & obtemperaret, Romanis deditũ esse: qui cum in ipsum inquisissent, nec pœna capitis dignum quicquam fecisse comperirent, uellentque dimittere, Iudæos intercessisse: ita coactum se, ad Cæsarem prouocasse, non quòd gentem suam ipse ulla in re accusare posset. Eos se ob eam causam accersisse, ut ipsos uideret & conueniret. Se enim, catena ea quam cernerent, uinctum esse, propter spem populi Israelitici. Illi responderunt, nec literas se de eo ex Iudæa accepisse: nec quenquam Iudæorum, qui eò uenisset, nunciasse, aut dixisse quicquam de ipso, quòd religioni repugnaret: se autem petere, ut ab illo audirent, quæ ipse sentiret, cum satis compertum haberent, eam sectam quam sequeretur, ubique terrarum explodi & eijci. Constituto autem ei die, cum plures ad eum in diuersorium uenissent, ipse eis regnum Dei exponebat, ad eaque quæ Christo acciderant, probanda & persuadenda testimonia

B & à legę Mosaica & à prophetis, à prima luce ad uesperum, depromebat. Atque eius orationi alij assentiebantur, alij nullam fidem habebant. Cumque inter se dissentirent, discesserunt, cum Paulus Esaiæ uerba eis conuenire dixisset, quæ sequuntur: Loquere cum populo isto: Audietis, nec intelligetis, uidebitis, & non uidebitis. Cor enim istius populi tenebris offusum est, & auribus tardè audierunt, suos'que oculos obstruxerunt, ne quando oculis uideant, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, eisque medicinam afferam. Scitote ergo, Gentibus Dei seruatorem missum esse, qui audient. Quæ cum Paulus perorasset, Iudæi cum magna controuersia & disputatione discesserunt. Paulus autem biennium totum in suo diuersorio commoratus est, quo quidem tempore omnes qui eò ad ipsum ueniebant, recipiebat: libereque ea omnia tradebat & docebat, quæ ad Christum, eiusque fidem ac disciplinam pertinebant. Quod etsi Lucas de biennio illo tantum dixit, quod duos annos complectitur, qui tertius & quartus imperij Neronis numerantur: tamen decennio etiam quod postea uixit, idem fecisse existimandus est. Vbi autem decennium illud consumpserit, aut uixerit, si quis requirat, mihi quidem Romæ uidetur magna ex parte fuisse, quantum quidem ex eius epistolis intelligi licet. Nam & eam quam ad Ephesios scripsit, & eam quam ad Philippenses, & eam quam ad Colossenses, et posteriorem quam ad Timotheũ, & eam quam ad Philomenem, ex urbe misit. Nam epistola ad Galatas, nõnullorum sententia Roma, aliorũ Epheso missa esse dicitur. Eas autem nec illo biennio, nec eodem illorum decem anno, missas esse, aut scriptas, & rẹs ipsa declarat, & epistolarum ipsarum sententia. in ea enim, quam ad Timotheum posteriorem misit, mentionem honorificã Onesiphori cuiusdam facit: quem cum uenisset Romam, ipsum magno studio cùm quęsiuisse, tum inuenisse dicit, cum etiam uinctus esset. Et in extrema eadem, Timotheum rogat, ut eidem eiusque familiæ salutem dicat. Præterea eadẽ extrema, & tempus mortis suę imminere scribit, & in priore defensione sua se desertum ab omnibus. Atqui Lucas ni-

 hil de

hil de priore illa causæ dictione scribit, sed eum in libera custodia ita fuisse dicit, ut eos omnes qui ad ipsum adirent, docere minimè prohiberetur. Ex quo intelligitur, eũ ex illa custodia toto illo biennio minimè eductũ fuisse. Iam uerò cum ex priore illa causæ dictione, cuius mentionem, ut dixi, facit, posteriorẽ intelligamus: ac tum, cum eandẽ epistolã scripsit, & in uinculis ipse esset, & mortis eius tempus impenderet, ut ipse ait, profectò multos annos post illud biennium Romæ fuit. Huc accedit, quòd iubet in eadem epistola Timotheũ ad se maturè uenire: & in epistolis ad Philippenses, ad Colossenses, & ad Philemonem, eum facit unà secum scribere. Eòdem pertinet, quòd Demã in epistola ad Philemonẽ, adiutorem suũ appellat: & in posteriore ad Timotheũ, se ab eo desertũ esse scribit. Aristarchũ etiã in epistola ad Colossenses, unà secũ captiuum esse dicit: in ea autem quę est ad Philemonem, adiutorẽ suum appellat, cum Epaphram captiuitatis socium, solum nominasset. Eum autẽ non cõsumpsisse Romæ totũ illud decẽnij tẽpus, hinc intelligitur, quòd in posteriore ad Timotheum epistola extrema, eum iubet afferre secũ penulã, quã Troade apud Carpum reliquisset: & Trophimũ se Mileti ægrũ reliquisse scribit: quòd non factũ esse, cũ uel in Gręcia & Asia esset, antequã uinctus Romã duceretur, uel cũ duceretur, hinc sciri potest, quia & Timotheus ipse Romã iam uenerat, & tum iam bis causam ipse dixerat, & finem uitæ suę appropinquare scribit. Et certè amentia est existimare, Paulum scribere Trophimũ à se relictũ ægrum Mileti illis temporibus. Epistola etiam ad Hebræos, eum non semper Romę fuisse declarat. In ea enim extrema scribit, eis Christianos Italos salutẽ dicere: ex quo, ex Italia missa esse intelligitur. Quinetiam in prouinciam Narbonẽsem, eum uenisse reperio & in Hispaniam, cum Paulo uiro sanctissimo, quem Narbonæ pontificẽ præfecerit. Atq; haud scio, an illa ipsa sit profectio, quã ad Romanos se in Hispaniã suscepturũ esse scribit. Sunt enim multi, qui eum in Hispaniã profectum asserunt. Quæ autem de laboribus, periculis, ac supplicijs, quæ pro Christo pertulit, scripsi, ea omnia ex libro Lucæ, qui Acta apostolorum inscribitur, exprompsi. Quæ pręterea ipse de se scribit, ea quoniã uera sunt, iam explicabo. In posteriore quidẽ ad Corinthios, extrema ferè, ter uirgis cęsum se esse scribit: cum semel tantum eũ Lucas uerberatũ esse narret, unà cum Sila. nam à Centurione uerberatus nõ est, cum se ciuem Romanum esse dixisset. Ter etiam naufragium fecisse, in eadẽ epistola scribit, & nocte ac die in profundo maris se fuisse: quorum posterius si à Luca commemoratum est, certè non solum noctem et diem unum, uerùm multos in maris fundo fuit. Nam nec solem, nec sidera ipsa multis diebus nauiganti ei, cum cęteris, uisa esse, cõmemorat. Neq; enim hoc quod Paulus scribit, se nocte et die in profundo maris fuisse, ita intelligendum est, quasi ipse è naui cãdẽs, in mare præceps demersus sit. hoc enim nõ prætermisisset Lucas. Quod aũt ad naufragium attinet, amissionem nauis Paulus socijs nauigantibus prædixit, naufragij autem alterius nullam Lucas mentionem facit. Atq; hic quidem locus me admonet, ut de tẽpore ac loco, quo hæc missa epistola est, aliquid dicam. Alij ex Macedonia Philippis, alij Troade missam esse scribunt. Quod si uerũ est, id constare nõ potest, si ad illud tempus referatur, cum Paulus Romã nõdum uinctus uenerat. Illud enim quod modò ex ea epistola de naufragio protuli, tum accidit, cùm Paulus unà cum socijs mari in Meliten insulam, deinde Syracusas, Rhegiũ, ac tum Puteolos, postremò Romam peruenit. Ita si Troade missa est, aut è Macedonia, eò se retulerit, postea quàm Romã uinctus uenisset, necesse est. Quod satis argumẽti est, eum post bienniũ illud, de quo Lucas scribit, non semper usq; ad extremũ uitæ diem Romæ fuisse. Quòd si quis cõtrà proferat, id quod ipse paulo infrà scribit, raptum se ante quatuordecim annos in tertium cœlum: huic ego respondeo, primùm nõ esse tam perspicuũ, quando illud euenerit, q̃ hoc quod de naufragio cõmemorat. Deinde ab eo qui

A qui hoc opponat, petam, ut illud ipsum quod de naufragio Paulus scribit, explicet. Tum enim tam difficilē hanc quæstionem cognoscet, quàm facile nobis opposuit. Præterea si illum, ut ita dicam, raptum euenisse dicamus illo triduo, quo Paulus Damasci in uia recta in ędibus Iudę orasse dicitur, certè subducta & habita ratione totius temporis, ad eum diem quo alteram ad Corinthios epistolā misit, annos amplius quatuordecim intercessisse intelligemus. Sed ad alia ueniamus. In eadem epistola, pericula multa enumerat, quibus se obiecerit, quorum mentio à Luca nulla facta sit. In ijs sunt fluminum et latronum pericula. In epistola etiam ad Galatas se in Arabiā uenisset scribit. Deinde cum redijsset Damascū, & Hierosolymam Petri uidendi causa, apud quem dies quindecim commoratus sit: deinde post annos quatuordecim iterum Hierosolymam, unà cum Barnaba, & Tito, ut de Euangelij docendi ratione cum Apostolis cōmunicaret. Scribit etiam, se Petro, quem Cepham uocat, cum Antiochiam uenisset, restitisse, quòd se non rectè in euangelij ueritate gereret. In ea etiam quam ad Corinthios priorē misit, se cum bestijs pugnasse, id est, feris obiectum esse scribit: nisi fortè bestiarum nomine homines fera crudelitate præditos intelligamus, sicuti nomine leonis Neronem in posteriore ad Timotheū intellexisse dicitur. Sed de illius morte aliquid dicendū est. Eodem non solum die, sed etiam anno, quo est Petrus Apostolus in crucē actus, Romæ Neronis iussu securi percussus est. quo autem ordine, quaq; de causa, exponendum uidetur. Romę, cum in disciplina & religione nostra propaganda omnem operam & studium dicendo consumeret, pluresq; in dies in fidem ditionemq; Christi subigeret, fortè Patroclus adolescēs, qui Neroni pocula ministraret, quemq; ille charum haberet, cum Pauli audiendi summa cupiditate duceretur, nec ad eum propius accedere propter frequentiam posset, ad locum superiorem, quò eum facilius & audire & uidere posset, ascende-

B rat. Is cū somno oppressus dormiret, cecidisse, eoq; casu interisse dicitur: quod Deo patefaciente Paulus statim cognouit. Itaq; eum introferri ad se iussit, excitauitq; ab inferis, cum omnes hortatus esset, ut in commune id à Deo precarentur. Excitatum ad Neronem ire iussit, unà cum alijs Cæsarianis, ut cum excitatum cerneret, quem mortuum non solum sciret, sed acerbè tulisset, ipse ad Dei cultum deduceretur. Alij priores ad Cæsarem adeunt, eiq; Patroclum reuixisse nunciant. Cæsar continuò eum accersiri iussit: quem ut uiuum saluum & incolumem uidit, miratus est primùm: deinde ab eo quęsiuit, num uiueret? Cumq; Etiam respondisset: quærere etiam instititit, cuius benignitate & opera uiueret, qui mortuus fuisset? ille se IESV Christi domini sui, regis seculorum omnium, beneficio ac munere uiuere respondit. Cæsar cum Christum omniū seculorum regem dici audisset, conturbatus est: eumq; illius animi terrorem auxit id quod deinceps Patroclus addidit, fore ut Christus omnia orbis imperia deleret, eiusq; uoluntati quicquid hæc uniuersitas complecteretur, obtemperaret, quòd regum omnium esset & maximus & potentissimus. Tum eum colaphum ei infregisse dicitur, cum hac oratione: Ei ergo regi nomen dedisti? Quod cū annuisset, nōnulli qui aderant ex suis, eū grauiter obiurgasse dicuntur, quòd adolescētem, qui tam prudenter respondisset, malè mulctasset. Itaque se etiam regi illi parēre dixerunt. Nero furore incensus, eos omnes in uincula conijci quamprimùm iussit, omnesq; conquiri atq; interfici diuersis supplicijs, qui se illius regis imperio obedire dicerent. Producuntur multi cum uinculis, & ad Neronem adducuntur: in his Paulus, in quem ita cæteri uincti conijciebant oculos, ut in ducem, ut hoc etiam Nero facile intelligere posset. Itaq; ad eum unum orationem auertit, quo ore in imperium Romanum clàm uenire ausus esset, ut inde abstractum & abductum populum Christo, quem regem suum prædicaret, adiungeret. Paulus non solum ex illo quasi orbis angulo, sed ex omnibus imperijs se Christo homines colligere et comparare di-

xit. Sibi enim ab illo negotium datũ esse, ut neminem cõtemneret aut abijce A
ret, qui in ipsius fide & imperio esse uellet. Quòd si ipse & in illum credere, & eius dicto audiens esse constitueret, id sibi licitum esse intelligeret: quòd si faceret, uitam eum sempiternam esse consecuturum. Eundemq; u enturum esse dixit, ut suum cuiq; pro dignitate reddat, tum'que hæc omnia igne deflagraturum. Nero cum mundi deflagrationem audisset, iracundia incitatus, furiaque quadã agitatus, omnes qui huic tali regi parêrent, quàm primùm uiuos exuri iussisse dicitur. Sed Paulus quoniam ciuem se Romanũ esse prædicauerat, Longino, Megisto & Aresto traditus est, qui eũ quàm primùm extra urbem palàm & publicè securi ferirent. Cumq; nuncius eius mortis & supplicij serius quàm optaret, ueniret, duos ex militibus suis, Feregam & Partemium misit, qui uiderent, an securi percussus esset. Illi uenientes, eum in media ferè urbe ad populum de magnis Christi uirtutibus & operibus differentẽ offendunt. quos ut uidit: Venite, inquit, & uos filij, credite in Deum unũ, & filium eius unigenitum, Dominũ nostrũ IESVM Christum, Seruatorẽ omniũ, ut uiuant animi uestri. Milites se à Nerone missos dixerunt, qui uiderent, an eo mortis genere quod præscripsisset, affectus esset. Quòd si ab inferis, cum morte mulctatus fuisset, excitaret, ita deniq; se credituros. Ad hęc ille respondẽs, eos admonuit, si ad sepulchrum ipsius uenirent, fore, ut duos uiros, Titum & Lucam orantes inuenirent, à quibus hoc ipsum cõperire possent. Vix dicendi finẽ fecerat, cum alij duo à Nerone missi interuenientes, arreptũ comprehensumq; eum extra urbem in uiam Ostiensem pertrahunt, & iuxta gladium crucẽ parare iubent. Quod ut uidit Paulus, ad ortum se cõuertisse, passisq; in cœlum manibus, cũ lachrymis diu orasse dicitur. Finem orandi cum fecisset, B
Christianis omnibus qui eum secuti fuerant sublatis, eisq; pace data, genua humi defixit, totum'que se signo crucis muniens, lictori ceruicem & iugulũ præbuit. Ex ceruice, cum securi percussus esset, pro sanguine lac, quasi integritatis & innocẽtię signũ, fluxisse dicitur. Sepultus est autem eadem uia, ubi postea templum ei ædificatum & dicatum est. Quatuordecim, quæ extant, scripsit epistolas: ad Romanos unam, ad Corinthios duas, ad Galatas unam, ad Ephesios unam, ad Philippenses unam, ad Colossenses unam, ad Thessalonicenses duas, ad Timotheum duas, ad Titum unam, ad Philomenem unam, ad Hebræos unam. Eum ego ordinẽ ijs enumerandis secutus sum, nõ quem ille mittendis tenuit, sed quem maiores nostri ecclesię instituto eis describẽdis & attexendis ijs libris qui Noui Testamenti nomine appellantur, adhibuerunt. Plenæ sunt omnes institutionis, disciplinæq; Christianæ, refertæ'que omnibus quæ ad bene beateq; uiuendum pertinent, præceptis & sententijs. Vehementi & maximè incitato dicendi genere usus est, quod crebræ illius interrogationes uel docendi causa, uel refellendi, uel etiam obiurgandi adhibitę, indicant. Ordinem eum quem natura & ars proponunt, secutus est. Primùm enim si quid est quod obsit, tollit ac reprehendit: deinde quæ tenendu sunt docet, & ad extremum epistolam cohortatione concludit. Obscuræ sunt in eo pleræque circumscriptiones, quod de nonnullis beatus Petrus in extrema altera minimè tacuit. Hinc pleriq; usque à primis disciplinæ nostræ temporibus, cum arbitratu suo difficilia loca interpretarentur, errare cœperunt, & ab ecclesia discedere: quod etiam hac memoria nostra in plerisque animaduertimus. Duas præterea, quæ non extant, se scripsisse confirmat: ad Corinthios unam, alteram ad Laodicenses.

VITA

VITA BEATI ANDREAE apostoli, Ioachimo Perionio Benedictino Cormoeriaceno auctore.

A ANDREAS Simonis Petri frater, Iona, siue Ioanne patre, in uico Bethsaida, prouinciæ Galileæ, natus est. Is primùm, ut cæteri Apostoli, in Christi disciplinam se tradidit: deinde eius benignitate, ex cõmuni discipulorum numero ad Apostolatus ascendit dignitatem. faciamus enim hoc uerbũ tritum, ut alia quæ in easdem syllabas exeunt, in quas cõsulatus. Quod quemadmodũ contigerit, non alienũ erit ex literis sacris exponere. Bis quidẽ Andream & Petrum eius fratrẽ uocatos esse, inuenio: semel, cũ Ioannes is qui Baptista (teramus enim usu, hoc etiã uocabulum) uocatus est ex eo, quòd Christũ potissimum baptizauerit, absente Petro, ambulantẽ Christum uidens, discipulis duobus audiẽtibus (in his Andreas) eũ esse agnũ Dei dixit: iterũ, cum ad mare Galileæ ambulãs, Petrũ & Andream fratrẽ eius uocauit. Sed melius est, hæc duo eo ordine quo gesta sunt, exponere. Ioannes quidem is de quo paulo antè dixi, cũ IESVM ambulantem cerneret, hoc de eo, duobus discipulis audientibus & spectantibus asseuerauit, eum esse Dei agnum. Quod cum duo illi (in his, ut dixi, Andreas) audiuissent, Christum secuti sunt. Christus, qui eos se sequi cognosceret, conuersus, eos rogauit, quid'nam quærerent. A' quo cum illi quæsiuissent, ubi habitaret, ille'que ita respondisset, ut diceret, Venirent ac uiderent: ipsi uenerunt ac uiderunt, eo'que die, cum iã tum hora ferè decima esset, apud eum commorati sunt. Andreas autem, qui unus eorum duorum, ut dixi, erat, cum huius tantæ charitatis & muneris Simonem fratrem, socium esse uellet, eum primùm diuini consilij instinctu inuenit, ei'que se Christum inuenisse dixit, eumq; ad IESVM adduxit: quem cũ IESVS uidisset, eum & Simonem uocari, & Ionę filiũ esse dixit: pòst uerò Cephã, id est, Petrum eundẽ uocatum iri. Atque ea quidem, quæ de priore, ut ita dicam, uocatione utriusq; à Ioanne exposita sunt hactenus. Altera aũt à Matthæo & Marco exposita est, his uerbis: IESVS cũ ad mare Galilæę ambularet, duos fratres uidit, Simonem qui uocatur Petrus, & Andreã, qui retia in mare iaciebant: eisq; iussit, ut se sequerentur. Quod si facerent, fore ut ab ipso piscatores hominũ fierent. Quod illi ita sibi faciundũ censuerũt, ut statim eum relictis retibus sequerentur. Lucas uerò aliquid aliud addit. ait enim, Christũ, cum ad stagnũ Genesaret staret, duas naues ad stagnũ stantes cõspexisse, tum cum piscatores retia lauarent: eumq; in alteram, quæ esset Simonis, conscendisse, ab eoq; cõtendisse, ut eã paulùm à terra reduceret. In ea uerò IESVM sedentẽ docuisse turbas. Cum aũt finem dicẽdi fecisset, Simoni imperasse, ut in altum duceret, & ad capiendos pisces retia laxaret. Petrum uerò dixisse, cum pręceptorem eum appellasset, se, etsi unà cum socijs totã noctem consumpsisset, nihilq; cæpissent, tamen eius iussu ac nomine rete laxaturum: quod cum fecisset, tãtam uim captam esse piscium, ut rete rumperetur. Quæ quidem res (ut alia prętereã, quæ alio loco cõmodius exponentur) Simoni socijsq; eius omnibus tantę fuit admiratoni, ut relictis omnibus eum secuti fuerint. In ijs autem cum fuerit Andreas, Matthæi Marciq; sententia, non est id quidẽ dubium, quin Lucas eundem sociorũ Petri nomine & in ijs qui cum eo erãt, intelligat. Atque hęc quidem sunt, quę de Andrea ab Euangelistis tradita accepimus. Nihil enim de eo in libro qui Acta apostolorum inscriptus est, tradit: nisi quod unà cũ cæteris Apostolis, cũ Christus ijs spectãtibus in cœlũ conscendisset, Hierosolymã reuerterit. Nec uerò dubiũ est, quin idẽ euangeliũ, Christi iussu mũdo diuulgauerit atq; patefecerit. Quod ubi'nã perfecerit, quoq; modo, & quo mortis

supplicijque genere in cœlũ ad Christũ migrauerit, in animo est ea secutis quę ab eius discipulis tradita sunt, exponere. Andreas quidẽ in prouinciarũ diuisione ac partitione Achaiam obtinuit, sed in urbe eius prouinciæ clarissima, quæ Patrę dicitur, ferè exhortationis legationisque munere functus est. Is cum in illa prouincia, ea quæ Christianæ religionis sunt, traderet ac doceret, angeli monitu ac iussu Myrmidonem urbem uenit, ut Matthæum apostolum, quem effossis oculis incolæ in uincula coniectum, paucis interiectis diebus interficere cogitabãt, liberaret. Cumque ad carcerem diuino nutu rectà, obsistente nemine, peruenisset, uiso beati uiri squalore, animaduersisque oculis, quibus priuatus erat, ingemiscens, orauit Christum, ut ipse qui cùm morbos omnes curasset, tũ cæcis aspectũ restituisset, Matthæo seruo suo oculorum munus redderet, ut uerbũ suum annunciaret. Vix ille perorauerat, cũ & carcer terræ motu cõmoueri, magnoque fulgore collucere illustrarique cœpit: & Matthæo aspectus restitutus est, & illius ac cæterorum qui in eodem carcere erant, uincula soluta sunt. Quæ omnia tantã admirationem omnibus, qui tanto beneficio affectos se uiderunt, excitauit, ut magnum Deum esse prædicarent, quem serui sui nunciarẽt. Tum uerò educti omnes è carcere, ad sua quisque se recepit: Matthæus aliò cõmigrasse, Andreas in ea urbe aliquãdiu cõmoratus esse dicitur, prædicandi uerbi diuini gratia. Quod cum facere constituisset, incolæ ex ijs qui uincti fuerant, re, quæ ab eo acta erant, cognita, comprehensum eum ac uinctum per urbem trahere cœperunt. Iamque euulsis crinibus cruor è capite defluebat, cum ipse Christum rogare cœpit, ut illorum mentẽ animumque lumine sancto illustraret, ut & ipsum cognoscerent, & ab illo errore peccatoque quod eis ne noxæ esset peteret, resipiscerent. Metus omniũ statim animos occupauit tantus, ut dimisso Apostolo se in illũ magnum scelus, imprudẽtes admisisse faterentur. Itaque rogare eum se, ut & hãc ueniã sibi daret, & uiã salutis ostenderet. Ille erectis (se enim ad eius pedes abiecerant) Christi uitam, mira opera, denique pœnam crucis, quam ille salutis omnium causa subijsset, exposuit. Quod illi ita libenter cupideque audierũt, ut quam primùm salutari aqua expiarentur. Cum uerò eos satis in Christi fide ac religione cõfirmatos cerneret, in Achaiam Patras reuersus est. In hac urbe cum oratione sua multos iam ad Christi fidem traduxisset, Aegeas proconsul (proconsulem enim eum fuisse inuenio) hac re comperta, in eam eo consilio uenit, ut eos qui Christũ Deum esse credebant, idolis immolare, diuinosque honores tribuere cogeret. Andreas, qui Aegeæ consilio factoque quàm primùm obsistendum esse intelligeret, eum adijt, hisque uerbis est allocutus: Eum oportere, qui hominum iudex esset, iudicem suum qui in cœlis uersaretur, cognoscere, cognitum colere, & colendo eum qui uerus esset Deus, animũ à falsis dijs reuocare. Quæ ille uerba tam impotenti animo accepit, ut ab eo quæreret, esset'ne ipse Andreas is, qui & deorum templa euerteret, & hominibus superstitiosam sectam, quam nuper Romani principes explodi eijcique iussissent, suaderet. Andreas Romanos principes planè cognosse negauit id quod uerum esset, Dei filium, cum salutis hominum causa in mundum è cœlo uenisset, docuisse idola, quibus diuinitatem tribuerent, non solum deos non esse, sed dæmonia teterrima, generi hominum inimica, quæ nihil homines docerẽt, nisi id quo Deus offendat, offensus auertatur, auersus eos non audiat: ob eamque causam ita pręcipites illi in omne peccati genus diaboli quasi imperio in omni uita ruant, ut in eis cũ migrant, nihil præter malè facta remaneat. Hæc ille anilia delyramenta esse, præsertim cum Iudæi IESVM, quem ille prædicaret, eadem docentẽ, in crucem egissent. Itaque aut hæc docere atque eum prædicare desineret, aut se cruci suffigendum quàm primùm intelligeret. Ille in semel suscepto cõsilio permanens, hoc de supplicij genere respondit: Se, si crucis patibulum extimesceret, crucis honorẽ & gloriam non prædicaturum fuisse. Tum sentẽtia in eum lata esse

A esse dicitur, Andream nouam sectam quæ deorum religionem tolleret, inuehentem & docentem, in crucem agendum esse. Cum autem ad locum in quo crux fixa erat, supplicij causa duceretur, concursus factus est uoce magna clamãtium, innocentẽ eum sine causa atque adeò iniuria damnari. Ille uerò cũ crucem eminus intueretur, eam salutauit: hortatusque est, ut discipulum eius, qui ei suffixus fuisset, exciperet: eam dedicatã atque cõsecratam esse Christi corpori, eius'que mẽbris quasi margaritis ornatã, diu eũ defatigari ipsam expectãdo, quemadmodũ Christum magistrum expectasset: lætũ se ad illam uenire, cuius desiderio iã diu teneretur. Itaque orare, ut se exciperet, ac magistro redderet: ut per illã ipsum Christus reciperet, qui per eam ipsum redemisset. Cumque uentum esset ad crucem, primùm Christum orauit: deinde populũ hortatus est, ut in ea fide ac religione quã tradidisset, permaneret. In cruce uerò biduum uixit, cum interea nullũ finem docendi populi fecit. Qua illius doctrina & maxima cõstantia adductus populus, proconsulem adijt, maxima'que uoce ab eo contendit, ut sibi hominẽ, qui iustè, piè, sanctè uixisset, redderet, neque hominẽ Deo charũ, ac clementẽ interficeret. Quòd si in proposito permaneret, se effracturum ipsius fores, minitari, eumque interfecturum. Aegeas proconsul populi tumultuãtis furori cedendum ratus, egreditur, atque unà cũ eo ad crucem, ut Andreã eriperet ac solueret, proficiscitur. Quẽ ut uidit Andreas, eum rogauit, quamobrẽ ueniret? num in animum induxisset, eis assentiri quæ doceret? Cumque populus eum eo consilio uenire diceret, ut illum liberaret: ille Christum orare cœpit, ne se ab ipso separari, ac de cruce deponi sineret: se enim uim crucis, quã semper optasset, sentire: tempus esse, ut terræ corpus ipsius cõmitteret, ac spiritũ quem illi cõmendaret, acciperet. Ita in cruce

B pridie Calẽdas Decembris spiritũ edidit. Eius aũt corpus Maximilla quædã Deo chara, cum aromatib. preclarissimo, tãtoque & Apostolo & uiro dignissimo loco sepeliuit. Eius sacrosanctas reliquias, cũ Lucæ ac Timothei, Hieronymus, in libro quẽ in Vigilantiũ sanctorũ eorumque reliquiarũ hostem scripsit, à Constantino imperatore Cõstantinopolim translatas, maxima populi frequẽtia asserit. Gregorius uerò Turonẽsis, sanctus põtifex, scribit, in Achaię oppido, in quo Andreas Christi nomine mortẽ, ut dixi, perpessus est, die illius festo etiã memoria sua mannã farinæ specie, cũ odore miræ suauitatis, ex illius tumulo manare solitã, ex eo'que oppidanos ita anni insequẽtis tũ ubertatem, tũ caritatem & sterilitatẽ intelligere, ut si magna copia redũdet, ubertatem, sin exigua, sterilitatem significari sciant: oleum'que scribit, quod interdum usque ad mediũ templum fluxerit, profuisse tũ ægris, siue in potione adhiberetur, siue eo plagæ uel mẽbra morbis affecta inungerentur. Idẽ miraculũ exponit, quod pretermittẽdum nõ censui. Valet enim ad Christi, & Apostoli eius laudem & gloriã. Clodomere Francorũ rege interfecto, cũ exercitus collectis uiribus Burgundiã uastaret, tẽplum quoddã, in quo beati Andreæ & Saturnini reliquiæ conditæ erant, ita iã incensum erat, ut tigna exusta caderent. Loci autem incolæ nõ tam rerum suarũ, quàm harum reliquiarum amissione permouebantur, ut miseros se esse clamarent, quibus tantorũ sanctorũ præsidio carendũ esset. quod si cõtingeret, nullã iam sibi salutis spẽ reliquam fore iudicabãt. His ita cõquerẽtibus, & acerbè ferẽtibus: Turo quidã prestò fuisse dicitur: qui cùm horũ lachrymis ductus, tũ sanctorum uirtutẽ sentiens, nõ minus fide quàm armis protectus, se in medias flãmas immisit, arreptasque à sancto altari reliquias saluus & incolumis foras extulit. Sed continuò ita cõstrictus hæsit, ut se antè mouere non posset. Itaque se indignum ratus, qui reliquias ferret, puellam quæ sacra præda se non cõtaminasset, delegit, eius'que ceruici reliquias alligauit.

DIVI IACOBI APOSTOLI, IOannis apostoli fratris uita, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno auctore.



IACOBVS Zebedæi filius, Ioannis autem apostoli & Euangelistæ frater, à Christo hoc ordine, ut Matthæus scribit, discipulus delectus est. Cum Petrus, & Andreas eius frater, in naui essent, retiaque in aquam capiendis piscibus demitterent, Christus illis in disciplinam uocatis, longius progressus, Iacobum, de quo dicimus, & Ioannem, in naui animaduertit unà cum Zebedæo patre retia reficientes: quos cum moneret, ut se sequerentur, illi sine mora relicto patre, abiectisque retibus, eum secuti sunt. quod de disciplinæ ratione intelligendum est. Neque enim Christus quenquam ex discipulis Apostolum separatim delegit, sed cum magnum iam discipulorum numerum partim nouis inauditisque operibus, partim uitæ quàm integerrimam ageret, opinione sibi adiunxisset, ex tanto numero duodecim modò selegit, quos Apostolorum appellauit nomine: quod in mõte factũ esse, Lucas cõmemorat. Iacobus autẽ hic, cuius uitam scribimus, quantum apud Christum gratia & amicitia ualeret, hinc intelligi potest, quòd eũ ille quãdiu hic uixit, in ijs habuit semper, quos remotis cæteris quasi arbitris, ad res præcipuę charitatis indices adhibuit. Nam & in montem, in quo tum eius facies summo splendore illustrata est, tum uestes simili candore nituerant, unà cum alijs duobus Petro & Ioanne, tantæ gloriæ suæ testem futurum duxit: & pridie quàm salutis hominum causa interficeretur, eum duobus eisdem adiunctis, secreuit à cæteris. Eum quidem ab Herode securi percussum esse, Lucas in Actis apostolorum commemorat: sed quoniam ad alia properans, rei ordinem prætermisit, non erit alienum pauca de eius & doctrina & morte dicere. Ei Samaria & Iudæa prouinciæ obtigerunt, quas cum docendę ueritatis causa peragraret, atque in publicis conuentibus palàm ac liberè Christum Dei filium esse profiteretur: Hermogenes quidam magus, discipulum quendam ex suis, Philetum nomine, ad illum misisse dicitur, eo consilio, ut eum refelleret. Quò cũ ille adhibitis aliquot Pharisæis uenisset, conareturque docere, IESVM Christum, cuius se Apostolum commemoraret, non esse, ut ipse prædicabat, Dei filium: Iacobus ei facilè restitit, eũque ita scripturis refellit, ut ad Hermogenem rediens, hæc magna clara'que uoce, uictus à ueritate, dixerit: Iacobum, inquit, Hermogenes, eum qui se IESV Christi & seruum & apostolum esse confirmat, scito abs te uinci superarique non posse. Nam & cacodæmones eius appellato nomine, ex hominum corporibus ejci ac expelli, & cæcis pristinum oculorum aspectum restitui, & eos qui elephantia infecti erant, purgari uidimus. Quinetiam mortuum ab inferis eum excitasse, nonnulli qui maxima mecum necessitudine coniuncti sunt asseuerant. Quid multa? Scripta diuina omnia memoria tenet, quibus docet non alium esse Dei filium, nisi IESVM quem Iudæi in crucem egerint. Itaque si consilium quod tibi do, magistro discipulus, sequare: ueniensque ad eũ ueniã petas, melius certè tibi rationibusque tuis consules. Si enim hoc neglexeris, artẽ istam tuã scito nihil tibi deinceps prodesse posse. Nã quod ad me attinet, hoc tibi uelim persuadeas, me ad illum reuerti decreuisse, petereque ab illo maiorem in modum, me ut in disciplinam recipiat. Hęc cum Hermogenes accepisset, ira percitus, Philetum ita arte sua fixit, ut penitus se loco mouere non posset: tumque per ridiculũ: Iam, inquit, uidebimus an Iacobus tuus ueniens, te posit soluere. Philetus, qui his uerbis Apostolum malè acceptum irrisumque cerneret, misit ad illum continuò puerum suum, qui ei hæc omnia exponeret. Apostolus factus certior, ei sudarium suum ad Philetum perferendum dedit, ut

A ut cum illud accepisset, hæc diceret, Dominus Iesus Christus erigit elisos, compeditosque soluit. Puer ilicò præceptis apostoli paret, magnisque itineribus ad herum contendit. Philetus sudario accepto, cum uerba illa pronunciasset, statim uincula quibus uinctus erat, soluta sunt. Quod cum non sine summa admiratione animaduerteret, contempta irrisaque arte Hermogenis, ad Iacobum confugit. Hermogenes hinc furijs quibusdã agitatus, ad insaniã adigit, nec quid faciat, habet. ab arte tamen sua præsidium petit, appellat cacodæmones, eisque imperat, ut se ad Iacobum Philetumque cõferant, eosque ad se, ut de illis ipse supplicium sumeret, pertrahant. sic enim fore, ut Phileti supplicio cæteri discipuli à simili audacia deterreantur. Parẽt illi quidem, sed ut primùm ad eum locum in quo Iacobus orabat, peruenerunt, uociferari ac rogare cœperunt, ut misericordia ipse commoueretur. se enim iam ante incẽdij tempus ardere. Ille quãobrem uenerint rogat. causam quam paulo antè exposui, ab eis discit, eosque Iesu nominẽ ut Dei angelus soluat, clara uoce ut omnes intelligerẽt, Deum precatur, eisque imperat, ut ad se Hermogenem saluum & incolumem perducant. Abeũt illi, Hermogenemque ligatum uinctis à tergo manibus, ducunt ad Iacobum: ita tamẽ, ut hoc illi in itinere obijcerent, quòd ipsos eò misisset, ubi incendio cõflagrassent. Perductũ Iacobum stultissimũ eum hominẽ appellat, quòd cum generis hominũ hoste rem haberet: nec cõsideraret, se ab illo cõtendisse, ut angelos suos ad ipsius perniciẽ exitiumque mitteret, quos ipse ne in illum impetum facerent, uetaret. Clamare etiã tum cacadæmones, rogareque Iacobum, ut Hermogenẽ sibi dederet, de quo ita consulerent, ut & illius iniurias, & sua incendia ulciscerentur. Iacobus eos rogat, cur Philetũ qui aderat, nõ arriperẽt: cumque illi negarẽt uel formicã quæ in ipsius cubiculo esset, se posse cõtingere,
B ipse Philetum docuit, disciplinę religionisque nostrę esse, bene mereri de ijs qui male de nobis meriti sint. Itaque eum iubet Hermogenẽ soluere, qui ipsum uinxisset: & qui uinctũ à dæmone ad ipsum pertrahere conatus esset, liberũ solutumque eũ dimittere. Solutus Hermogenes primùm abiectus stare cœpit: deinde cum ei Iacobus potestatẽ abeundi quò uellet, fecisset, quòd negaret disciplinæ nostræ esse, quenque ad eam inuitũ traducere, se ille dæmonũ furorẽ nosse dicit: ob eamque causam minimè dubitare, quin arreptum se illi diuersis supplicijs necarent. Apostolus eius uicem dolens, illi scipionem, quo ipse in itinere uti solitus esset, tradidit, eumque bono esse animo illo comite iussit. Magna uis illo in bacillo inesse uisa est. Vt enim domũ Hermogenes uenit, illudque & suis & discipulorũ suorum ceruicibus apposuit, repentè totus mutatus est. cõquisitos etiã tunc libros qui de magia scripti erant innumerabiles ad Iacobũ pertulit, eosque æquo animo exuri passus est. Hinc se ad Apostoli pedes abijcere cœpit, petẽs ab eo maiorẽ in modũ, ut pœnitentẽ reciperet, quem inuidentẽ et obtrectantẽ adhuc tulisset. Iacobus qui ignoraret, quo id animo cõsilioque faceret, respõdet: Si uerè & ex animo ipsum actę ad illud tẽpus uitę pœniteret, ueram eum misericordiã à Deo ueniãque esse consecuturũ. Ad quæ ille: Tam, inquit, ueram Deo pœnitentiã offero, ut & omnes codices meos qui malis artibus referti erant, ut scis, abiecerim, & omnibus inimici artibus nunciũ remiserim. Quod cum Apostolus ex eo accepisset, imperauit illi, ut iam uerũ esse doceret ac profiteret, quod falsum esse asseuerasset: simulacrũ quod ueneraret, & à quo oracula se accipere putaret, in partes diuideret ac cõminueret: pecunias quas malis artibus quæsiuisset, in res bonas profunderet: ut quemadmodũ diaboli filius eum imitando fuisset, Dei iam filius efficeretur, qui quotidie in ingratos beneficia cõferret, & in obtrectatores clementem se præberet. Si enim tu, inquit, cum in Deum impiè tam multa feceris, ipse cõtrà multis te bonis affecit, quãto in te futurus est benignior, si & magus esse desieris, & benefactis ei gratus studueris esse? Hæc atque talia cum Iacobus dixisset, ita Hermogenes eius

preceptis paruit, ut perfecta absolutaque uirtus quę deinceps in eo fuit, ad mira A inusitataque opera perueniret. At Iudęi cum nō Hermogenē modò quem inuictum putarāt, uerumetiā eius discipulos & amicos omneis in Christi fidem Iacobi oratione traduci recipique animaduerterēt, Lysiæ ac Theocrito centurionibus, qui tum illis locis pręfuisse dicunt, pecunia largitionibusque persuaserūt, ut eum in custodiā traderent. Orta aūt seditione, ut fit, in populo, eum educi è custodia, audirique quemadmodū lex iubebat, placuit. Eductū Pharisęi rogant, cur Iesum Christū hominē, quem inter latrones in crucem sublatū esse constaret, publicè laudib. ornaret. Ipse cum eos Abrahæ filios appellauisset, altè petito exordio, hoc Abrahæ à Deo promissum esse dixit, fore ut nationes omnes illius seminis, id est posterorū hæreditatē adirent, semenque illius nō in Ismahele, qui unà cum Agara matre eiectus fuisset, sed in Isaco intelligi, cū hoc Deus ipse declarauerit his uerbis, In Isaac uocabit tibi semē. Abrahamū uerò amicū Dei appellatū esse antè quàm præceptū de circumcidēdo pręputio à Deo accepisset, antè quàm sabbatum coleret, antè quàm legem ullam diuinitus latam cognosceret: eumque amicitia cum Deo coniunctū fuisse, non quòd præputij sui carnem ipse circuncidisset, sed quòd Deo credidisset, cum prædixisset, ad omnes gentes eius seminis uenturā esse hęreditatem. Quòd si Abraham, inquit, gratiam à Deo inijt, cum ei fidem hoc pollicenti ac prædicēti habuit, certè perspicuū est, eum qui illi non credat, inimicitias cum eo exercere. Cumque Iudæi quærerēt, quisnam esset tam amens, qui Deo non crederet: eum respondit, qui nō crederet seminis Abrahæ hęreditatem ad omnes gentes minimè peruenturā esse, qui Mosi, Esaiæ, Hieremiæ, Danieli, Dauidi, cæterisque prophetis, qui de Christi aduentu, morte, resurrectione, ascensu in cœlum certissima clarissimaque testimonia dixissent, fidem non haberet. Atque hæc omnia Iacobus ex prophetis B memoriter cum maxima eorum qui aderant admiratione pronunciauit: multaque præterea exposuit, quæ à Christo facta sunt & tolerata, ut prophetę prædixerant. Quibus cōmemoratis omnibus, fieri posse negauit, quin Iudæi qui hęc minus crederēt, perpetui ignis supplicio afficiēdi essent, ac debitas pœnas daturi, cum pręsertim ij qui essent ex gētibus, in prophetarū scripturis sententijsque acquiescerēt. Itaque omnes qui circunstabant, hortatus est, atque monuit, ut hæc ipsa tam grauia tamque indigna scelera lacrymis obliterarēt atque delerēt, ut nostram, inquit, pœnitentiā Deus pro eximia sua misericordia et benignitate gratam acceptamque habeat, ne ea nobis eueniant, quæ contemptoribus euenerunt, de quibus Dauid ita scriberet, Aperta est terra, & deglutiuit Datan, & operuit super congregationem Abiron. Quæ cum dixisset, aliaque permulta, in eandem sententiam omnes ad unum clamare cœperunt, se peccasse, iniustè se egisse: itaque orare, ut ipse quid agerent, præscriberet. Ille eos bono esse animo iubet, admonetque ut tantum credant, uitalique aqua expientur. Erat tum Hierosolymis Abiatharus pontifex, qui cum tam magnam multitudinem ad Christi religionem fidemque traduci molestè, acerbeque ferret, pecunia Apostolū in tantam inuidiam odiumque apud Pharisæos adduxit, ut Iosias scribarū unus eum iniecto in collum fune ad Herodem statim perduxerit. Perductum Herodes securi feriri iussit, quemadmodum ex eo libro Lucæ, qui Acta apostolorū inscriptus est, intelligi potest, quo in libro ille missos esse milites scribit ab Herode qui Iacobum cōprehenderent: quod factum esse tum, cum primùm Iudæi ob Hermogenem infesto in eum animo esse cœperunt, intelligere debemus. Sed ad propositum reuertamur. Cum Iacobus Herodis iussu ad locum in quo securi eum feriri oporteret, duceretur, paralyticū in uia, ut Clemens Alexandrinus, teste Eusebio in historia Ecclesiastica, tradit, uidisse dicitur, orantem ut se curaret. Quod cum ipse Christi nomine fecisset, Iosias Scriba ille, quem funem eius ceruicibus iniecisse, paulo antè dixi, eo extracto, se ad illius pedes misit,

A misit, magnis precibus petens, ut & sibi ignosceret, & se sacro lauacro expiaret. Iacobus qui hæc illum diuino afflatu ductum dicere intelligeret, rogare eum cœpit, Iesum'ne Christum, quem Iudæi in crucem egissent, uerum Dei filium esse crederet: quod cum ille se credere profiteretur, Abiatharus pontifex eum statim comprehendi iussit, eodemque mortis genere quo Apostolum mulctatum iri dixit, nisi quod primum & à Iacobo se disiungeret ac secerneret, & nomini Christi malediceret. Sed cum, ut nostri loquuntur, maledictum illius nomen, Christi autem benedictum uoce magna diceret, Abiahtarus os eius pugnis cædi, eumque cum Iacobo securi feriri iussit. Cum autem uentum esset ad locũ supplicij, lictorẽ Iacobus rogasse dicit, ut antè quàm feriret, aquam iuberet afferri. Aqua allata quæsiuit à Iosia Apostolus, num in Christũ Dei filiũ crederet: qui cum se credere diceret, expiatus est ab Apostolo aqua salutari, osculoque dato cruce frõs illius cõsignata est. Quib. ritè perfectis, uterque eadem hora eodẽque loco morte mulctatus migrauit ad Christũ VIII. Calen. April.

DIVI IOANNIS APOSTOLI VITA,

Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno auctore.



Oannes Iacobi Apostoli, quem Herodes gladio interficiendum curauit, frater, Zebedæo patre natus est. Is à Christo unà cum Iacobo fratre, cum in mare Galilęæ piscatores retia reficerent, uocatus, statim relicto patre rebusque omnibus, se in illius disciplinã, quemadmodũ Matthæus & Marcus exponunt, tradidit. Inde ex cõmuni discipulorũ numero ad Apostolici ordinis dignitatẽ & honorẽ Christi benignitate ascendit. Eundẽ Christus præcipuo quodã amore prosecutus est semper, quod ex illius libro qui Euangelium inscriptus est, intelligi potest. Semper enim cum de se sermonẽ infert, proprio prætermisso nomine, discipulum se esse dicit eum, quem Christus charũ haberet, quasi ex illa re aduentitia omnes quis esset, intellecturos arbitraretur. Quòd si nefas est quenquam ab illo falsò iactatum esse existimare, nos & uerum id esse credere, & qua de causa omnium charissimus Christo fuerit, exquirere debemus. Eum quidẽ ipse Christus cum remotis arbitris & in monte mutata forma instar solis fulsit eius facies, & in orto oleis consito pridie quàm mortem perferret, patrẽ orauit, semper adhibuit: sed quoniã & Petrum & Iacobum eius fratrẽ illius gloriæ suæ atque consilij participes esse uoluit, non ex eo singularẽ precipuamque illius in eum charitatem intelligere aut colligere possumus. Alia igitur quærenda sunt summi huius amoris argumenta. Duo quidẽ potissimũ mihi diligenter cõsideranti occurrũt. Vnum quod in extrema illa cœna, ad quã duodecim apostolos adhibuit, cum perturbato more hominũ animo eis ipse predixisset fore, ut unus ex eis ipsum proderet, omnesque maximo, ut par erat, dolore affecti, quẽ hoc uerbo intelligeret, hęsitarent, Petrus qui omnia solitus esset audacius gerere nõ à Christo, sed à Ioanne quisnã esset quẽ suo sermone Christus significaret, quęsiuit, quod scilicet tantũ sibi de Christi in Ioannẽ amore persuaderet, ut facilè ei rem totã enunciaturũ putaret. Quę eũ nõ fefellit opinio. Nam cũ Ioannes caput in Christi sinu, quod maximæ familiaritatis amorisque singularis argumentũ est & certissimũ & clarissimũ, reposuisset, rogatus quisnã esset quẽ diceret, eum esse respõdit, cui intinctũ panẽ iam porrecturus esset. Hinc omnes disciplinæ nostræ auctores hominesque clarissimi ex Christi pectore eum hausisse tradũt mysteria maxima, quæ initio euangelij sui de Verbo (terendũ est enim usu hoc uocabulũ) id est de Dei filio exposuit & enũciauit. Sed nõ uideo cur nõ etiã in exilio hæc, multoque plura alia ei patefieri ostẽdique potuerint. Atque hoc quidẽ unũ argumentũ est. Alterũ est eiusmodi. Cũ Christus salutis omniũ nostrûm causa

cruci suffixus, Mariam matrē Ioannēq; discipulū quē diligeret, ad crucē stantes animaduertisset, matri primùm, ut ipse Ioannes auctor est, Ioannē eius esse filiū, deinde Ioanni, Mariā eius matrē esse dixit. Quæ Christi cōmendatio apud Ioannē discipulū tantū ualuit, ut quādiu illa talis mater uixit, eam quibuscunq; potuit officijs sit prosecutus. Quòd si Christus in hoc mūdo moriens nihil matre quam Ioanni de quo dicimus, matrē attribuit, charius habuit, profectò uel ex hoc uno q̄ eum charū habuerit, intelligere possumus. Nec mirū uideri debet, si matrē Ioanni moriēs cōmendauit, cum uirgo uterq; permāserit. Hinc etiā pleriq; præcipui amoris causam ducunt, q̄ & uirgo tum esset, cum à Christo uocatus accersitusq; est, & in suscepto castitatis seruādæ consilio ꝓpositoq; permāsit. Quemadmodū aūt singulari quodā ac pręcipuo amore Christus in eum fuit, sic ipse Christū præ cæteris amauit. Quod hinc intelligi potest cū Christus tertio q̄ in crucē actus esset die excitatus ab inferis, sepulchrū in q̄ humatus fuerat, prima luce uacuū reddidisset, quędamq; mulieres, in ijs Maria Magdalene, sepulcrum sine Christi corpore reperissent, Maria Magdalena ad Simonem Petrū uenit & ad hūc Ioannē, eisq; dixit sublatū esse è monumento Dn̄m, nec scire se ubi collocatus esset. Quod cū illi audiuissent, sine mora ad sepulcrū sibi eundū esse censuerūt. Currētes aūt præ desiderio magistri, nō simul eodēq; momēto tēporis peruenerūt, sed Ioannes anteuertit, priorq; ad sepulcrum ingressus est. Nō est aūt id quidē dubiū, quin hi duo Christū charissimū habuerint. Quòd si Ioannes hoc suo officio Petro in Christi amore nō cōcessit, sed eum superauit, certè omnes facilè uicit. Hunc Christus unà cum Petro misit, qui significarēt ei quē uellet, apud illū se unà cum discipulis agnū paschalem esse comesturū. Mira erat in eodē agnoscēdi Christi solertia & ratio. Nā cum Christus ab inferis excitatus, Petro, Ioanni, Thomæ, alijsq; discipulis piscātibus, se in littore maris ostēdisset, quæsissetq; ab eis ipsum ignorantib. num quid cepissent, illiq; se quicq; cepisse pernegassent, atq; ille auctor eis fuisset, ut rete ad nauigij dexterā mitterent, missoq; rete tantā uim pisciū cepissent, ut trahi præ multitudine nō posset, eis etiā tum tāto edito miraculo ignotus fuisset, nisi Ioannes Petro Dn̄m esse dixisset. Itaq; Petrus cum ille Dn̄m esse dixisset, eius orationi fidē habuit, cæteriq; qui aderāt, qui omnes à Christo in conuiuiū adhibiti sunt. Eodēq; die nec ita multo pòst, cum Christus Petro ut se sequeret, imperaret, Petrusq; qui Ioannē sequentē cerneret, à Christo quid Ioannē facere uellet, quæsiuisset, Christus ei respōdit: Si eum manere in uita uellet, quoad ipse ueniret, q̄d ad eum? Ex quo factū est, ut discipuli hoc ita acceperint, ut existimarēt Ioannē nō esse moriturū, quanq; hoc Christi uerba, quēadmodū ipse Ioannes ait, nō significarēt. Idē accepto spiritu sancto, unà cū Petro hora nona orādi causa Hierosolymitanū templū ingredi cœperat, cū Aeneas quidam qui paralyticus & claudus ex utero matris natus erat, ferebat, ut ad portā speciosam quēadmodū quotidie solitus erat, collocatus, ab introeuntib. in tēplum aliq̄d acciperet. Is cū Petrū & Ioannē tūc uidisset, rogare eos cœpit, ut sibi aliquid erogarēt. Illi ut se intuerent, cū dixissent, cōtinuò paruit, q̄ se aliq̄d ab eis accepturū esse speraret. Petrus aūt se argēto & auro carere quidē dixit, sed q̄d haberet, id se illi dare, id est sanitatē. Itaq; cū primùm ei imperauit ut Iesu Christi Nazareni nomine surgeret & incederet, saluus & incolumis surgere & ingredi cœpit: intrāsq; cū illis in templū, Deo cū laudib. gratias egit. Hoc aūt miraculū nō solū ad Petrū, uerūetiā ad Ioannē pertinere, hinc sciri potest, q̄ cum Aeneas apostolos in templo teneret, cōcursusq; eò magnus populi admirātis factus esset, Petrus omnes hortatus est, ne sic ipsos intuerentur, quasi illum sua ipsorū ui & auctoritate curassent. Hoc totum esse tribuendū fidei Iesu, quem illi quidem tradidissent, & auctorē uitæ interfecissent, Deus autem ab inferis excitasset, cuius rei ipsi testes essent. Sibi quidem exploratū esse, id factum ab eis esse

A eis esse imprudētia. Itaq; se illos metuere, si illius sceleris eos pœniteret, & cōuerterent, fore ut eorū peccata obliterarent. Hęc & similia eorū cum ad populum loquerent (Lucas em̄ sermonē utriq; attribuit) sacerdotes magistratusq; templi & Saducęi interuenerūt, qui q; ęgrè ferrēt ab eis Iesu ui ac nomine resurrectionē mortuorū doceri atq; tradi, cōprehensos eos in custodiā in crastinum tradiderūt. Eorum aūt illa oratio tantū in animis populi ualuit, ut quinq; milia hominū ad Christi fidem religionēq; deduxerint. Postridie scribæ & seniores, itemq; Annas pontifex, & Caiphas, cęteriq; sacerdotes conuenerūt, ut quid in eos statuendū esset uiderēt. Productosq; illos, cuius ui ac nomine hoc fecissent, rogauerūt. Christi nomine, Petrus respōdit, quē illi cruci suffixissent: Deus aūt à mortuis excitasset, eum hominē sanum esse quē cernerēt. Eum esse lapidē qui ab illis ędificantib. improbatus à Deo in capite anguli collocatus esset: nec in alio salutem cōsistere. neq; enim nomē aliud in terra hominib. datum esse, q̄ seruari nos oporteat. Illi cum utriusq; constantiā animaduerterent, quos imperitos & ignaros scirent, admirabant, nec cōtradicere ac repugnare poterāt, cum hominē quem curassent cernerēt. Secedere tamen eos paulisper extra conciliū iusserunt, ut quid agendū esset, inter se deliberare possent. Nec uerò quicq; statuere potuerūt, cum res ita illustris & clara esset, nisi cū minis uetare eis, ne iam Christi nomine quicq; loquerent aut docerēt. Quod cū eis imperatū pręscriptūq; esset, hoc tantū respōdisse dicunt: Si æquū esset apud Deū eos potius audire q̄ Deum, ipsi uiderēt ac iudicarēt. se enim nō posse non loqui quę uidissent & audissent. Paulus in epistola ad Galatas scribit, septimodecimo q̄ à Christo uocatus esset, anno, se iterū Hierosolymā unà cum Barnaba

B & Tito propter euāgelij causam rationēq; uenisse. qua in urbe cū Iacobus, Petrus, & Ioannes hic quos dicit habitos esse columina, munus quod ipsi à Christo cōcessum esset, cognouissent, dextras ipsi ac Barnabę societatis, ab illis datas esse, ut ipsi ad gentes, illi aūt ad Iudęos nostræ religioni instituendos informandosq; proficiscerent. Philippi, qui ex septem diaconis unus fuit, oratione atq; doctrina Samaritani magna ex parte Christianā religionē acceperant, cū apostoli re cōperta & cognita, Petrū & Ioannē eò miserūt, ut eorū manuū impositione Samaritanis spiritus daret. Illi ergo cū uenissent, orassentq;, ut illi spiritum acciperēt, impositis manib. spiritus sanctus in eos descēdit. Hoc cum Simō qui magus dicit, quemq; Philippus quē modò dixi, cōuersum aqua salutari expiauerat, animaduertisset, ab apostolis cōtendit maiorē in modū, ut pecunia ad hanc ipsam uim dignitatēq; perueniret. Quod illi ita infensis animis acceperūt, ut Petrus pecuniā illi malè euenire uertiq; optauerit, q; Dei munus pecunia quæri haberiq; existimaret. Eum tamē admonuit, ut illius sceleris ipsum pœniteret, rogaretq; Deū, ut flagitio suo ignosceret. Ille cōtrà ab eis petiuit, ut ipsi pro se Deū precarent, ne quid eorū quæ dixissent, ipsi eueniret. In partitione aūt prouinciarū Ioāni Asia obtigit, quemadmodū etiā Eusebius principio tertij libri historiæ Ecclesiasticæ cōmemorat. Quod multo post Christi ascensum factū esse, primū hinc sciri potest, quia Ioānis mentionē nullā facit Lucas in libro q̄ Acta apostolorū inscribit, cū totā Asiā Paulū peragrasse scribit. Deinde q; Paulus Timotheū pontificē Ephesinū creauit, queadmodū ex priore ad eum epistola intelligi potest. Hoc aūt cum accidit, quot anni intercessissent à Christi ascensu cognoscere poterit, qui Acta apostolorū cum Chronicis Eusebij conferet. Præterea si Timotheus Paulo superfuit, sicuti superfuit, non loco suo eam Ioannes mouit. Ita eo uiuo Ephesinā Ioannes ecclesiam non gubernauit. Atqui omnes qui eum Asiæ Christianam religionem disciplinamq; tradidisse, aut potius prouinciam totam in ea cōfirmasse scribunt, eum Ephesi sedisse & mansisse uolunt. Fieri tamen potest, ut uiuo Timotheo, & ante, & post mortem Pauli Asiam illustrauerit. Timotheo autem mortuo pontifex

Ephesinus creatus sit, & quasi in demortui locum suffectus. Quo autem tempore primùm in Asiam docendę amplificandęq; Christianę fidei religionisq; causa profectus sit, etsi cōperire non possumus, hoc tamen perspicuū est, eum totam illam obiuisse prouinciā, quod quidem mihi fecisse ante Marię uirginis matris Christi mortem non uidet, idq; mihi daturos spero omnes, qui quantæ curę ei illa fuerit, cōsiderauerint, pręsertim cum à Christo sibi cōmendatā fuisse meminisset. Marię aūt mortem quindecimo anno post Christi ascensum accidisse Eusebius in Chronicis auctor est. Sed de his hactenus. Ioannes quidē cū Ephesi atq; adeò in tota Asia uerbū Dei pręedicaret, Domitiano Vespasiani filio imperatore, ab illo quartodecimo imperij anno, qui extremus fuit, ut etiā Hieronymus tradit, Epheso Romā accersitus, & ad portam Latinā in conspectu Senatus in dolium feruentis olei plenū missus esse dicit, ex quo saluus et incolumis sine ullo doloris sensu magna omniū admiratione exierit. Hoc ita esse, ecclesia declarat, quę eo ipso die, id est pridie Nonas Maij quotannis sacrū solenne eius rei et honoris illius causa agit. Quinetiā eo ipso loco, ei templum miro opere ædificatū cōsecratūq; esse dicit: Domitianus, quem Ioannis oratio tam inusitatæ rei miraculo adductum, credere, eumq; inprimis colere & habere oportebat, nō modò ei honorem ullum nō habuit, uerum etiam in proposito tradendę disciplinæ nostrę permanentē, contra imperiū suum, in insulā Patmos deportandā curauit. In ea insula eo die quē Dominicū nunc etiā dicimus, uisio quædam ei oblata est, qua illi multa magnaq; mysteria ita patefacta sunt, ut ea cum scripsisset, ad septem Asię ecclesias, Ephesinā, Smyrnensem, Pergamenā, Thyatiranā, Sardēsem, Philadelphianā, Laodicenēq; iussu Dei miserit. Illic aūt annum unum, & eo amplius fuit. nam quartodecimo Domitiani anno eò in exiliū missus est, & Ephesum Nerua imperatore qui Domitiano successit, quiq; bienniū tantū uixit in imperio, rescissis Domitiani actis, magna cum gloria redijt. Cum in urbē introiret, fortè Drusiana quędā mortua efferebat, uidua & nostrę disciplinę particeps, & magnis uirtutib. prędita, quæ eadē magno Ioannis desiderio tenebat. Propinqui illius omnes ut eum aspexerūt, Drusianā se efferre clamauerūt, quę & eius pręceptis monitisq; paruisset semper & ipsos aluisset, & desiderio ipsius tanto flagrasset, ut ferè q̄tidie se ita eius uidendi cupidā esse diceret, ut si illi semel eum cōtingeret uidere, ęquo animo hinc euolaret. eū uenisse, & illū eam iā uidere nō posse. itaq; rogare se, ut ei subueniret. Ioannes illorū precib. ac lacrymis impulsus, & q̄ Drusianā ipse uicissim charā habuisset semper, ei ut surgeret, et domum ad instruendū cōuiuium iret, imperauit. cum hoc ei dixisset, Dominus Iesus te ab inferis excitet. Illa statim surgēs domū ut q̄d Apostolus iusserat, faceret, ꝑperare ita cœpit, quasi nō mortua, sed à somno expergefacta uideret. Craton erat philosophus illis tēporib. in magno apud suos honore et precio. Is fortè cum mundū cōtemnendū esse docere uellet, duos adolescētes fratres admodū locupletes suo sermone impulerat, ut totū patrimoniū primùm uenderēt, deinde ea pecunia quā magnā collegissent, gēmas aliquot quę in precio essent, emerēt, postremò certo q̄dam die palàm in foro in cōspectu totius populi eas frangerēt. Quod cum Ioānes illac præteriens animaduertisset, accersiuit ad se Cratonē, eiusq; illum diuitiarum contemptū & despicientiā triplici ratione damnauit. primùm q̄ cum sermone hominū laudaret, diuino tamen iudicio uituperaret, & improbaretur. deinde q̄ eiusmodi contemptio cum eam uim nō habeat, ut uitia curaret animi, uana esset & inutilis, nō secus atq; medicina, quę adhibita, morbum minimè curaret. postremò q̄ tum demum diuitiarū contemptus dignus laude gloriaq; sempiterna esset, cum quis uenditis suis omnibus, precium pauperibus largiretur, quemadmodum Iesus adolescenti cuidam dixisset: Si uis perfectus esse, uade, & uende omnia quę habes, et da pauperibus. Craton ad hęc respondit: Si

A dit: Si uerè Deus esset magister ipsius, & uellet, quemadmodũ dixisset, uendi omnia, & erogari pauperibus, faceret ipse Ioannes, ut gemmę illę quae fractæ essent, ad pristinã formam integritatẽq; redirent, ut q̃d ipse aucupãdę auræ popularis causa fecisset, ille diuinæ gloriæ tribueret. Ioannes tum collectis gemmarum fragmẽtis orauit, & tam integræ, q̃ prius fuerant, gemmæ extiterunt. Quo miraculo Craton & duo illi adolescẽtes obstupefacti, crediderũt: uenditisq; gemmis, precium egentib. erogarunt. Idem cum totam Asiam religione nostra imbueret, barbaris q̃s infideles uocamus, seditione cõcitata, in tẽplum Dianę pertractus est, ut ei immolaret & sacrum faceret. Ipse aũt hanc eis conditionẽ proposuit, ut si illi Christi templũ Dianę fide implorata euerterẽt, ipse Dianę sacrificaret: sin ipse appellato inuocatoq; Christi nomine, Dianę templum funditus tolleret, illi Christo crederẽt. Quæ cum maiori parti placuisset cõditio, egressiq; essent omnes è templo, ut primùm Ioannes orare cœpit, & templũ corruit, & Dianę simulacrũ comminutũ est. Aristodemus aũt quidam pontifex erat tum sacerdotũ, qui re cognita ita populũ concitauit, ut una pars cum altera prælio decertare cõstitueret. Quod cum molestè ferret Apostolus, Aristodemũ adijt, quęsiuitq; ab eo qua tandem ratione ipsius animũ ita infestum placare posset. Ille ita demum se & omnem animi iracundiã ac ferociam depositurũ: & Christo, quem Deum prædicaret, crediturũ pollicitus est, si uenenum quod daturus esset biberet, nec ei quicq; mali afferret. Accepit conditionem Apostolus: quem ut uidit Aristodemus tanta fiducia pręditũ, quo facilius eũ à suscepto cõsilio deterreret, duob. se daturũ esse dixit, qui ut primùm bibissent, necarent. Ne hoc quidẽ Ioannẽ deterruit. Aristodemus ad procon

B sulẽ ueniens, duos petiuit, qui crimine capitis damnati erant. hi cum primùm uenenum biberũt, spiritum ediderũt. Ioannes aũt poculo accepto, cum signũ crucis expressisset, magno fortiq; animo cum totũ uenenũ hausisset, nihil mali sensit. omnes mirari, Deumq; laudib. efferre. Aristodemus aũt nondũ sibi satisfactũ esse dixit, nec animo suo satis fieri posse, nisi eos ipsos q mortui essent, ab inferis excitaret. Tum Apostolus ei tunicã suam tradidisse dicit: quam cum Aristodemus accipiens, quæreret cur eam traderet, an eo pacto ipsum facilius sibi assensurũ putaret, ille quo facilius se uictum fateret, acceptã iussit mortuis adhibere ac dicere, se ab Apostolo Christi missum, ut reuiuiscerent. Quæ cum dixisset, statim surrexerũt. Proconsul & Aristodemus unà cum suis omnibus tam inusitatę rei miraculo impulsi, sacris disciplinę religionisq; nostræ initiati sunt. Non erit alienũ hoc loco aliquid cõmemorabile quod Eusebius ex Clementis Alexandrini libro quodã prolatum, de Ioãne scribit, exponere. Ioannes cum ex insula Patmos reuocatus esset, rogari solitus erat, ut finitimas etiã ecclesias illustraret. In eo munere cũ esset, ad quandã urbẽ uenit, in qua omnibus peractis solennib. institutis, cum adolescentẽ quendã bene affecto corpore, formaq; eleganti, sed nimis acri ingenio prędutũ cõspicatus esset, eum pontifici eius loci, qui paulo antè institutus fuerat, summo studio cõmendauit, cuius se rei testem & Deum & ecclesiã habere dixit. Ille omnem se curã, diligentiamq; adhibiturũ esse promisit. Eadẽ cum Apostolus sæpe dixisset, Ephesum reuertit. Pontifex ille adolescentẽ sibi à tanto apostolo cõmendatũ domi suę educauit, erudiuit, ad extremũ etiam salutari aqua expiauit. Tum uerò paulo indulgentius & lenius habere adolescentẽ & tractare cœpit. Quod ille ut intellexit, cum æqualib. uersari liberius cœpit, quorũ cõsuetudine corruptus, uoluptatisq; illecebris delinitus, nihil prius habuit, q̃ ut uirtutes fugeret, ac odisset, uitia sequeret & amaret. primũ quidẽ eũ conuiuiorũ epulis, apparatuq; alliciũt. deinde nocturnorũ furtorũ sociũ asciscũt, pòst etiã ad maiora flagitia pertrahũt. postremò eũ ita instituũt et inficiũt, ut quasi equus freni impatiẽs, nullũ esset facinus tantũ, nullũq; scelus, q̃ nõ et susciperet libẽter, et pficeret libẽtius.

Quinetiam

Quinetiam eum se in eo genere certaminis præstitit, ut statim ei discipulo con- A
tigerit omnes magistros longè multumq; superare. Quid multa? Eis auctor est, ut siue sicariorum, siue prædonum ex se manum instituerent, cuius ducem se ac antesignanum fore profiteretur. Interea Ioannes rogatur, ut ad illam ipsam urbem ueniret. Ad eam ut uenit, compositis confectisq; rebus omnibus, quarum causa accersitus erat, pontificem adit, ab eoq; repetit pignus quod apud illum deposuisset. Ille qui pecuniam à se repeti, quam non accepisset existimaret, primùm mirari. deinde cum Ioannem eiusmodi putaret, qui nec fallere sciret, nec quærere uellet, quod non tradidisset, stupore quodam hærere. Ioannes qui illum hærentem animaduerteret, reposcere se dicit eum adolescentē, quem non ita pridem illi maximo studio cōmendasset. Senex tum lachrymis profusis, eum mortuum esse dixit: quo autem mortis genere, cum rogaretur, Deo mortuum esse respondit, sceleratum eum & facinorosum euasisse. Eum latronum & sicariorum ducem cum illis montem quendā occupasse. Eo nuncio ita perturbatus Apostolus fuisse dicitur, ut lacerata ueste, percussoq; capite cum ingenti gemitu ei dixerit, O bonum animi fratris custodem. Statimq; sibi equum sterni, & ducem itineris dari iussit. Conscenso equo, ad montem properare cœpit. Eò cum peruenisset, prædones, qui in insidijs erant, eum occupant. Ille cum nec elabi ex eorum manibus, nec usquam diuertere niteretur, magna tantum uoce clamare cœpit, se de industria eò uenisse, tantum ad se ducem suum adducerent. Veniebat iam armatus ad certam ut sperabat prædā, cum eminus agnito Ioanne, pudore prohibitus nō est ausus accedere, sed quāta potuit celeritate fugere cœpit: quem Apostolus, subditis equo calcaribus, fugientem secutus, à tergo quærebat quid fugeret conspectum patris filius: cur inermem senem armatus iuuenis. Hinc bono animo eum esse iubet, spem ei B
magnam reliquam etiam esse dicit: se præterea rationem illius redditurum, & mortem pro illo libenter subiturum, quemadmodū pro nobis eam Deus pertulisset. Itaq; tantum insisteret, & crederet: se enim missum esse à Deo. Restitit ille tandem: uultuq; demisso, primùm arma abiecit, deinde ingentem uim lachrymarum profundere cœpit, postremò se ad pedes accedentis ad se Apostoli misit: magno gemitu, suspirijs, lachrymis deniq; ueniam precatur, cum interea dextrā qua multos se interfecisse reputabat, occuleret. Apostolus iurisiurādi sacramento ueniam se à Deo impetraturum pollicetur: prouolutusq; eius pedibus, dextram quam ille cædis conscientia, quæ eum angebat & torquebat, occulebat, osculans quasi pœnitentia iam expiata esset, ad ecclesiam eum reuocat & reducit. Tum uerò crebris ieiunijs, precibusq; unà cum eo susceptis & seruatis, ueniam quam ei pollicitus erat, à Domino impetrare conatus est: admixtis interim crebris sermonibus cōsolandi causa, quib. eius efferatos mores leniebat: nec antè destitit, quàm eum omnino pœnitentia mutatum, & correctum, ecclesiæ præficeret. Hoc Ioannes facto suo docuit, quantæ curæ sibi esset peccatoris salus. Vt autem beneuolentiam peccatoribus quamuis penè, ut ita dicam, desperatis ac comploratis præbebat, sic eis qui Christianam religionem fidemq; pertinaciter oppugnabant, ita resistebat & aduersabatur, ut rei nullius cum eis societate coniungi uellet. Id quod Irenæus libri tertij tertio capite, una in re tradidit, ex qua de cæteris coniecturam facere possumus. Scribit enim fuisse etiam tum cum libros qui aduersus hæreses inscripti sunt, componeret, qui se à Polycarpo Ioānis huius discipulo audiuisse dicerent, cum Ioannes ipse Ephesi ad balneas lauandi causa ueniens Corinthum hæreticū animaduertisset, eum re infecta q; primùm discessisse, quòd uereri se diceret, ne balneæ, in quib. Corinthus ueritatis hostis esset, cōciderent. Idem eodem & libro & capite ecclesiam Ephesinam à Paulo fundatam esse tradit. Ioannemq; in ea urbe & ecclesia usq; ad Traiani tempora remansisse. Eundemq; scribit

A eiusdẽ libri capite primo, extremo Euangeliũ suum tum scripsisse, cum Ephesi esset. Quanquam Dorotheus in ea est sententia, ut dicat Euangeliũ ab eo in Patmo insula scriptũ esse, & per Caium Ephesi ab illo editũ. Quæ autẽ ei causa Euangelij scribẽdi post Matthæum, Marcum, & Lucam fuerit, docet Hieronymus. Ait enim eum scripsisse, uel quòd tum iam ortæ essent hæreses Corinthiorum & maximè Ebionitarũ, qui Iesum ante Mariam nõ fuisse assererent, ob eamque causam à diuinitate coactus fuit capere exordiũ: uel quòd cum trium quorum modò mentionẽ feci, Euangelia euoluisset, probarit illa quidẽ: sed cum unius tantum anni Christi res gestas, in quo etiam mortem perpessus esset, expositas ab illis offendisset, ea sibi quæ ille superioribus duobus gessisset, exponenda cõmemorandaque cẽsuit. Scripsit etiã tres epistolas, primã ad omnes Ecclesias, alterã ad quandam mulierẽ, quam dominã etiam uocat, & ad eius liberos, tertiam ad Caium. Eas Ecclesia uniuersa probauit, Ioãnique apostolo attribuit. De uitæ, quã longissimã sanctissimãque traduxit, diuturnitate, id est, quãdiu uixerit, uaria traduntur. Dorotheus quidẽ eum annos ρκ, id est centum & uiginti expleuisse, scribit. Cõmunis nũc opinio est, eum nouem & nonaginta uixisse. Nam ex eo quod Hieronymus tradit, eum octauo & sexagesimo post Christi mortem anno excessisse è uita, lõgam eius ętatẽ fuisse intelligimus: quàm uerò longa fuerit, planè non intelligimus, nisi quod minimũ ad centesimũ ferè peruenerit. Neque enim eum Christus tum, cum puer esset, delegit, sed maiorẽ uiginti annis. De morte autẽ eius hoc ab Ecclesia traditũ accepimus. palàm enĩ ac publicè in templis ante mille annos, quantũ ex librorũ antiquitate intelligi licet, canitur. Is ergo paulo ante diẽ festũ paschæ octauo & sexagesimo à Christi morte anno, ut Hieronymo placet, Christũ unà cum condiscipulis uisus est

B uidere, aut uidit potius, inuitantẽ ipsum ad conuiuiũ suum, cui iam cõdiscipuli adhibiti essent. Quem ut uidit & audiuit, passis manibus primùm ei gratias egit quòd ad se uenisset, quẽ sciret maximo sui desiderio teneri. deinde eum obnixè rogauit, ut se ad epulas & conuiuiũ suum transferret, ut esset cum condiscipulis suis, cum quibus ipsum inuisisset. Tum ei Christus pollicitus esse dicitur, se ad diem festũ paschæ qui ad paucos dies futurus esset, esse uenturum. Itaque ad eum se ipse compararet, terramque defodiendam curaret, in qua se ipse componeret & inhumaret. Itaque Dorotheus ait Ephesi eum se ipsum Dei uoluntati ac præcepto parentem, sepelisse. Hieronymus autem eum ad urbem sepultum esse scribit. Quo autem modo, congruenter ijs quæ de Ecclesia paulo antè dixi, exponam. Die igitur cõstituto præscriptoque à Christo, omnes eos qui sacerdotum ordinem explebant, conuocasse, atque in specum se abiecisse dicitur, ac præcepisse, quemadmodum Gregorio Turonensi pontifici qui mille ferè abhinc annis fuit placet, ut se circumstantes, humo contegerent. Quod cum factum esset, tantum ibi lumẽ repentè extitisse dicitur, ut nihil præ eo omnes qui aderant, cernere possent. Eo autem subtracto, ferunt cum in fossa quidnam reliqui esset scrutati essent, eos mannam tantum farinam imitantem reperisse: eamque ex sepulchro illius sua etiam memoria manare solitam. idem Gregorius scribit, quæ eam uim haberet, ut per uniuersum orbem longè lateque deportata, medicinam ægrorum morbis afferret. Idemque auctor est, in cuiusdam montis urbi proximi cacumine, quatuor parietes sua etiam memoria extitisse, intra quos ille semper populi peccatis Deum placare solitus esset. Quinetiam cum ad Euangelium scribendum eum delegisset locum, & illum petisse, ut nullus eò è cœlo imber, quoad opus institutum absoluisset, descenderet, & miraculis illud ad suam etiam ætatem perseuerasse scribit. Augustinus autẽ explanans illius librum extremũ, qui Euangeliũ inscribit, commemorat ætate sua famam constantẽ fuisse, in sepulcro eius terrã sensim scaturire, & quasi ebullire solitã, quod quãobrẽ fiat, non audet certũ aliquid pronunciare.

VITA BEATI MATTHAEI Apostoli, Ioachimo Perionio Benedictino Cormoeriaceno auctore. A



Atthæus publicanus, cui & Leui, quemadmodum Marcus & Lucas commemorant, nomen fuit: Alphæi, ut ait Lucas, fuit filius. Is primùm ex communi discipulorum numero fuit, deinde ex eo à Christo ad apostolicam dignitatem honoremq; euectus. In numerum quidem discipulorum asscriptus fuit hoc modo. Cum ipse publicanus, ut dixi, esset, publicanorumq; munus exequeret, eum Christus, ut se sectaretur, hortatus est. quod non grauatè ilico fecit, introduxitq; domum suam Christum: ubi ei, adhibitis multis publicanis, aliisq; hominibus, quorum de uita pharisæi malè existimarēt, conuiuiū apparauit. Quod cum Pharisæi, qui Christi facta calumniandi causa obseruabant, animaduertissent, illud ei ut probrū obiicere cœperuut, quòd cum publicanis peccatoribusq; uesceret. At ille eam illorum calumniā ita uel elusit, uel diluit, ut diceret, Non ualentib. medico opus esse, sed ægris. Atq; hoc quidē modo se Matthęus in Christi disciplinā tradidit. Apostolorū autem duodecim numerus non ita sensim auctus & expletus fuit, sed duodecim. quorum est Matthæus, simul ex cōmuni discipulorū numero delecti atq; adeò selecti, tum fuerunt, Luca teste, cum Christus nocte in oratione in mōte quodā cōsumpta mane ad se omnes accersiuit. Non est quòd hoc loco dicam, Matthæum ex quo Christum secutus sit, nunquam ab illo discessisse, testemq; ac spectatorem eius miraculorum, totius uitæ etiam imitatorem, socium itineris, ac laborum, curarum, angorum, participem fuisse. Hæc enim ei sunt cum cæteris communia. Itaque ad ea quæ ad eum propriè pertinent, festinat oratio. Cum illud tempus uenisset, quo Christus suos omnes, atque in his maximè duodecim uniuersum orbem peragrare docendi Euangelii causa uoluit, diuisis inter se ex præscripto afflatuq; spiritus, prouinciis, Aethiopia Matthæo obtigisse dicitur. Huc ille primo quoque tempore uenit, ac primùm in urbe & maxima & nobilissima commoratus est, in qua magi duo Zaroes & Arphaxat falsis quibusdam inanibusq; editis operibus, in eam sui admirationem Aegippum regem cum populo excitauerant, ut eos Deos esse crederent. Matthæus autem primo suo aduentu, eorum præstigias fraudesq; aperuit atque repulit. Nam & eis quos illi excæcasse uidebantur aspectum, & surdis auditum, restituebat. Angues quos in homines ita concitabant, ut grauissima uulnera infligere uiderentur, expellebat, uulneraq; curabat. Erat tum in eadem urbe, Candaces Eunuchus reginæ, qui à Philippo baptizatus fuisse in Actis apostolicis dicitur. Is cum Matthæum hæc omnia facere animaduertisset, prouoluit se ad eius pedes: Deumq; laudauit, qui misertus esset populi sui, quem cum Magi in errorem induxissent, ipse per Apostolum suum ab errore ad rectam uiam reuocauisset. Recepitq; eum domum suam, quò amici illius ac necessarii confluere cœperunt: auditoq; uitæ uerbo, crediderunt, salutariq; aqua expiati sunt. Plures inde partim miraculis, non iis modò in quæ paulo antè commemoraui, sed nouis aliis quæ maximè in ægrorum curatione uersabantur, adducti, partim singulari illius eloquentia, religionem disciplinamq; nostram comprobarunt. Itaque Candaces Eunuchus ille, tot linguarum in eo cognitionem admiratus, rogare eum cœpit, ut exponere uellet, quî fieri posset, ut ille cum Hebræus esset, tamen tam plenè linguam Græcam, Aegyptiacam, Aethiopicamq; nosset, ut earum homines ipsi concederent. Tum Matthæus homines inquit, quondam principio generis sui, uno sermone omnes

A omnes usos fuisse, eorumque arrogantiam fecisse, ut unus in multos eosque dissimiles sit, uariosque diuisus. Arrogantiam autem fuisse eiusmodi, ut turrim communi consilio ædificarent, cuius fastigium cœlum pertingeret. Quod cum Deus animaduerteret, eum tantam linguarum sermonumque uarietatem repentè eis admiscuisse, ut quid quisque diceret, aut uellet, nemo homo alius, nec ipse intelligeret, nec alij explicare posset. Hoc linguarum multitudinem initium habuisse, hoc quasi supplicio hominum temeritatem & audaciam tantam retardatam ac repressam fuisse. Neque enim hanc uitam esse quæ rectà ad cœlum ferat, sed eam quam Christus Dei filius in mundum ueniens ostenderit. Eum enim decimo quàm in cœlum ascendisset die, misisse ad ipsum & condiscipulos Spiritum sanctum, quo afflati, uarijs linguis apud homines, qui tum Hierosolymam ex omnibus penè imperijs conuenerant, Christi uirtutes beneficiaque in genus hominum prædicassent. Se enim & rationem qua humanam naturam ille assumpsisset, exposuisse: & eum natum ex matre uirgine, ab eadem educatum, cum triginta annos natus esset, baptizatum, inde tentatum à diabolo, denique in crucem actum narrasse, tertio inde die ab inferis mortuisque excitatum, quadragesimoque ipsis spectantibus ui sua cœlos conscendisse, eum ibi à dextra patris sedere, unde sit tandem aliquando uenturus, ut homines pro suis quemque meritis iudicet. Non igitur se istas tantum quatuor liuguas, sicuti putaret, nosse, sed omnes omnium gentium quascunque adirent. Nunc ergo turrim ædificari, non lapidibus, sed Christi uirtutibus. Omnibus qui Patris, Filij, & Spiritus sancti nomine baptizarentur, aditum ad turrim quam Christus ædificauerit patere, unde facilis in cœlum ascensus ostenderetur. Hæc atque talia cum mystico sermone Matthæus dissereret, uenit qui nunciaret magos

B duos aduentare cum singulis draconibus, qui ore flammas redderent, naribus auras sulphureas spargerent, quarum odor teterrimus homines enecaret. Matthæus statim signo crucis intentato, egredi cœpit: quem cum Candaces Eunuchus prohiberet, admoneretque ut sibi potius consuleret, atque è specula tutò feras conspicaretur, Tu uerò, inquit, qui times, in specula consiste: ego qui nihil timeo, in publicum prodeo. Vix dicendi finem fecerat, cum apertis foribus dracones atque magos qui eos sequebantur, conspicit. Feræ autem ut primùm Matthæum animaduerterunt, ad pedes illius cubantes, somno se ac quieti dederunt. Tum Apostolus per ridiculum Magis, Vbi est, inquit, ars uestra? Excitate eos, si potestis. Equidem si Christum Dominum non rogassem, furor quem in me concitauistis, in uos omnis retortus recidisset. Cumque illi arte sua dracones expergefacere conarentur, diuque id tentantes nihil proficerent, Matthæus hoc artis eorum esse negauit, hoc se facilè posse facere, dixit: eosque ita præceptis suis parituros, ut deposita iracundia, eiectoque furore, quàmprimum ad lustra sua redirent. Hoc populus orare, hoc precari, ut se à bestiarum furore, quem expertus esset, liberaret. Tum Matthæus Christi nomine qui ex Spiritu sancto natus esset, ac Maria uirgine, quemque Iudas apostolus Pharisæorũ libidini, dedisset quẽ illi postea cruci suffixissent, qui sepultus tertio die quàm mortuus esset, excitatus esset ab inferis & mortuis, qui cum discipulis quadraginta diebus uersatus esset, eisque omnia quæ ante mortem dixerat, commemorasset, qui denique quadragesimo quàm excitatus fuisset à mortuis, die, ad cœlos conscendisset, unde aliquando rediret, ut uiuos mortuosque iudicet, Spiritum Dei adiurasse dicitur, ut dracones excitaret, excitatos iuberet ita repetere sua lustra, ut nihil cuiquam mali ac detrimenti afferrent. Cum his uerbis repentè feré discesserunt, nec ex eo tempore à quoquam uisi sunt. Tum hortari eos qui circun-

stabant, cœpit, ut à dracone diabolo liberari uellent, se enim à Deo salutis A
eorum causa missum esse, ut relicta idolorum superstitione, se ad ueram unius Dei religionem conuerterent, qui omnia creasset. Deum enim hominem quem primum condidisset, unà cum uxore quam ex illius costa finxisset, in paradiso collocasse. Paradisum autem, quæ altissimos montes superaret, cœloque uicina esset, locum amœnum esse, in eo nec senectuti, nec morbo, nec his miserijs, calamitatibus & malis quæ sentiamus locum esse. Omnia iucunda illic ostendi, grata omnia, & ex animi sententia euenire. Addidit hoc etiam, cum primi illi homines in tam amœno loco à Deo collocati fuissent, diabolum tanta in eos statim inuidia exarsisse, propter Dei imaginem & similitudinem quam in eis cerneret, ut serpentis anguisque specie, ad mulierem accedens, nunquam eam destiterit uel diuinitatis quam illis promitteret, specie illicere, quoad persuasisset, ut fructum à Deo pœna capitis uetitum comederet, quod etiam Adamus ab uxore pellectus & deceptus fecerit. Quæ cum Deus animaduertisset, illos primos homines ab eo ex loco perpetuæ iucundæque uitæ, in hunc calamitatis miseriæque plenum expulsos esse supplicij causa. Non tamen eos, eorumque posteros à Deo neglectos esse, sed tam charos habitos, ut ad extremum Dei filius pro singulari eximiaque erga nos benignitate, homo fieri diuinitate retenta, minimè dubitauerit. Natum enim eum esse ex Maria uirgine, cum Spiritus sancti uirtute conceptus esset, sicuti angelus ei prædixerat, fore, ut uirginalis in ea castimonia quam Deo uouisset, salua permaneret. Idque multo antè à Salomone prædictum fuisse, cum diceret: Sapientiam Dei, id est Dei filium, sibi domum ædificauisse. Hoc etiam consentaneum fuisse, ut quemadmodum Adamus fictus compositusque fuerat ex terra, quæ uirgo esset, cum nec peccato B
contaminata, nec sanguinis effusione polluta, nec mortui ullius sepultura inquinata antè fuisset, sic Dei filius qui Adamum restituere ac redimere uoluit, ex uirgine nasceretur. Atque ut ille à diobolo contra Dei præceptum uescendo uictus fuerat, ita hic ieiunando diabolum uinceret. Quinetiam superatum eum esse ab illo patientia, quam ad flagra, ad colaphos, ad sputa, ad coronam spineam, denique ad crucem uoluerit peruenire, uicisse mortem oppetendo, ut cœlos nobis resurgendo aperiret. Cum nemini dubium esse debeat, quin animi sanctorum ex corporibus excedentes illuc conuolent. Extrema eius oratio fuit, qui uelit à morte iam ad uitam redire, & ad paradisum, unde Adamus parens noster eiectus, hic nos procreauerit. Apernuisse nobis Christum paradisi portas, ut ad patriam reuertamur in qua mors nihil posit, in qua nullus miseriæ locus sit, nullus mœrori, sed lætitia & gaudium, quod nulla tempora nec tollere, nec obruere possint. Cum hæc aliaque eiusdem generis Matthæus peroraret, repentè tumultus quidam tristitiæ luctusque plenus exortus est. Efferebatur enim cum gemitu omnium Regis filius, ad cuius funus cum ingenti multitudine duo quoque magi illi cōuenerant. Qui cum illum ab inferis excitare frustra conati essent, suadere Regi cœperunt, ut filium qui ad deorum concilium raptus esset, in deorum numero reponeret, eique templum ædificandum curaret, in quo illius statua poneretur. Quod cum Candaces Eunuchus intellexisset, reginam adiens, ei suasit, ut Magos in custodiam traderet, Mattheumque accerseret, qui si filium mortuum à mortuis excitaret, Magos quorum sceleribus mala omnia in ciuitate euenirent, uiuos exuri iuberet. Accersitur Mattheus, cum honore introducitur, Euphinisia regina supplex eum rogare, ut filium suum excitaret. Se enim credere illum à Deo salutis hominum causa missum esse, eiusque esse discipulū, qui & mortuis uitam restituisset, & ab omnibus solo imperio morbos
omnes

omnes depulisset. Itaque sibi non esse dubium, quin si illius nomē appellauerit, filius mortuus reuiuisceret. Apostolus fidem Reginæ admiratus, hęc ei dixisse fertur, Eam profiteri se credere, quæ nondum ex ipsius ore uerbum ullum audiuisset. Itaque hoc sibi persuaderet, excitatū iri filium ab inferis. Cumque in cœlum manus tendisset, Deus, inquit, Abrahā, Deus Isaac & Iacob, qui in mundum salutis nostræ causa filium tuum ungenitū misisti, ut & nos ab errore abduceret, & te nobis Deum uerum ostenderet, rogo te ac deprecor, ut hunc excites, ut hi Deum præter te præpotentē esse neminem credant, & quę dixi uera esse intelligant. Cumque hæc perorasset, manum mortui comprehēdit, cum his uerbis: Domini mei Iesu Christi qui cruci suffixus est, nomine, Euphronome (erat enim hoc nomen regis filio) reuiuisce, & surge. statimque reuixit, cum summa patris regis & uoluntate et admiratione. Itaque cōfestim coronas & purpuram ei deferri iussit, pręconesque misit, qui ex toto imperio suos accerserent, ut Deum in hominum specie ac figura latentem cernerent. Fit concursus hominum innumerabiliū, qui cum cereos & lampadas deferrent, thuraque incendere uellent, adhibito uario sacrificiorū genere, tum Matthæus ne id facerent prohibuit: se enim non Deum esse, sed Domini sui Iesu Christi seruum, à quo missus esset, ut ipsi relicta simulacrorū, quę colerent, superstitione & errore, ad ueri Dei cultum religionemque reuocarentur. Qui si ipsum hominem eis similem Deum esse crederent, quanto magis eum Deum esse credere deberent, cuius se ipse seruum esse prædicaret? cuius etiam nomine regis filium excitasset ab inferis? Itaque cum hæc ipsi ratione atque animo uera esse perciperent, aurum & argentum coronasque aureas è conspectu ipsius tollerent, templumque Deo uero ędificarent, in quod ad Dei uerbum audiendum conuenirent. Hęc illius uerba ut Dei oraculum accipientes, tantum architectorū operariorumque numerum adhibuisse dicuntur, ut intra dies triginta opus perfectum absolutumque sit. Templo autem nomen, ut ita dicam, Resurrectionis imposuit, propterea quod regis filij excitatio ei ædificando occasionē attulisset. Tres & uiginti annos illic præfuisse, atque presbyteros & diaconos instituisse, ciuitatibusque episcopos præposuisse, & complura templa fundasse dicitur. Salutari etiam aqua & Aegippum regem expiauit, & Euphinisiam reginam, & Euphronomum quem excitauit, & Iphigeniam eorum filiam, quæ, ut mox dicetur, ab eodem Christo dicata uirgo permansit. Quoniam autem longum est exponere, quot cæcis aspectum reddiderit, quot leprosos curauerit, quot paralysi liberauerit, quot denique à mortuis excitauerit, quàm religiosus Aegippus rex fuerit, quàm proba eius uxor regina, hic quam ob causam, quoque modo mortem pro Christo obierit, narrari melius est. Aegippus quidem, cum admodū senex in sancto proposito permanēs, excessisset è uita, Hirtarchus regnū adeptus est. Is Iphigeniam Aegippi filiam in matrimoniū accipere cupiebat, idque se facilè ab Apostolo impetraturū esse sperabat. quanquam enim eam nō solum Christo consecratam uidebat, uerumetiam iam amplius ducentis uirginibus præpositam, tamen eius animum facilè Matthæi auctoritate commoueri abducique posse existimabat. Itaque hac spe fiduciáque fretus, Apostolum adijt, eique dimidium regni pollicitus est, si hoc uirgini in animum induxisset. Hoc illi Apostolus primùm nec planè concessit, neque denegauit, sed eum tantum admonuit, ut consuetudinem Aegippi seruans, qui omni sabbato eò conueniret, ubi uerbum Dei prædicaret, ipse uirgines omnes quæ cum Iphigenia essent, conuocaret: tum illum auditurum, quot coniugium laudibus ornaret, ipsumque Deo gratum acceptumque esse doceret. Omnes cum conuenissent, Matthæus hortatus est, ut & attentè audirent quæ dicturus esset, & memoria quæ iam audissent, tenerēt. Hirtarchus, qui hęc Apostolū dicere arbitrarerē, ut Iphigeniæ animum ad ea quæ de coniugio quod initura esset, præpararet, laudibus cum

bus eum efferre cœpit, de ijsq; rebus, cum ijs quos secum adduxerat, communicabat. Facta rursus audientia, ita Apostolus exorsus est: Viderent illi, quàm longè oratio progressa esset, ut etiam cædem rectè fieri posse doceret, cum is occiditur, qui si ipse solus interfectus non esset, multos innocentes occideret. Sic Goliam occisum esse, sic Sisaram, sic Amanum, sic Olofernem, sic deniq; interfectos esse, qui eorum sedibus ac regnis insidias parassent. Itaque coniugia etiam dum inirentur, præclaris honestis'que actionibus & officijs ornari, si iustè, si legitinè, si sanctè, si integrè inirentur. Quod si sponsam regis eius seruus usurpare audeat, is non solum peccare, sed etiam tam graue scelus admittere dicitur, ut quàm primùm uiuus exuratur, non quòd coniugium omnino ineat, sed quia regis aut domini sui uxorem usurpet. Sic Hirtarchus rex (ad eum autem orationem conuertisse dicitur) cum Iphigeniam regis cui successisset filiam sciret, Regisq; cœlorum sponsam, & sacro uelamine consecratam, quo tandem modo posset potentiori ereptam, in matrimonio ducere? Hirtarchus qui adhuc Apostoli uerba omnia laudauerat, tum iracundiæ facibus concitatus, discessisse dicitur. Ipse uerò multo alacrior cœptum sermonem persecutus est, cùm cęteros ad audiendum non minus quàm antea paratos uidisset. Regem dixit, qui in orbe terrarum dominatu alios teneret, haud diuturnum imperium tenere posse: Regis autem qui cœlis præesset, æternum esse dominatum & imperium. Eundemq; ut lętitia gaudioq; maximo eos qui ipsi fidem seruant, perfundit, & afficit, ita eos acerrimis supplicijs afficere, qui ab illius fide deficerent. Quòd si regis ira & furor pertimescendus esset, quid de Deo existimare deberent? præsertim cum hominis ira siue tormentis, siue ignibus, siue ferro & igne satietur, ad quoddam tempus duret, diuina autem ultio sempiterni ignis in scelestos supplicium statuerit? Itaque Dominum nostrum Iesum Christum suis præcepisse, cum in conspectum regum processissent, ne eos timerent, qui cum uerberauerint & interfecerint, nihil quod præterea facerent, haberent: eum metuerent potius, qui cum occiderit, & perdere posset, & in gehennā mittere. Iphigenia tum spectante populo se ad pedes Apostoli misit, orauitq; eum eius nomine, cuius apostolus esset, ut sibi socijsq; uirginibus omnibus, quæ Domino ipsius sermone consecratæ essent, manus imponeret, quo facilius minas regis possent contemnere. Ille eius precibus adductus, Christiq; præsidio ac spe fretus, contempto regis odio, uelum omnium capitibus apposuisse dicitur, Deumq; orasse, ut illas famulas suas, quas ex omni numero bonus pastor ad seruandam ornandamque perpetuę uirginitatis castimoniam elegisset, ipse custodiret, atque tueretur, & ad omnia uirtutum munera & officia, duce sapientia, ita excitaret atque præpararet, ut uictis carnis illecebris, coniugijsq; non legitimis repudiatis, uinculo quod res nulla soluere posset, cum Christo colligarentur. Hæc atque alia eiusdem generis cum Apostolus uirginibus illis bene precatus esset, Missæ sacro peracto, ad aram in qua Christi corpus confecerat, reuersus est: ibi cū passis manibus precaret, eū lictor ab Hirtarcho rege missus, securi percussit. Quod ut populus accepit, statim ad palatiū cū igne proficisci cœpit, ut ligna & sarmenta circundaret, ignemq; subijceret, quo incendio totum deflagraret. Obuiam fiunt populo furenti sacerdotes omnes ac clerici, qui hortati sunt ne id facerent, quod uoluntatem diuinam offenderet. Petrum enim apostolum cum districto gladio Malchi cuiusdam auriculam præcidisset, à CHRISTO ne par pari referre uideretur, obiurgatum esse, atque auriculam suo loco integram sine ullo doloris sensu restitutam. Itaque Apostoli martyrium lætis animis celebrarent, & quid Deus constitueret, expectarent. Iphigenia autem CHRISTI uirgo, quicquid auri & argenti & gemmarum habuit, id cum ad sacerdotes attulisset, ea omnia se ita conferre dixit, ut

A xit, ut cùm dignum Christi Apostolo templum ædificassent, quod reliquum esset, egentibus erogarent. Sibiq; dixit certamen remq; cum Hirtarcho fore. Quod nō ita multo pòst accidit. Hirtarchus enim omnium nobilium uxores ad eam proficisci iussit, quòd earum siue precibus, siue cohortationibus illam flecti adduciq; posse speraret, ut ipsi in matrimonio collocaretur. Quò cum illa nullo modo deduci posset, magos conuocat, qui eam dæmonum præsidio usi, raperent. Sed nihil ars eorum potuit. Itaque alia uia rem aggreditur. Incendere constituit locum in quo Iphigenia, unà cum cæteris uirginibus die noctuq; Deo seruiebat. Nec uerò subiecti ignes nocere potuerunt, flammaq; circum domum tantum apparuit. Quinetiam angelus unà cum Matthæo uisus esse dicitur, qui Iphigeniam bono animo esse iuberet, nec ignem timere, qui in eum à quo paratus erat, redundaturus esset. Vix angelus finem dicendi fecerat, cum uentus ortus est, qui suo impetu flammam à domo uirginis ad regis palatium transtulit, ut consumptis omnibus, ipse cum filio quem unum habebat, ægre potuerit euadere. Quanquā multo illud supplicium leuius ei accidisset, quàm quo affectus est. Nam & in illius filium cacodæmon inuasit, atque intrauit, cuius impulsu cum ad Apostoli sepulcrum magno impetu cucurrisset, manibus à tergo uinctis, eum paterna crimina & scelera cogebat confiteri: & ipsum elephantia totum infecit. quem morbum cum medici adhibiti curare non possent, ipse ui morbi coactus, in gladium incubuit. Quod ut resciuit populus, magnam ex morte illius cepit uoluptatem, fratremq; Iphigeniæ, Beorium nomine, qui sororis opera à Matthæo aqua salutari expiatus erat, regalem potestatem administrare uoluit. Is cum quinque & uiginti an-
B nos natus regnare cœpisset, ad tres & sexaginta imperium prorogauit. Duobusq; susceptis liberis, unum exercitui præfecit, alterum regni hæredem instituit. Ita pace in ecclesia Aethiopiæ constituta, Respublica Christiana illic Matthæi meritis ac precibus amplificata est. Scripsit Euangelium, quod eius nomine circumfertur, Hebraico sermone, ut ait Hieronymus: quod incertum est quisnam postea in Græcum conuerterit.

B. BARTHOLOMAEI APOSTOLI uita, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno auctore.



BArtholomæus primùm Christi discipulus, deinde apostolus fuit. Ei India (neq; enim in libris qui Noui testamenti nomine inscripti sunt, aliud de eo scriptum est) ei inquam India prouincia, quæ orbis finis & terminus est, obtigit: in quam ut uenit, templum quoddam ingressus est, in quo idolum & simulacrum, quod incolæ Astarotum nuncupabant, erat eiusmodi, ut se homines quouis morbo afflictatos, curaturum profiteretur. Sed curatio, quam adhibebat, non uera erat, sed quædam eius, quæ homines captabat, simulatio. Neque enim quenquam curabat, sed cum eos quos in morbum coniecerat, torquere & excruciare desineret, hominibus hc ipso curare uidebatur. Primo autem Bartholomæi aduentu simulacrum, aut potius dæmon qui in eo latebat, nec responsa dare, nec cuiquam ex ijs quos in morbum coniecisset, subuenire poterat. Itaque cum indies maior ægrorum multitudo in templum, curationis causa, conflueret, quorum nemo ulla ratione remedium inueniret, coacti sunt sacerdotes ad proximum oppidum uenire, atque à deo qui ibi colebatur quærere, cur deus quem ipsi colerent, iam responsum nullum daret. Respondet Beritus (hoc enim deo nomen erat) ob eam causam illum iam loqui non posse, quòd ibi esset Bartholomęus Dei Apostolus. Cumq; rogarent quisnam ille esset, & ex qua re eum possent internoscere, Amicū ueri Dei eum esse ait,

ob eamq;

ob eamq; causam uenisse in illam prouinciam, ut omnia deorum numina e- A
uerteret: eius barbam prolixam esse paucis iam canis distinctam, nigrum ca-
pillitium, carnem candidam, nares iustas, staturã iustam, pallium album. Sex & uiginti annis, uestem eius nec sordes contraxisse, nec sensisse uetustatis iniurias. Centies interdiu totiesq; noctu flexis genubus ab eo Deum uerum rogari. Se ab eis petere, ut eum cum inuenissent, rogarent, ne eò migrãs eodem supplicij genere se afficeret, quo in Astarotum collegam suum animaduertisset. Illi, cum Deus conticuisset, redierunt: cumq; magna cum diligentia Apostolum quærerent inter peregrinos, fortè quidam quem dæmon agitabat, magno clamore Bartholomæum nomine appellare cœpit, ac palàm dicere, se illius precibus incendi: quod cum Apostolus audisset, imperauissetq; ut & obmutesceret, & abiret, statim & obtemperauit ille, & homo curatus est. Erat tũ in ea prouincia Polimius rex, qui cum à Bartholomæo ex corpore huius hominis cacodæmonẽ expulsum esse auditione accepisset, filiam quam dæmon torquebat ad eum misit, rogans, ut quemadmodum Eustium (ei enim homini quem curauerat, hoc nomen fuit) ab eo morbi genere liberasset, sic filiæ, quam charissimam haberet, subueniret. Virgo autem ita à malo genio agitabatur, ut præ dolore omnes morderet: & quos arripere poterat, discerperet. Itaque catenis uincta ad Apostolum adducta est, quam ut uidit, eam solui iussit. Ministri hoc se facturos pernegarunt, quòd nemo ad eam accedere, nemo eam attingere auderet. Eos ille primùm obiurgat quòd cum hostem qui in uirgine esset, uinctum & cõstrictum teneret, ipsi eam etiam tenerent, deinde eis imperat, ut ad eam accederent, eamq; soluerent, ac abluerent, & postridie prima luce ad se introferrent. Illi cum dicto audientes fuissent, dæmon ita expulsus eiectusq; est, ut eam postea nunquã agitauerit. Rex ne tanto beneficio accepto immemor ingratusq; uideretur, ei camelos auro, argento, gemmis, uestibusq; onustos muneri misit. quæ omnia cum Apostolus diligenter quęsitus inueniri minimè potuisset, reportata sunt in palatium. Postridie prima luce occlusis foribus Apostolus in regis cubiculum cum solus esset, introijsse dicitur, eiq; dixisse, frustra se ab eo cum auro & argento quęsitum esse, cum ea omnia illi requirant, & desiderent, qui terrena sapiant & quærant. cuiusmodi nihil ipse requireret. Itaq; se hoc sibi ipse persuadeat uelle. Dei filium nasci uoluisse ex uirgine, cuius initium ante orbem conditum à Deo patre esset, quiq; naturis omnibus tam ijs quæ cernerentur, quàm ijs quæ aciem oculorum effugerent, principium dedisset. Virginem autem eam, ex qua natus esset, omnem uiri concubitum declinasse ac repudiasse semper, primamq; omniũ Deo uirginitatis uotum nuncupasse. Ad eandem missum à Deo Gabrielem archangelum in cubiculum quod occlusum esset uenisse: eumq; cum illam metu perculsam cerneret, hortatum esse ne timeret, quòd ipsa à Deo gratiam inijsset tantam, tamq; ei grata esset, ut filium & conceptura & paritura esset, quem Iesum uocaret, quiq; filius summi Dei diceretur. Illa uerò iam metu deposito, constanter rogasse, quî id fieret, cum Deo uirginitatem castimoniamq; uouisset, ad eaq; angelum respondisse, Spiritus sancti illum munere & opere, nõ uiri semine concepturam esse atq; parituram. Itaq; quod sanctum ex ea nasceretur, id Dei filij uocatum iri nomine. Hæc etiam Bartholomæus Polimio regi patefecit, hunc Dei filium cum natus esset, se triginta annos natum, passum esse tentari à diabolo eo, qui primum hominem uicerat, cum ei auctor fuisset, ut fructũ quem Deus uetuisset. ederet. Itaq; eum ad se accedere propterea passum esse, ut quemadmodum Adamo, id est primo homini per mulierem suaserat. ut uesceretur, & comedit, ob eamq; causam ex paradiso in hunc mundũ exilij supplicioq; causa expulsus, omne hominũ genus propagauit & genuit: sic huic cum suasisset, ut lapides quos ostendebat, in panes, si filius Dei esset, B
conuer-

A conuerteret & ederet uictoriam qua potitus erat, ieiunantis uirtute constantiaque amitteret, cum ei respondisset: Non solo pane hominem, sed omni etiam uerbo quod ex Dei ore exiret, uiuere. Aequum enim fuisse, eum à uirginis filio uinci, qui filium uirginis antè uicisset. Hoc loco Polimius Apostolum rogat, cur primam uirginem uocasset eam, ex qua homo & Deus natus esset. Ille cum gratias Deo primùm egisset, quòd regi mentem ad se audiendum dedisset, ita respondit, primum hominem Adamum dictum esse, terramque ex qua fictus compositusque fuisset, & matrem eius, & uirginem fuisse, propterea quòd nec sanguine humano adhuc polluta contaminataque fuisset, nec ad cuiusquam mortui sepulturam aperta. Itaque consentaneum fuisse, id quod iam dixerat, ut qui filium uirginis, id est terræ, uicisset, is à uirginis filio uinceretur. Vicisse autem, illum quòd arte & fraude egisset, ut Adamus contra Dei præceptum uesceretur, ob eamque causam expulsum eum esse ex paradiso, quò ei reditus postea non patuerit. Hunc autem uirginis filium egisse, ut artem diaboli & experiretur & uinceret, ut cœlum homini uictoria sua aperiret. Nec uerò eius temperantiam ante quadragesimum diem diabolum tentare cœpisse, quòd ita existimaret, ac secum reputaret, si tricesimo die minimè esuriret, illud certum fore diuinitatis argumentum: sin intra illud tempus esuriret, hominem eum esse, qui ea quæ homines, pateretur. Multaque alia Apostolus de illa triplici tentatione & uictoria commemorauit, eaque omnia eò pertinere uoluit, ut doceret ad extremum quemadmodum ij qui tyrannos uincunt, suos mittere solent, qui in omnibus locis quæ illi usurparent, insignia uictricia ipsorum statuant: sic Iesum Christum qui diabolum

B tyrannum superauerit, Apostolos suos misisse in omnes prouincias, ut & diabolum eiusque ministros, qui in statuis templorum habitarent, expellerent, & homines qui eos colerent, ex illius qui uinctus esset imperio ac potestate eriperent. Itaque argentum & aurum se contemnere ac pro nihilo putare, sicut CHRISTVS ipse contempserit, quòd ibi diuites esse cupiant, ubi solum eius imperium dominatur, in quo nec languori, nec morbo locus sit, nec tristitiæ, nec morti: sed contrà uitam ibi, beatitudinem, fœlicitatem, lætitiam'que sempiternam uigere. Quo factum esse dicebat, ut cum primùm in eius templum intrasset, dæmonem qui responsa dare solitus esset, ab eius angelis qui ipsum misisset, uinctum & constrictum teneret. Quòd si salutari lauacro expiari uellet, fore, ut quanto malo caruisset, cerneret. Quod quò facilius comprehendere, & intelligere posset, iubebat eum audire, qua arte eos, qui in templo ægrotarent, dæmon is qui primum hominem uicisset, curare uideretur. Dicebat ergo diabolum arte & fraude sua agere, ut homines in uarios morbos inciderent, ac tum denique eis suadere solitum, ut simulacris idolisque crederent, atque ut animos eorum dominatu suo teneret, tum denique morbos immittendi, finem eum facere solitum, cum lapidem aut metallum deum suum esse dixissent, quod illi curare nuncuparent. Tum uerò quoniam constrictum eum ipse teneret, etsi essent qui deum suum illum esse profiterentur, eum tamen responsa nulla dare posse. Quod quò facilius re intelligere & probare posset, promisit Apostolus se imperaturũ dæmoni, ut & in statuam rediret, & se uinctum esse, nec responsa dare posse, fateretur. Rex postridie prima luce pontifices ei sacrum facturos respondit, seque adfuturum, ut rem tam mirabilem & inusitatam cerneret. Postridie conueniunt pontifices, prima luce, ijque ut primùm sacri instituta agere cœperunt, dæmon magno clamore, ne id facerent, prohibere cœpit: se enim catenis igneis uinctum & constrictum ab angelis IESV CHRISTI teneri, quem Iudæi in crucem sustulissent, cum eum à se morte mulctari existimarent: illum autem de morte eiusmodi triumphum egisse ut & dæ-

monum principem catenis igneis uinxerint, & tertio die uictor reuixerit, & A
discipulis suis crucis signũ dederit, eosq́ in uniuersum orbem miserit, in hisq́ Bartholomæum qui ipsum constrictum teneret. Petere se maiorem in modum, ut illum etiam atque etiam rogarent, ut ipsum aliò proficisci pateretur. Tum Apostolus ea omnia eum confiteri coegit, quæ de morbis & diuinitatis professione illum regi paulo antè pollicitum esse dixi. Quæ cum omnia dæmon planè confessus esset, tum Apostolus omnes qui aderant, hortari monereq́ cœpit, ut uiderent, quem ipsi Deum coluissent, & à quo se curari putassent. Itaque eo contempto, iam Deum uerum colerent, qui & ipsos creasset, & in cœlis habitaret. Quòd si eum pro ipsis rogare uellent, & ut omnes ægri curarentur, impetrare, ipsi simulacrum deijcerent & confringerent. Sic enim fore, ut & templum Christo consecraret, & eos aqua salutari Christi nomine expiaret. Regis iussu omnes simulacrum funibus alijsq́ machinis auellendum curauerunt, quo cæterisq́ minoribus diaboli opera, id iubente Apostolo comminutis, omnes clamare, Vnum Deum præpotentem, quem Bartholomęus prędicaret. Ipse tum paßis sublatisq́ in cœlum manibus, Deus inquit, Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, qui filiũ tuum Deum Dominum nostrum misisti, ut nos, qui peccati serui eramus, sanguine suo redimeret, & tibi filios quæreret, qui idem uerus Deus ex hoc cognosceris, quòd semper idem es, & immutabilis permanes. Vnus es Deus pater, sine origine & ortu, unus etiam filius tuus unigenitus, Dominus noster Iesus Christus, & unus Spiritus sanctus illustrator & altor animorum nostrorum. hinc Iesus Christus suo nomine hãc uim nobis dedit, ut omnis generis morbos curemus, te uehementer etiam atque etiam rogo, ut omnis hæc multitudo hominum salutem assequatur, teq́ omnes Deum unum esse cognoscant, qui per Christum salutem B
restituas. Quæ cum dixisset, angelus circunuolasse dicitur, & digito in quadratis lapidibus signum crucis sculpsisse, cum hac oratione: Hoc Deum à quo missus esset, dicere, quemadmodum illi morbis curarentur, sic se templum mundare & expiare omni sorde, eoq́ quem Apostolus in solitudinem misisset. Polimius rex tum unà cum uxore & duobus liberis, exercitu omniq́ populo aqua salutari expiatus est: abiectoq́ ornatu regio, Apostolum sequi cœpit. Quod cum Astyages eius frater maior natu pontificum opera resciuisset, misit unà cum eis mille armatos qui eum comprehensum ad se adducerent. Perductus autem cum ab eo rogaretur, is ne esset, qui ipsius fratrem euertisset: Non, inquit, euerti eum, sed conuerti: & is ne esset, qui deos lares confringendos curasset: se, dæmonibus qui in eis erant imperasse respondit, ut ipsi idola futilia comminuerent, ut omnes homines relicto errore Deum uerum, qui in cœlis esset, agnoscerent & colerent. Cumq́ Astyages rex Apostolo dixisset quemadmodum fratri auctor fuisset, ut Deo suo cõtempto, illius Deum coleret, ita se facturum, ut ipse relicto Deo suo, ipsius deo crederet & immolaret. Apostolus Deum quem illius frater coleret, se uinctum & constrictum ostendisse respondit, & fecisse, ut simulacrum suum confringeret. Itaque si hoc ipsum Deo quem coleret facere posset, eadem opera illum facturũ, deo ipsius immolaret: sin nihil tale, Deo cuius seruus esset, facere posset, ipse autẽ deum illius confringeret, ita denique Deo illius crederet. Hæc cum Bartholomæus diceret, nunciatum est regi, deum suum cecidisse, atque in multas partes fractum atque distractum: quo ille nuncio adeò conturbatus est, ut & purpuram qua indutus erat, sciderit, & Apostolum fustibus cædi & excoriari primùm, deinde securi feriri iusserit. Rex autẽ Polimius cum populo ueniens, eius corpus magno cum honore extulit. Nec uerò Astyages diu scelus hoc multum tulit. Tricesimo enim à morte die arreptus à dæmonio, in templum Apostoli uenit, eumq́ pontifices eodẽ morbi genere afflictati & correpti secuti sunt, in

A quo omnes intra paucos dies ex illo morbo mortui sunt. Corpus autē Apostoli diu illic in summo honore fuit maximaq; ueneratione, quoad Barbari, id est qui à nostra religione abhorrerēt, cum molestè ferrēt illud à nostris, ut Gregorius pontifex Turonū scribit, coli, inuidia odioq; impulsi, clàm è sepulcro sublatum, in aliud quod plumbeū esset, conclusum in mare eiecerūt cum hac oratione: Populū nostrū iam nō decipies. Sed prouidentia diuina factū est, quemadmodum idem scribit, ut a quis cōuehentibus delatum sit ad insulam Siciliæ quæ Lipara dicitur: quò cum peruenisset, patefactum esse Christianis & imperatum dicit, ut illud colligerent, ac cōderent, ab eisq; templum eo loco quo situm sit magnificum miroq; opere ædificatum esse, in quo tum cum hæc ipsa proderet, coleretur cum maxima eorum utilitate, qui eius fidem implorarent.

VITA BEATI THOMAE APOstoli, Ioachimo Perionio Benedictino Cormoeriaceno auctore.



THomas quidē qui à Ioanne in Euangelio Didymus appellat, quo primùm tempore se ipse in Christi disciplinā tradiderit, aut à Christo uocatus sit, diuinis literis mandatū nō est. Hoc autē ex ijsdem intelligi licet, eum ex cōmuni discipulorū ordine ac numero ad apostolatus dignitatē unà cum alijs undecim euectū & elatum fuisse. Is quāto in magistrū amore flagraret, tum declarauit, cum, languente Lazaro Mariæ Marthæq; fratre, earum rogatu ad illum curandum Christus se ire uelle discipulis exposuit. Nam eum cæteri cum à suscepto propositoq; consilio deterrerent, quòd in Iudæā uenire cōstitueret, unde uix saluus & incolumis è Iudæorum manibus elapsus esset, multaq; alia ipse de Lazari morte primùm obscurè, deinde apertè dixisset, unus Thomas cōdiscipulis, ut Ioannes cōmemorat, hæc dixit: Eamus & nos, cum eoq; moriamur. Hoc quidē unū de Thoma ante Christi mortē scripta diuina cōmemorant. Cum autē tertio q̄ in crucē actus esset, die, à mortuis inferisq; Christus excitatus fuisset, idē penè amoris singularis in eundē documentū ut mihi quidē uidetur, dedit. Cum enim eo ipso die quo excitatus est, uesperi Christus eo in loco in quē eius discipuli habitādi gratia cōuenerant, & unde Thomas aberat, cęteris se ostēdisset, eiq; redeunti cum discipuli se Dominū uidisse narrarēt, eis se ille habiturū fidem antè negauit, q̄ uulnera, & plagarū cicatrices & uestigia nō solū uidisset, uerūetiam tractasset. Amantis enim etiā, nō solū diffidētis aut dubitātis hæc uidet oratio. Nam eodem nos animo esse solemus, cū rem quæ nobis chara esset, amisimus. Tum enim si recuperatā in luctu inuētāq; audiamus, aut nos rideri putamus, aut certè id fieri posse uix tandē aliquādo, aut ne uix quidē credimus. Quòd si aliqua ex parte culpādus est, accusandusq; diffidētiæ, quippe qui toties à magistro in spem uocatus esset, fore ut tertio die excitaret, hanc talē siue dubitationē, siue diffidentiā, clarissima illa eius professio quam octauo inde die Christū plagas ei tractādas, manusq; uidēdas dantē, & Dominū et Deum suum agnouit, non solū cōpensare, sed multū etiā superare debet. Atq; hæc tantū literis diuinis de illo scripta inueni. Quę autē sequunt, etsi ex libro cuius auctor nō nominatur, deprompta sunt, tamē quia passim ab Ecclesiis legūtur, cōprobare debemus. Igitur cum misso sancto Spiritu, Apostoli prouincias instinctu diuino docendæ religionis ueritatisq; causa sortirent, Thomę India diuinitus hoc modo obtigit. Gundaphorus Indię rex cum palatiū ædificare miro eoq; Romano opere instituisset, Abanem qui ad id opus architectū præstantissimū conquireret, Romam misit. Is cum Cæsareā uenisset, à Christo rogatus esse dicit, quid uenisset, quę ue eum illò causa adduxisset. Cum respōdisset, missum se à Domino Indiæ rege, ut architectū peritissimū locaret: Est, inquit ille, mihi seruus, qui ea

B

in arte excellit. Credit primùm Abanes, Thomamq; sibi traditũ ascíscit, deinde eum rogat, num seruus eius esset, à quo esset traditus. Ad hęc Thomas, Ego inquit, si eius seruus nõ essem, cum me tibi tradidit, restitissem. Nunc quia seruus illius sum, nõ quod mihi libet facio, sed domini uolũtati morẽ gero, eiusq; pręceptis pareo. Nec uerò unus ego seruus eius sum, sed unus ex millibus, qui omnes illius cõmodis ita inseruimus, eiusq; rẽ sic ꝓcuramus, ut ex artib. quas quisq; multas uariasq; nouit, prouincias omneis obeũtes quicquid lucri fecerimus, id illi sine fraude paremus atque afferamus. Dum hæc inter se ambulãtes agũt, ad nauẽ perueniũt, qua cõscensa rursus sermonẽ ultro citroq; cõferunt. Abanes prior, quid ille in arte præcipui teneret, rogat, q̃ eum dñs suus cęteris prętulisset. Tum se Thomas iacere fundamẽta, quę nunq; uetustas cõsumeret, dixit: parietes construere & erigere, quæ nunq; collaberent: facere ex edras & speculas eiusmodi, quæ lumẽ deesse aut deficere nunq; pateretur: fabricam totius ædificij ita erigere, ut excellat. Aedificia autẽ etsi extrinsecus nõ magnam speciem pulchritudineq; præferrent, at intrinsecus mira specie præstare. Quid pluribus, inquit, tibi artẽ meam prædicẽ efferamq; laudibus? Quicquid marmore aut structura effici potest, in eo me genere excellere & præstare profiteor: & si quos mihi discipulos trades, diligẽter erudiã. Cumq; Abanes & magnum dominũ esse qui huiusmodi seruos haberet, dixisset, et quouis rege pręstantiorẽ atq; sapientiorẽ. Est, inquit Thomas, ita ut ais. Est enim unicus patris filius, qui regnũ tenet atq; imperat in excelsis montibus, quò nec hostis ullus, nec morbus, nec paupertas egestas'ue potest accedere. Hæc atq; his similia cũ Thomas narraret, secundis uentis usi contento cursu Andranopolin urbẽ appellunt. Tum fortè rex eius loci, quòd filiã suam nuptui tradebat, quò magnificentior celebriorq; apparatus esset, per præcones omnes omniũ ordinũ con- B ditionũq; homines ad nuptiarũ solenne cõuiuiũ cõuocabat, hac lege ut si quis abfuisset, ipsum offenderet. Itaq; Thomas & Abanes cũ cęteris peregrinis conueniũt. Mensæ omni genere ciborũ instruunt, cõijciunt ciues oculos in peregrinos quos nunq; uiderãt. Tibicinistria interim quæ Iudæa erat, circũcursabat, ut tibiæ modis singulos cõuiuas oblectaret. Cũq; ad Thomã ueniens, hominẽ nec edentẽ, nec bibentẽ animaduerteret, diutius aduersa stetit, ex eoq; illius habitu statim Hebræũ esse intellexit. Quod suũ de illo iudiciũ aperto testimonio declarauit. nam Hebraicè canere cœpit, Vnũ esse Deũ Hebręorum, qui omnia creauerit, mariaq; effuderit. Thomas hæc audiẽs, uehemẽtius orare, admonereq; puellã, ut hæc eadẽ uerba, quæ uera essent, repeteret. Tum uerò is qui pocula ministrabat, cernẽs Thomam nec uescentẽ, nec bibentẽ, colaphum ei infregit. Thomas autẽ Hebraico sermone dixit, satius esse, ut ei in futura uita, in qua nullus esset supplicij finis, ignosceret, & in hac pœnas quæ ad tempus durarẽt, eiusmodi pẽderet, ut & ipse interiret, et manus qua colaphum infregisset, derosa à canib. in mediũ conuiuiũ inferret. Hãc Thomas Hebraico, ut dixi, sermone uocẽ misit, quo factũ est, ut præter psaltriã nemo intelligeret. Itaq; cum pincerna ut aquã deferret, egressus, & à leone interfectus esset, canisq; manũ illius in mediũ conuiuiũ intulisset, uirgo quæ rem ita ut ab Apostolo prædicta erat, euenisse animaduerteret, cõuiuis rem admirãtibus, ipsa pedibus illius prouoluta, Hic, inquit, propheta est. Nam cum pincerna ei colaphũ infregit, id fore prædixit, quod euenisse cernitis. Tum clamor ac strepitus hominũ primũ à proximo quoq;, deinde à rege etiã exauditus est. Rex quid rei esset, rogare cœpit. Re cõperta, Thomam ad se uenire iubet, atq; sponsæ & sponsæ bene precari. Sic enim mihi uidetur Latinè dici quod nostri dicunt benedícere. Introductus autem in thalamũ Apostolus hac usus oratione dicitur: Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, benedic his adolescẽtibus, eorumq; in mentibus uitæ æternæ semen consere, ut quicquid ad salutem suam pertinere

A tinere didicerint, id perficere et exequi uelint. Hęc cum Apostolus dixisset, salutato rege, abire cœpit, eumque sponsus deducere: quo in officio cum esset, repente palmæ ramus ei uisus est, quem manu arreptũ lætus ad sponsam detulit. Cumque uterque eius fructum degustasset, somno oppressus est. In somno uisus est rex præpotẽs, gemmis fulgens, eos amplecti, cum hac oratione: Apostolus meus uobis tantũ precatus est, ut sempiterna uita perfruamini. Experrecti dũ quę uisi erant uidere, uterque alteri exponit, ecce Thomas in cubiculũ introit, eosque his uerbis alloquitur, A domino magistroque suo qui eis uisus esset foribus obstructis introductũ esse ait, ut id omne quo usus esset in eos, bene eis procederet. Eos uirginitate prędítos esse, quæ omniũ regina uirtutũ esset, soror angelorum, libidinũ uictrix, fidei trophęum, quæ de hoste triumpharet, & ad uitam homines æternã tutò perduceret. Tum stupri corruptionisque mala eis exponit, in ijsque mortem sempiternã, quam si effugere uellent, castimoniã colerent, quę facilem ad uitam sempiternã aditũ patefaceret. Vterque eius pedibus prouoluitur, oratque ut se in ueritate cõfirmet, ne quid de doctrina diuina eis desit. Thomas eis se proxima nocte rediturũ pollicetur, eaque plenius traditurũ, quę ad uitam rectè & ex religione degendã pertinerent. Quod cum ille diligẽter officioseque pręstitisset, tum denique prospero cursu in Indiam cõtendit. Nec ita multo post, Dionysium quendã è discipulis suis Andranopolin misit, qui institutis sacerdotibus, fundataque ecclesia, multos in ea urbe ab idolorum cultu ad Christi fidem religionemque deduxit. Ipse uerò Dionysius adolescens ab illo pontifex creatus, sponsam suam Pelagiã nomine uirginũ sacris initiauit atque consecrauit. Hæc sponso mortuo duplex martyrium pertulisse dicitur, unum quod nubere, alterum quòd idolis sacra facere noluit. His enim duabus de causis, se-
B curi feriri iussa est. In eius autem sepulcro Græcis literis hoc incisum esse dicitur, Hîc sita est sponsa Dionysij pontificis, Thomæ apostoli filia. Sed ad rem reuertendum est. Cum Thomas unà cum Abane in Indiam peruenisset, Gundaphorus rex eum accersiuit, rogauitque primùm quo opere exædificare ædes ipse sciret. deinde cum ille ad singula ita prudenter respondisset, ut summã de eius arte opinionem rex cõciperet, numerata ingenti ui pecuniæ ad futurum ædificium, ipse ad aliam regni partem profectus est. Thomas autem toto illo biennio, quo rex abfuit, nullum finem fecit docendæ Christianæ religioni, largiendæ egentib. pecuniæ regiæ. Quo quidem factum est, ut innumerabilem multitudinem ad profitendũ Christi nomẽ perduxerit. Rex uerò Gundaphorus cum perfecta re, quæ eum abesse coegerat, rediens, hoc totum comperisset, quod fecisset Apostolus, eum statim in uincula unà cum Abane coniecit, ut eos paucis pòst diebus interficeret. Tum Gadius, regis frater, grauiter ægrotabat. Nec ita multo pòst ui morbi interijt. Quæ Apostoli mortem in aliud tempus differre coegerunt. Dum autem in magnifico funeris sumptu atque apparatu rex occupatus est, quatriduo quàm mortuus erat, Gadius ab inferis excitatus reuixisse dicitur. Qui cum ad Gundaphorum regem fratrem uenisset, ei quæ uidisset ordine narrauit. Sibi ab Angelis in cœlo palatium, quod ei Thomas miro magnificoque opere extruxisset, ostensum esse, illius cum pulchritudinem consideraret, eaque laudata & suspecta, angelis qui ostendebant, dixisset, se hoc unum optare, ut dignus esset, qui uel ianitor eius palatij deligeretur: tum angelos respondisse, indignum eo se fratrem fecisse, itaque si in eo habitare uellet, se rogasse Dominum IESVM CHRISTVM, ut reuiuisceret, adiretque regem fratrem qui illud uenderet, accepta pecunia, quam se profudisse existimaret. Legi Thomæ uitam descriptam in eodem libro, in qua scriptum est, nõ excitatum esse Gadium, sed cum grauissimè ęgrotaret, hæc illi in somnis uisa esse omnia. Gadius cum hæc fratri exposuisset, in carcerẽ uenit: prouolutusque Apostoli pedib. eum primùm rogare cœpit, ut fra

tri, qui imprudēs tam graue scelus admisisset, ignosceret: deinde ut uestimen A
ta elegantiora sumeret. Tum Apostolus respondit, illum etiam ignorare, eos qui ad cœlum aspirarent, re nulla uti quæ terram carnemq́ attingeret. Itaque sibi satis esse sciret, colobium quo in humeris uteretur, & pallium atque sandalia, quæ nunquam omnino antè abijceret, quàm excederet è uita. Iam uterque è carcere egrediebatur, cum Gundaphorus ipse se mittens ad pedes Apostoli ueniam precatur. Ad utrumque autem orationem conuertens Apostolus: Magna, inquit, uobis concessit Dominus meus IESVS Christus, qui uobis mysteria sua patefecit. Prouinciæ iam uestræ nomen Christo dederunt, facite etiam uos ut expiemini: expiatiq́ lauacro sacrosancto, regnum sempiternum consequamini. Cumq́ Gadius Apostolo dixisset, uisum à se esse palatium, quod regi fratri ædificasset, idq́ ut ab eo emeret, se ab angelo impetrasse, respondissetq́ Thomas, hoc in fratris situm esse potestate, Gundaphorusq́ dixisset, id sperare se consecuturum, quod iam ipsi ædificatum esset: illi uerò, alterum ab Apostolo extrueretur: tum hac Thomas oratione usus est: Hoc uobis persuadeatis uelim, innumerabilia iam in cœlo constructa esse palatia, eaq́ à prima mundi origine præparata, quæ fidei precio emantur. Itaque si cœlestium diuitiarum, si regnorum & palatiorum cupiditate ducemini, diuitiæ uestræ uos antecedere morientes possunt, sequi migrantes ab hac uita omnino non possunt. Eas igitur egentibus, peregrinis, uiduis, pupillis, alijs'que indigentibus largimini, freti hac spe, eas uos ibi multo maiores, ubi nullus est finis, consecuturos. His ita gestis, cum iam locus esset nullus in India, quò non fama & sanctissimæ uitæ quam ageret beatus Thomas, & mirabilium operum quæ in quouis morbi genere depellendo ederet, persuaderet, undique ad eum concursus fiebat hominum, qui ad eum coronas ex B
auro & gemmis deferebant, uestesq́ regias, eo consilio, ut ei tanquam Deo cultum honoremq́ præstarent, uitulosq́ & arietes immolarent. Quod cum Apostolus animaduerteret, Gundaphorum regem rogauit, ut res ad tricesimum diem differretur, dum tota prouincia cōuenisset. Fit igitur maior indies populi concursus, tantusq́ tricesimo demum die numerus apparuit, ut coactus fuerit Apostolus in campum homines conuocare. Quo in cœtu quoniā ægroti sine delectu cum ualentibus permixti, confusiq́ erant, omnib. unum in locum conuocatis, seiunctisq́ à ualentibus, ipse medius, passis in cœlum manibus, precari supplex patrem cœpit, his uerbis: Te sanctissime Deus, præpotens rerum omnium pater, nomine unigenij tui, quem ad nos tenebrarum uitiorumq́ expulsorem, luminisq́ tui largitorem misisti, precor, ut nunc uerba eius confirmes, quibus ipse pollicitus est nos laturos esse quicquid à te suo nomine peteremus. Hic populus quem uides, aliqua opinione mirabilium tuorum operum excites, cōuenit, hîc surdi sunt, hîc muti, hic claudi, hîc mille morborum generibus afflictati sunt, ut tua benignitate sani & incolumes redire posśint. Hæc illorum spes eos ne fallat, uehementer te etiam atque etiam rogo, ut ex mirabilibus tuis operibus te cognoscant esse solum uerum Deum & Domini nostri IESV Christi patrem, per quem omnia condidisti, & unum spiritum sanctum, qui animos illustret, sanctosq́ efficiat, & hoc tempore, & futuris seculis. Cumq́ ij omnes qui sacro lauacro expiati erant, respondissent, Amen, tantum repentè fulgur in eos uisum est cadere, ut tactos se de cœlo interituros putarent. Cumq́ horam ferè dimidiatam prostrati solo iacuissent, primusq́ Apostolus surgens illis ut consurgerent imperasset, quòd Dominus IESVS ut fulgur ueniens eos morbis liberasset, illiq́ ualentes Deo, eiusq́ Apostolo egissent gratias, tum demū è superiore loco ita ad eos locutus est, se à IESV Christo, cuius seruus esset, missum esse, qui omnes ęgros eorū paulo antè curasset, se eñ hominē quemadmodū ipsi omnes essent, esse, ac missum à

A sum à Deo, ut eos à cultu uano & falso simulacrorum ad unius ueri Dei omnium conditoris, qui in cœlis esset, cultum religionemq; traduceret. Itaque si uitam gloriamq; sempiternam consequi uellent, primùm omnium in unum Deum patrem, qui uideri non posset, nec comprehendi, quiq; immensus esset, crederent. deinde in unigenitum eius filium Dominum IESVM CHRISTVM, per quem effecta essent omnia uoluntate patris, & quæ sub aspectum caderent, & quæ aciem oculorum effugerent, tam terrena quàm cœlestia. Postremò in spiritum sanctum cõsolatorem, qui sub cernendi sensum non cadens, & initio careret, quemadmodum & pater, & Dominus IESVS CHRISTVS eius filius, cum quibus ita essent futuri, si sincerè & integrè in Deum crederent, & ueterem hominem unà cum ipsius operibus abijcerent, si omnia simulacra, & eorum dies festos delerent atq; conculcarent: si tenebras abijcerent, ut æternam lucem inuenirent: si mortem refugerent, ut uita æterna digni essent. Quod ita deniq; perficere possent, si duodecim uirtutib. quas enumerasset, præditi essent. Primum omnium hortabatur eos, ut rectè crederent: deinde, ut credentes salutari aqua expiarentur, tum ut se à stupro abstinerent, tum ut ab auaritia, tum ut gulæ & edacitati imperarent: sexto loco, ut patientes essent rebus aduersis: septimo, ut perseuerarent in bonis actionibus: octauo, ut hospitalitati studerent: nono, ut quid Deus uellet ac iuberet exquirerent: & cum inuenissent, id diligenter efficerent: decimo, ut quid idem prohiberet ac uetaret exquirerent: quod cum inuenissent, id omnino declinarent. undecimo, ut non solum amicos, uerumetiam inimicos charos haberent. postremò ut diu noctuq; in custodiendis conseruandisq; uirtutum diuitijs omnem operam, studium, diligentiamq; ponerent. In his enim duodecim integram



B absolutamq; æquitatis cognitionem consistere dicebat. Tum eos monuit, ut ea dona quæ contulissent, ipsi pauperib. & egentibus erogarent (neq; enim se Deum esse, sed Dei seruum) & seipsi cõpararent, ut propediem salutari aqua expiarentur. His eos uerbis dimisit Apostolus. Illi autem cum is dies, quem nos Dominicũ dicimus, uenisset, expiati sunt aqua salutari, numero nouem millia, prȩter pueros & mulieres. His ita gestis, diuino instinctu in Indiã superiorem profectus est. Ibi magnus ad eum concursus fiebat populorũ cum orationem illius multa inusitata opera sequerent. nam & dæmones eijciebat, & cȩcis aspectum restituebat, omniaq; morborũ genera curabat. Interea accidit, ut Syntyche quȩdam quȩ Migdoniȩ Carisij propinqui regis uxori charissima erat, cum cȩca esset, à Thoma aspectũ recuperaret. Quod cum Migdonia animaduertisset, nec uestigiũ ullum pristini morbi notaret, magna uoce clamare cœpit, eum uel Deum esse, uel Dei angelũ, qui nulla adhibita medicina, ita illam curasset. Illa uerò hoc ita Migdoniã mirari dixit, quasi præter ipsam curasset neminem, cum innumerabiliũ morbos IESV Christi Dei sui nomine profligasset. Migdoniȩ aũt summa Thomȩ uidendi cupiditate teneri se dicenti, eum postera die loqui ad populum cõstituisse dixit. Itaq; si eum uidere et audire illi in animo esset, uestem mutaret, ne fortè agnosceret. Quid multa? Syntyches cõsilio utitur, mutat uestem, familiari habitu ad constitutũ locum inter ancillas suas uenit. Thomas tum fortè causam cur Christus Dei filius in mundum uenisset, exponebat his uerbis: Quoniã uita hȩc quã agimus, tot miserijs casibusq; opportuna est, ut cum eam se tenere homines putãt, ipsa effugiat, atque labatur, repentinoq; casu ita effluit, ut iam inueniri non posit, idcirco ueram lucem Dei filium è cœlo ad nos descendisse, ut nos alteram uitam esse doceret, quȩ omnino immortalis esset, omnisq; doloris, gemitus, miseriæ, & calamitatis expers, contraq; cum summa uoluptate, gaudio, lætitiaq; degeret. Fecisse autem hoc eum, ut omnes qui ea cõditione nascerent, ut tandẽ aliquãdo morerent, ad uitam quasi renati peruenirẽt, Deiq; filij apostolorũ doctrina ij

efficerentur, qui essent peccatores, peccatorumq́ filij. Neq́ enim mortalium A hominum filios immortales fieri potuisse, nisi aqua & spiritu sancto iterum nati, Dei filij fierent. Atque eundem, ne forte ea quæ traderent approbarentur, eam uim dedisse omnibus Apostolis, ut ipsius appellato nomine, cæcis oculorum, surdis auditus usum munusq́ redderent, dæmones expellerent, mortuos denique excitarent, ut homo qui rationis est particeps, hoc secum reputaret, si uera ea non essent quæ docerent, tam inusitata opera & portenta consecutura non fuisse. Quapropter cum superiore biduo eò accersiti fuerint, ut eorum corpora prius curarentur, eo ipso die se de animorum salute decreuisse dicere. Quemadmodum oculi malè affecti à medicis nisi collyrio inuncti non curantur: sic animos ab Apostolis & doctoribus nisi uerbis & ueritati quæ docerent, assentirentur, castimoniamq́ amplecterentur, & ab auaritia, intemperantiaq́, omnibusq́ uitijs se continuerint, non posse curari. Multaq́ alia Thomas apostolus cum docuisset, omnes qui aderant, religionem nostram approbauerunt, septemq́ dierum ieiunio aqua salutari uicissim expiati sunt. Migdonia autem cum Carisio uiro regis, ut dixi, propinquo, coniungi, misceriq́ iam noluit. Quod cum ille propterea euenisse intelligeret, quòd illa Thomam concionantem audiuisset, statim à Migdeo rege impetrauit, ut ipse in carcerem conijceretur. Ad eum Syntyche Migdoniam in carcerem adduxit, quæ statim ad pedes eius se mittens, orare cœpit, ne se cuius causa & culpa ipse tantum mali sentiret, pœnas diuinas uellet pendere. Apostolus eam domum suam redire iussit, quò ipse uenturus esset, quò facilius ipsum sponte hæc ipsa perpeti intelligeret. Illa occluso ostio, in cubiculo humi iacens orabat Deum quem Apostolus prædicaret, ut se illius do- B ctrinæ participem facere uellet. Nocte autem intempesta ad eam Apostolus uenisse dicitur, admonuisseq́ ut constans esset atq́ bono animo, quòd quemadmodum illa ipsius opera & præsidio uitam & gloriam sempiternam consecuta esset, sic ipse per eam cum martyrij corona ad Christum esset euolaturus. Cumq́ Migdonia ab eo maiorem in modum peteret, ut quemadmodum cæcorum oculos aperuisset, ita animi sui oculos aperiret, ut rectam uitæ uiam cerneret, nec in erorem incideret: Apostolus eam septem dierum ieiunium explere iussit, octauoq́ se ad eam rediturum esse pollicitus est, eamq́ aqua salutari expiaturum, omnesq́ qui illius opera essent credituri. Dum hæc geruntur, Carisius Migdeum regem, qui eius sororem uxorem habebat, rogat ut illa uxorem suam adeat, si forte eam de sententia deijcere, & à suscepto propositoq́ consilio abducere posset, quam omnes quos adhibuisset, nec precibus ab ea, nec ulla ratione impetrare potuissent, ut ad uiri thorum rediret, uel unà cibum caperet, aut etiam eum illa intueretur. Impetrat, Treptia (hoc enim reginæ nomen erat) proficiscitur, omnibus modis Migdoniam abstrahere conatur, sed frustra. Quinetiam hanc Migdonia hortatur, ut Thomam cuius de uirtutibus diceret, cognoscendi experiendiq́ causa secum adiret. Thomam in carcere multos ægros curantem offendunt: quod cum regina cerneret, misit ad pedes apostoli petens supplex, ut se uitæ æternæ participem faceret. Ipse primùm omnium eam aqua salutari expiauit, cum illi ea omnia quæ ad religionem pertinent, tradidisset: deinde cum alijs dimisit. Treptia cum ad domum regiam se recepisset, Migdeus eam rogauit, cur tamdiu abfuisset. Illa ob eam causam id contigisse dixit, quòd Migdoniam, quam antea stultam existimasset, summa sapientia præditam inuenisset. Quinetiam se Apostolum Dei, qui omnibus salubre consilium daret, uidisse. Itaque si ipse qui rex esset, nec immortalis fieri posset, eum audire uellet, fore ut nunquam morte occumberet. Ad hanc Treptiæ reginæ orationem regis animus non solum immutatus est, sed planè obriguit: accersitoq́ Carisio, Dum tuam, inquit, uxorem

A uxorem recuperare uolo, amisi meam. Treptia enim mea multo est in me iniquior, quàm in te tua Migdonia. His quasi furijs agitatus Misdeus, Thomam ad se uinctis manibus pertrahi iubet. Ab eo quærit quis'nam Deus illius esset, qui eius opera coniuges ipsius & Carisii ab eis separaret: Thomas eum Regem esse respondit, qui indigna seruitia habere nollet. Quòd si ipse qui homo & rex esset, nitidos mundosq́ue seruos habere uellet, quantò magis eum credere debere à Deo sancta castaq́ue coniugia diligi? Quæ'nam culpa ipsius esset, si ea Deo chara esse prædicaret, quæ ille in famulis requireret? Cumq́ue Misdeus uxorem suam quam ad Migdoniam proficisci uoluisset, ut eam à præcipitio liberaret, in præcipitium ab eo missum diceret, Apostolus non esse ruinam dixit, nisi deficere à castimonia & ruere in libidinē. Eos enim qui se & à libidine subtraherēt, & ad uirtutē referrēt, à ruina qua & oppresi fuissent, ad salutem reuocari, & ex tenebris ad lumen egredi. Cumq́ue rex ei imperaret, ut quemadmodum uerbis artibusq́ue magicis suis uxores à coniugum consuetudine separasset, sic eas eodem reuocaret: imperium edictumq́ue eius iniquum esse dixit, propterea quòd arcem quam ipse ædificasset, ut destrueret, imperaret: & fontem obrueret, quem alta terræ fossione eduxisset. Itaque se Christi uerbis ad eas usurum esse potius, Qui amat patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios plus quàm me, Deo dignus nō est. Eum quidē cum rex sit ad quoddam tempus, tamen si quis eius uoluntati non paruerit, pœna aliqua quæ ad quoddam tempus duret, afficere illum solere. Nec posse tamen cum corpus occiderit, animum occidere. Deum autem qui rex sit æternus, si eius uoluntas contemnatur, æterno supplicio in contemptore ita animaduertere, ut occiso
B corpore, animum etiam interficere possit. Hęc omnia Carisius audiebat inuitus. Itaque ira & furore concitatus, regem admonet, si seruis Thomam quem magum appellaret, interficiendum curaret, fore, ut ipsos malè perdat. Itaque rex lanceas ferreas totas igne incendi iussit, Thomamq́ue apostolum nudis pedibus eis appositum ita uita priuari. Quod ut factum est, aquæ effusione diuinitus ignis restinctus est: idq́ue factum esse Apostolus dixit non causa sua, sed illius, ut ita tandem aliquando crederet. Quanquam Deus hanc fortitudinem ipsi dare posset, ut sine aqua ipse ignem timere non possit. Hinc eundem in fornacem ardentem Carisii consilio adductus conijciendū curat: sed ubi flamma talem hostiam sensit, uim suam ita repressit, ut postridie incolumis sit inuentus. Tum Carisius auctor regi fuit, ut eum simulacrum solis colere uenerariq́ue cogeret. Apostolum ergo uirgines eo ritu quo solitæ erant, in templum cum tibijs, lyris, tympanis canentes, deducunt. Apostolus ut ingressus est, primùm regem obiurgauit & irrisit, quòd cum statuam suam sibi postponendam intelligeret, tamen simulacro solis quàm ipsi soli plus honoris tribueret, præsertim qui relicto sole eius imaginem ipsi alijsq́ue colendam censeret. Deinde Christi nomine dæmoni qui in simulacro lateret, imperauit, ut sine ullius damno & iniuria abiret, solisq́ue simulacrum confringeret. Quam Apostoli orationem mirantibus omnibus & obstupētibus, utraque res subsecuta est. Nam & dæmon abijt, & simulacrum solis instar ceræ liquefactum solutumq́ue est. Qua re commoti cùm sacerdotes omnes, tum uel maximè pontifex, arrepto gladio Apostolum interfecit, cum hac oratione, Ego deorū iniuriam ulciscar: cuius corpus magno cum honore ibi primùm sepultum est, deinde Edissam translatum esse dicitur imperatore Alexandro, quam in urbem idem Apostolus Taddæū unum ex duobus & septuaginta discipulis ad Abagarū regem, ut scriptum est apud Eusebium, misit.

VITA BEATI PHILIPPI APOstoli, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno auctore.



Philippus Galilęus è uico Bethsaida, quæ patria Petri et Andreæ fratrũ fuit, originẽ duxit, quẽadmodũ Ioãnes principio ferè Euangelij sui commemorat. Is se Christo postridie quàm Petrus uocatus est, in disciplinã tradidit, cum eum Iesus admonuisset, ut se ille sequeretur. Sic autẽ eum secutus est, ut ipsum nõ hominẽ solum, sed Christum quem Moses & prophetæ uenturũ prædixissent, esse profiteretur. Neq; uerò eam quã de Iesu opinionẽ habebat, dissimulauit, aut celauit: sed eius Nathanaelẽ qui ei primus factus est obuiã, participẽ sociũq; fecit. Nathanael em̃ cum Christũ à Philippo Nazarenũ esse audiuisset, & ex eo quæsiuisset, num quid boni ex eo oppido proficisci & prodire posset, Philippus ita ei respõdit, ut illi experiẽdi causa ueniendũ esse censeret. Ad Iesum ergo unà profecti sunt, qui cum Nathanaelẽ unà cum Philippo ad se uenientẽ uideret, eum esse professus est Israelitã in quo dolus nullus esset, nulla fraus. Nathanael qui miraret̃ quòd hæc de ipso Christus quẽ nunq; uidisset, prædicaret, eum, qui ipsum nosset rogauit. Eum se ille uidisse dixit sub ficu, anteq; à Philippo uocaret̃. Hic aũt Philippus postea ex cõmuni discipulorũ numero ad summã Apostolicę dignitatis gradũ Christi benignitate euectus est, id q̃d ex Matthæi, Marci, & Lucæ Euangelijs perspici licet. Paucis ante Christi mortẽ diebus nõnulli eorũ q̃ Gentiles à Iudæis quasi Barbari appellabant̃, Hierosolymã fortè uenerãt, ut die festo qui pascha dicit̃, sacrũ solenne agerent. Ii ad Philippũ uenientes, ei exposuerunt, quãta Christi uidẽdi cupiditate ducerent̃. Philippus hoc primũ Andreæ cõdiscipulo enũciauit, deinde uterq; Iesu narrauit. Ille uerò cum multis uerbis omnes aderãt hortatus esset, ut & hanc quã agimus uitã præ æterna cõtemneret, ac pro nihilo putarent, & sibi ministrarẽt, quòd ita futurũ esset, ut in cœlo eis à patre honos tribueret̃: patrẽ rogare cœpit, ut sibi gloriã tribueret. Quam illius orationẽ uox è cœlo subsecuta est dicentis se & gloriã ei tribuisse, & rursus tributurã. Omnes qui aderant, non planè uocem exaudierunt. Itaq; alij tonitru illud fuisse, alij angelum cum Christo locutum esse duxerunt. Ipse autem eam uocem non sua, sed illorum causa fusam esse dixit, causamq; exposuit multis uerbis, quæ enumerare longum esset. Idem cum è Christo à cœna pridie quàm mortem perferret, audiret, neminem ad patrem nisi eius beneficio uenire posse, eum rogauit, ut sibi ac condiscipulis patrem ostenderet: sic enim fore, ut nihil præterea requirerent. Qua oratione ostendit, quanto sempiternæ gloriæ studio traheretur, etsi nondum planè intelligebat quid diceret, nec de Christo ita ut æquum erat, sentiebat. Itaque eum ille obiurgauit, quòd cum tamdiu cum ipso uersatus esset, tamen nondum eum qui esset cognosceret. Præsertim cum uidẽdi patris se cupiditate duci exponeret, quem uideret cum ipsum cerneret. Atq; hęc quidem tantum literarum sanctarum monimentis de hoc Philippo mandata sunt. Nunc de eius doctrina & morte aliquid dicendum est. Ei Scythiam in partitione prouinciarum obtigisse inuenio, in qua cum annos ferè uiginti Christianæ religionis institutis animos populi imbuisset, innumerabilemq; multitudinem à falso cultu ad uerum traduxisset, à nonnullis qui à religione nostra abhorrebant, comprehensus est primùm, deinde ad statuam Martis ductus, ut ei diuinum honorem & cultum tribueret. Eò ut uentum est, draco inusitatæ magnitudinis ex basi statuæ erupisse dicitur, pontificis que filium, qui ignem ad sacrificium ministraret, duos que tribunos qui prouinciæ prǽessent, cuius satellites Philippum cõprehensum habebant, certo quodam impetu uulnerauisse, multosq; flatu oris in grauem morbum præcipitauisse.

A pitauisse. Philippus autem qui omnia lamentationum, gemitus, morborumque plena cerneret, omnibus tum exposuit, si consilium ipsius sequi uellent, fore, ut non solum ij qui draconis flatu in morbum incidissent, conualescerent, uerumetiam ij qui iam extincti essent, & occidissent, ab inferis excitarentur. Quinetiam se Dei sui nomine draconem qui eis tam pestifer esset, fusurum atque fugaturum esse promisit. Omnes eum tum orare ut consilium daret, quo quàm primùm uteretur. Ille Martis statuam deijciendam esse dixit, & in eius loco IESV CHRISTI crucem figendam, quam ipsi uenerarentur & colerent. Cumque ægri sibi uires deesse clamarent, ostenderentque lachrymis se si possent quàmprimum deiecturos esse statuam, Philippus draconi Christi nomine ut eò abiret, ubi nocere nemini posset, imperauit: atque ita eius iussu euasit. Tum autem & pontificis filium, & duos tribunos quos paulo antè dixi, ab inferis excitauit, & omnes qui flatu draconis in morbum inciderant, curauit. Quo factum est, ut omnes qui antea Philippo infesti erant, pœniteret scelerum suorum, ipsique eum ut Deum hominis specie & figura adorarent. Ipse autem annum ibi præterea commoratus est, totum que illud tempus in tradendis docendisque religionis nostræ mysterijs institutisque consumpsit. Christum enim docebat mundo, qui in maximum discrimen salutis deductus esset, aduentu suo remedium attulisse, eumque liberasse: eũdem natum ex Maria uirgine, mortem salutis hominum causa perpessum, sepultum, ac tertio die excitatum à mortuis, quæ ante mortem docuisset, eadem docuisse cum reuixisset: quadragesimo die, in cœlum discipulis spectantibus ascẽdisse, unde Spiritum sanctum sicuti pollicitus erat, ad suos misset, à quo specie ignis in singulis insidente, omnium populorum atque nationum sermone et linguis fuissent eruditi.
B Se ex eorum numero unũ eò missum, docuisse simulacra uana & futilia esse, generique hominum aduersa. Hæc atque alia eiusdem generis cum Philippus doceret, innumerabiles homines ad Christi cultum & religionem traducti baptizatique sunt. Institutis autem eorum hominum ordinibus & gradibus, qui rem diuinam procurarent, delectoque pontifice, multisque templis ædificatis, ipse oraculo diuino admonitus, in Asiam reuersus est. Ibi in urbe Hierapoli sectam Ebionitanorũ qui Dei filium ueram hominis naturã ex Maria uirgine sumpsisse negabãt, euertisse ac sustulisse, eorumque inuidia & scelere in crucẽ actus & lapidibus obrutus esse dicitur. Quanque in peruetusto bibliothecæ Cormœriacenæ uolumine non cruci suffixum eum reperio, sed septimo quàm excederet è uita die, omnes clericos ad se accersisse, eisque exposuisse, septem dies sibi à Deo cõcessos esse, ut eos hortaretur, ut in Christi doctrina & cultu permanerent: eumque annos natũ septem et octoginta in cœlum ad Christũ migrasse, duasque eius filias uirgines post aliquot annos mortuas à dextra læuaque eius sepultas fuisse. Quarum etiam mentionem apud Eusebium facit Polycrates in epistola quam ad Victorem Romanum pontificem misit. Sed ne errore labamur, quemadmodum Eusebius, diligenter uidendum est. Neque enim Philippus, is quem in actis Apostolorum Cæsarea uisum à Paulo & eius quatuor filias uirgines Lucas scribit, apostolus, sed tantum diaconus fuit.

D. IACOBI, IVDAE APOSTOLI FRAtris, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno auctore.



Acobus Iudæ ac Simonis frater, Alphæum patrem habuit, & Mariam matrem, quæ interdum in sanctis scripturis, Maria Iacobi, interdum Ioseph mater, interdum etiam Maria Cleophæ f. filia dicitur. Hic quidem quando à Christo uocatus fuerit, incertum est. uocatum autem eum esse, hinc intelligi potest, quòd Apostolatus dignitatem

ab eo consecutus est, cum nemo ad eum honoris gradū ascēderit, qui se antè in Christi disciplinam tradidisset. De eo priuatim ac propriè nihil prorsus ij quatuor sanctissimi uiri, qui libros quatuor qui Euāgelia inscripti sunt, scripserūt, literis mādarunt. Paulus autē eius mentionē facit multis locis, & Lucas in eo libro quem Acta Apostolorū inscripsit. Ac Paulus quidē in priore epistola ad Corinthios, Christum cum excitatus esset ab inferis, ei se ostendisse scribit. Deinde, inquit, uisus est Iacobo. Quod quemadmodum gestum sit, Hieronymus in Euangelio quod Hebræorum diceretur, quodꝗ ipse, ut ait, ex Hebræo in Græcum & Latinum conuertit, se reperisse commemorat. Iurauerat ipse, ut Euangelium illud exponit, nunꝗ se cibum esse capturum ex ea hora qua cruci Christus suffixus fuerat, quoad excitatum eum à mortuis cerneret. Itaque Christus qui quanto ille sui desiderio moueretur, consideraret, uenit ad eum, instructaꝗ mensa, panem ei porrexit, admonens eum ut ederet, quòd ipse ab inferis excitatus esset. Idemꝗ Paulus in principio epistolæ quam ad Galatas scripsit, anno tertio ꝗ à Christo delectus esset, Hierosolymam se profectū esse dicit, ut Petrū uideret, apud quem etiā dies quindecim sit cōmoratus. Alium autem apostolorū se uidisse negat, præter Iacobū Domini fratrem. Anno inde quartodecimo eandē in urbē se uenisse scribit, unà cum Barnaba & Tito, afflatu diuino incitatū, ut de Euangelio cum ijs qui in precio erant & honore cōmunicaret. Ibi autē cum Iacobus hic, Petrus & Ioannes qui columina disciplinæ nostræ esse uiderent, munus ac beneficiū quo ipsum Deus affecisset, cognouissent, illos ipsi ac Barnabæ dextras societatis dedisse, ut illi Gentibus, ipsi Iudæis mysteria religionis nostrę enūciarent & traderēt. Atꝗ hęc quidē Paulus de eo scribit. Lucas autē in eo libro quē modò nominaui, scribit, cum Antiochiæ factione quorundā Iudæorū inter religionis nostræ homines, magna quædā de circūcisione Mosaicę legis orta esset dissensio, nonnulliꝗ ei legi hac in parte parendū esse necessariò censerent, alij cōtrà, in ijs Paulus & Barnabas negarent, omnibus tandē placuisse, mitti Paulū & Barnabā cum quibusdā alijs alterius factionis Hierosolymā consultū apostolos maioresꝗ natu, quæ nam eorū de hac re esset sententia. Eosꝗ cum eò uentū esset, curasse conuocandos apostolos & maiores natu, quorū Petrus exposuerit sibi à Deo patefactū esse, barbaros quos Gentes uocarent, ad religionē disciplinamꝗ nostrā pertinere. Itaꝗ non esse, quòd conarent iugum imponere ceruicibus omniū, quod neꝗ ipsi, neꝗ maiores eorum ferre patiꝗ potuissent. Fide enim eos quēadmodum & Iudæos salutem posse consequi. Quæ cum Petrus dixisset, indicto paulisper silentio, Iacobum censuisse, quoniam Simon ut omnes audiuerant, diceret, sibi à Deo significatum, barbaros quos Gentes appellarent, ab ipso electos esse, cui etiam cùm aliorum prophetarū, tum uerò Amos uerba & testimonia congruerent, barbaros non esse ex ordine & loco mouendos, scribendūꝗ ad eos esse, ut se ab ijs cibis qui idolis immolati essent, à stupro & fornicatione, à suffocatis animalibus & sanguine abstinerent. Hanc uerò Iacobi sententiam adeò cōprobatam esse omnibus, & apostolis & maioribus natu, ut epistolā ad Gentes quæ nostræ religionis institutis parērent, in eandem sententiā scribendam censuerint. Atꝗ hæc de Iacobo in scriptis diuinis sola reperiuntur. In quibus quanquam non est scriptum, eum ab Apostolis statim post ascensum Christi Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfectum esse pontificem, tamen & Egesippus & Clemens Alexandrinus & Eusebius & Hieronymus hoc asserunt, idemꝗ Ecclesia ita comprobat, ut eam sententiam, cuius paulo antè mentionem feci, ab eo ut Hierosolymitano pontifice dictam existimet. Quæ sequuntur ex Egesippi cōmentarijs Eusebius conquisita & collecta, ut ipse ait, exposuit: neꝗ enim in ijs quinꝗ libris eius qui extāt, ea reperire potui. Iacobus hic ex utero matris suæ sanctus fuit, uino nunꝗ usus est, neꝗ ulla alia potione quæ ebrios reddit,

A reddit, nec animaliũ carnibus unq̃ uesci uoluit, ferro et nouacula nunq̃ rasum est eius caput, oleo corpus nunq̃ perfudit aut unxit. Ei uni in templũ interius quod Sancta sanctorũ dicit̃, ingredi licebat, neq; enim laneis, sed tantũ lineis uestibus utebatur. Solus in templũ uenire solitus erat, ibiq; diu genubus humi hærentibus Deum ut populo suo propitius esset, orabat: in eoq; tam diu persti tit, ut genua eius quasi callo quodã obduruerint. Itaq; ex hac opinione quam de incredibili eius abstinentia & sanctitate omnes habebãt, Iusti cognomẽ inuenit. Cum autẽ multos annos cum hac tali opinione Ecclesiam Hierosolymitanam sibi traditã & cõmendatam, rexisset, tricesimo anno nonnulli qui Pharisæorum, Scribarũ & Saducæorũ sectas sequebant̃, eum rogarunt quid nam de Iesu sentiret. Ille cum eum seruatorẽ esse prædicaret, multi de populo orationi eius fidẽ habuerunt: illorũ nemo eum nec excitatũ ab inferis, nec uẽturum ut pro suis cuiq; meritis reddat, credidit. Itaq; illi cum in suo errore perstarent, cõcitare in Iacobũ odia populi, miscere sermones, clamare ac uociferari, nihil restare, nisi ut omnes Iesu religionẽ disciplinamq; approbarent. Quod etsi Iacobi maximè opera et crebris cõcionibus fieri animaduertebat, hoc tamẽ non sibi ostendendũ, sed simulata quadã fronte legendũ censuerunt. Hinc ad eum conuenerunt, petitum, ut populũ qui de Iesu ita sentiret, ut Christũ, id est, eum quem expectandũ seruatorẽ prophetæ prædixissent, illũ esse prædicaret, ab ea tanq̃ falsa sentẽtia abduceret. Se ac populũ dẽ illius probitate ac uirtute ita existimare, eiq; tantũ tribuere, ut nullius rationẽ eum habiturũ existimarent, potius q̃ ueritatis. Diem festũ instare qui Pascha diceret̃, ad quem in urbe infinitam hominũ multitudinem affuturã intelligeret: eo die ipse de loco superiore

B uerba de Iesu ad populũ faceret, ne deinceps in eum errorẽ induceret̃. Ipse qui nihil eos fraude agere existimaret, tantã de Iesu dicẽdi occasionẽ nactus, cum dies uenisset, tẽpli pinnã eorũ rogatu cõscendit. quò ut uenit, eum magno clamore sublato orare cœperũt, ut ipse quem omniũ iustissimũ et optimũ scirent, cuiq; parere omnes deberent, quid de Iesu sentiret, quem plebs ut Christũ coleret, palàm ac publicè profiteret̃. Iacobus magna tum uoce, ut omnes intelligerent, ita exorsus est: Quid me nc de Iesu rogatis? en in cœlo à dextra Dei sedet, uenturusq; est, ut inter omnes dijudicet. Hoc Iacobi de Iesu testimonio uariè affecti sunt ij qui aderãt. Ii enim qui disciplinæ religionisq; nostrę institutis imbuti erant, magna ex eo lætitia affecti, Deum laudibus in cœlũ ferre cœperunt. Scribæ autẽ & Pharisæi tantis iracũdiæ inuidiæq; facibus inflãmati sunt, se ut peccasse in eo faterentur, quòd eiusmodi testimoniũ Iesu ipsorum opera dictũ esset. Itaq; alij alios hortari, ut ascenderent, & ex pinna Iacobum præcipitem darent, cuius supplicio & morte cæteri à fide & professione Christianæ religionis deterrerent̃, & abducerentur: Iustum etiã errasse dicebant, Iustum lapidibus obrui oportere. Quod etiam perfecerunt: nam cum ad pinnam uentum esset, non solum præcipitẽ ui magna & impetu dederunt, uerumetiam lapidatione. Nec tamen eo supplicio extingui potuit, sed conuersus atq; in genua erectus, rogare Deum cœpit, ne tale facinus eis noxę ac fraudi esse uellet, eos enim ignorare quid facerent. Cumq; talia orantem ex superiore loco lapidibus obruerẽt, Rechabius quidam sacerdos Rechabimi filius, orare eos cœpit ut ignoscerent, ac desinerent eum lapidibus obruere, qui pro ipsis precaretur. Illi nec tanta uiri in ipsos charitate, nec Rechabij consilio & precibus ducti, finem eum interficiendi fecerunt, quoad unus eorum arreptum fustem fullonum, cerebro eius illisit. Taliq; morte Iacobus ad Christum migrauit.

Eam autem de eius sanctitate omnium Iudęorum opinionem etiam Iosephus qui à nostra disciplina abhorruit, fuisse scribit, ut morte eius causam datã Hierosolymitanæ oppugnationi atq; adeò euersioni & cladi sapientissimus quisq; & optimus iudicauerit.

D. SIMONIS ET IVDAE APOSTOLORUM uita, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno auctore.

A



Simonis & Iudæ Christi Apostolorum uitam uno sermone concludere constitui, propterea quòd eodē in loco & religionis nostræ mysteria tradidisse, & mortē pro Christo eodē etiam die pertulisse reperiuntur. Ii quidem Alpheo patre, & Maria matre nati sunt. Maria autē eorum mater in Euangelijs modò Mariæ Cleophæ s. filia dicitur, modò Iosephi mater qui fuit Christi discipulorū unus, aliàs Maria Iacobi s. mater, aliàs Maria Iacobi & Iosephi mater. Quòd si Iudas hic de cuius rebus gestis scribimus, principio Epistolæ quam unam eamq; perbreuem scripsit, Iacobi se fratrē nominat, profectò iam tres illos, Iacobum, Iudam & Iosephum fratres fuisse intelligimus. Restat ut Simonem de quo sermo est, eorum fratrem fuisse doceamus, quod nisi Ecclesiæ auctoritate quæ hos duos de quibus loquimur, semper ut fratres uenerata est, non possumus. Iacobum autem horum fratrē eum intelligimus, qui post ascensum Christi ab Apostolis Hierosolymitanus pontifex præfectus est. Alter enim Iacobus qui Zebedæi filius fuit, Ioannem fratrem habuit. Atq; hi quidem quo tempore se in Christi disciplinā tradiderint, literarū sanctarum monumentis proditū non est. Apostolos autē eos delectos esse aut potius selectos ex cōmuni discipulorū numero, Mattheus, Marcus & Lucas docēt. Eo, uerò in Galilææ oppido quod Cana dicitur, natos esse, hinc sciri potest, quòd Simon hic interdū Cananæus, interdum Zelotes nuncupatᷓ. Quoniā enim Cana Zelus ab Hebræis appellatᷓ, duo eorum qui Euangelia scripserunt, Cananæum, Lucas uerò Zelotem eum nomināt: illi uerbū Hebraicū secuti, hic Græcam interpretationē. Nihil de eis in diuinis literis scriptū reperio duntaxat quod ad illos priuatim pertineat, nisi quòd in illo prolixo sermone, quem à cœna extrema Christus ad apostolos habuerit, cum ipse Christus dixisset, Qui præcepta ipsius haberet, eisq; parêret, eum esse qui ipsum diligeret: eum autem qui ipsum diligeret, Patri charū futurum, seq; ipsum ac Patrē illi ostensurū. Ioannes scribit tum Iudam hunc quæsiuisse à Christo, quamobrem ipsi atq; condiscipulis se ostensurū esse, non mundo diceret, Christumq; ei respondentem facit, Si quis ipsum diligeret, fore, ut ipsius præceptis obediret, eiusq; Pater illum charū haberet, & ad illū uenirent, & apud eum manerent atq; habitarent, & quæ apud illum sequunᷓ. Iis autem in partitione prouinciarū Persis obtigit, ad quam ut uenerūt, magos duos Zaroen & Arphaxatium qui Matthæi apostoli cōspectū fugerāt, inuenerūt. Horum doctrina ita falsa erat, ut Deum uerū qui Abrahami & cęterorū ueterum Deus dicereᷓ, tenebrarū Deum uocarēt, Mosen ueneficū esse dicerēt, prophetas omnes à Deo tenebrarū missos dicerent, homines animos à Deo delibatos habere, corpora à Deo præpostere facta. Itaq; contrarijs diuersisq; rebus corpus gaudere, ijsdemq; animū offendi solitū, contraq; quibus ex rebus animus uoluptatē caperet, eas corpori dolorē afferre & molestiā. Solem etiā, lunam & aquam in deorū numero reponebāt. Dei autē filiū Iesum Christū Dominum nostrum, nec uerum hominē ex uera uirgine natū, nec uerè tentatū, passum, nec uerè ab inferis excitatū esse tradebāt. Ac Magorū quidē talis disciplina & doctrina erat, eaq; Persarū animos magna ex parte imbuerant, aut potius infecerant. Simon autē & Iudas tum Persidis fines attigerunt, cum Xerxis regis Babyloniorū exercitus, cui Varada dux pręerat, cōtra Indos q Persidis fines inuaserāt, educebaᷓ. Habebat autē in comitatu suo Varada dux aruspices, ariolos & magos, quorū opera & artib. deos cōsulebat, ut quid nam agendū esset, eorū oracula patefacerent. Cum uerò eo ipso die, quo apostoli uenerant, nulla

B

responsa

A responsa dare possent, coacti sunt ad fanum finitimi oppidi consulendi causa proficisci, ubi dæmon respondit deos qui se illis ad precium properantibus comites præberent, nihil omnino responsi dare posse, propterea quòd Dei apostoli ibi essent, quorum unus Simon, alter Iudas diceretur. Eos tantam uim à Deo consecutos esse, ut nullus Deus illis præsentib. loqui audeat. Varada dux diligenter conquisitos apostolos ad se adducendos curauit, præsentesq; rogauit, unde, & qui essent, quæq; eorum aduẽtus causa esset. Simon si genus quęreret, Hebræos se ac fratres esse respondit: si conditionem, IESV Christi seruos: si causam tanti itineris, illius omniumq; salutis causa uenisse, ut relicto simulacrorum errore, Deum qui in cœlis esset, possent cognoscere. Negat ille sibi tum ocium esse plura ab eis de his rebus audiẽdi, quòd Indi ascitis socijs Medis in Persidem impetum fecissent. Itaq; eos se cum uictor redisset, studiosius auditurũ esse dixit. Iudas contrà confirmabat consentaneum esse iam in animo ipsius notitiam aliquam illius imprimi, cuius ope & auxilio uel uictoriam obtineret: uel certè eos qui defecissent, pacatissimos redderet. Quæ Iudæ oratio fecit, ut Varadæ duci ueniret in mentem quod diu respondissent. Itaque eos rogauit, ut quoniam dij patrij nihil illis præsentibus respõdere ausi essent, ipsi quem belli euentum & exitum habiturus esset, prædicerent. Simon se ac fratrem illis pristinam facultatem respondendi dare dixerunt, quo facilius eorum errorem quos futura prædicere putaret, coarguere posset. Cumq; ille unum hoc se optare, ut loquerentur dixisset, apostoli eis potestatem CHRISTI nomine fecerunt. Illi autem graue ac diuturnum bellum futurum esse dixerunt, & ex utraq; parte magnum militum numerum interfectum iri. Quæ illorum oratio risum Apostolis mouit tantum, ut Varada eos accusarit, quòd in
B tanto metu suo ipsi tamen riderent. Apostoli metum illius depulsum esse dixerunt, quòd secum in eam prouinciã pacem inuexissent. Itaq; si eo die longius minimè progrederet̃, postridie eos quos pręmisisset redituros esse cum Iudæorum legatis, qui & loca capta redderent, & ad cõditiones pacis quas uellet, Indos descensuros nunciarent. Pontifices eodem modo in risum soluti, ducem admonuerũt, ut ne ignotorum & externorũ hominum plus apud eum, quàm deorum ualeret autoritas. Illos enim fallendo loqui aliquid, ne speculatores esse uideantur, & illum bono esse animo iubere, ut dum minus cautus esset, posset nec opinato circunueniri, & opprimi. Deos autem ueros esse, dedisseq; responsum eiusmodi, quod ipsum admoneret ut prouideret. Simon externos, ignotos & egentes se ac fratrem fateri: sed tamen cum ipsi non mensem unum expectandum esse censuerint, uerùm unum diem, eumq; posterum quo euentura ea essent quę ipsi prædixissent, non id longum aut molestum uideri debere. Pontifices tum furere ac dicere, Quid? inter aureas et gemmis distinctas uestes, inter purpuram & auro textas tunicas, deos patrios mentiri posse? quamprimum eam deorum iniuriam omni supplicio uindicari oportere. Varada cum hoc mirum uideri dixisset, quòd externi & ignoti homines tam constanter asseuerarẽt quod ab oraculis eorum discreparet, illiq; eum hortarent̃, ut Apostolos in custodiã traderent, ne fugerẽt. At uerò, inquit, nõ ij solum, sed uos etiam in custodia eritis, ut rerum exitus doceat, utrorum testimoniũ sit uerius. Tum uidebit̃, utri honorib. meritò affici, utri supplicijs debeãt. Postero die hora tertia ea omnia acciderũt quæ Apostoli pędixerant. Itaq; dux ignem excitari iussit, in quem uiui pontifices conijcerentur: quod cum apostolis nunciatum esset, se ad illius pedes miserũt, ab eo petentes, ne id faceret, ne ipsi qui salutis hominũ causa uenissent, ut mortuos ab inferis excitarent, uiuos occidere uiderent. Mirari se tum dixit dux, ꝙ pro illis peccatores accederent, qui nihil aliud egissent per pręfectos & tribunos, pretio etiã adiecto, nisi ut ipsi uiui exurerent. apostoli aũt cum disciplinę nostrę instituta postulare dicerẽt, ut nõ so-



lum malum pro malo non referrent, sed etiam bonum pro malo, hoc ille ab A
eis contendit, ut uel hoc paterentur, omnes eorum facultates sibi tribui. Tum censa sunt bona omnium, quorum quisque quoque mense de fisco libram unam capiebat, cum centum uiginti pontifices templorum essent præter eum qui principatum obtinebat, cui quadruplum pendebatur. Adduxit postea dux ad regem apostolos, eosque deos esse dixit, specie ac figura hominum, eique exposuit ea omnia quę accidissent, uictoriam, pontificum insaniam, eorum in pontifices misericordiam & charitatem singularem, quanta in eis esset diuitiarum despicientia & contemptio, quòd cum facultates pontificum eis uellet tradere, ipsi sibi quicquam possidere in terra nefas dicerent: esse enim eorũ possessionem æternam in cœlo, ubi regnaret immortalitas. Itaque eos dicere, se non posse ulla ratione aurum accipere, uel argentum, uel domos, uel prædia, uel seruos, uel ancillas, quippe cum hæc omnia terrena sint, & morientem hominem non sequantur. Hoc etiam addidit, cum eos admoneret, ut uel pauxillum acciperent, quòd essent exteri & egentes, se egentes esse negasse, quòd diuitias cœlestes haberent. Quinetiam eos ipsi hoc consilij dedisse exposuit, si censum sibi saluti esse uellet, erogaret debilibus, largiretur uiduis & pupillis, conferret in egentes & ægrotos: multaque alia quæ ab eis didicerat, regi exposuit. Interea Zaroes & Arphaxatius magi, de quibus initio multa dixi, qui aderant cum hæc Varada de apostolis regi narraret, coniurasse eos contra deos & regnum illius dixerunt, quod ut uerum esse intelligeret, prohiberet eos loqui, nisi antè deos adorassent. Cumque Varada Apostolorum patrocinium suscepisset, magisque diceret ut facerent, si auderent, artibus suis, ut deos Babyloniorum adorarent: illi contenderunt ab eo, ut si quid possent experiri uellet, accersiri iuberet homines qui plurimum dicendo possent: tum fore, ut omnino muti redderentur. Placuit conditio. homines accersuntur, qui & copia dicendi, & disputandi acumine præstabant. Cumque magi illi (huic autem spectaculo rex, dux, clarissimique Babylonij interfuerũt) primi uerba fecissent, repentè illi disertissimi homines ita muti effecti sunt, ut ne nutu quidem quod uerbis non poterãt, significare possent. Quod cum regi mirum uideretur, magi paulo pòst ei exponunt, se tam disertis uiris illius ita loquendi potestatem facere, ut tamen se ipsi penitus loco mouere non possent. Quo facilius nos, inquit, ex numero deorum esse intelligas. Nec uerò hoc unum se facturos, sed hoc etiam ut iterum illis mouendi se loco facultate ipsorum nutu & uoluntate concessa, apertis oculis nihil cernerent: utrumque horum regis ducisque animis terrorem stuporemque tantum iniecit, ut & ipsi quod contrà dicerent, non haberent: & amici eorum affeuerarent, nõ esse illorum uim tantam, quantam cernerent, contemnendã, ne ipsis idem quod ijs quos uiderent, magorum artibus contingeret. Dux qui apostolos charos haberet, hęc omnia eis exposuit. quæ cum audissent, ab eo contenderunt, ut eloquentes illos homines, ad se prius adducerent, quàm ad magos, ut eodem certaminis genere dimicarent. Sic enim perspecturum eum, quàm imbecillia sint uanitatis arma, si cum ueritate congrediantur. Dux hac apostolorum oratione adductus, uiros illos qui summa dicendi facultate præditi erant, adit, eisque narrat quanta molestia affectus esset ex ea ignominia & infamia quam superiore certamine suscepissent. Itaque ex eo tempore nihil aliud à se actum esse, nisi quemadmodum maculam illam obliterare & delere possent. Neque uerò se antè destitisse, quàm excogitarit, quod huic malo remedium offerret. Esse enim homines à se inuentos, quorum præceptis instructi, facilè magos uincerent. Gratias illi maximas Varadæ, cum se ad illius pedes abiecissent, egerunt, eumque rogarunt, ut rem maturare uellet. Producit ille Apostolos, quos cum illi sordidis uestibus indutos aspexissent, eos ferè contempserunt, ac pro nihilo putarunt.

A runt. Simon qui hoc ex uultu eorum intelligeret, ferè dixit fieri, ut in aureis & argenteis res minimi precij recondantur. contraq́; ut in ligneis thecis, pateræ, scyphi, candelabraq́; aurea gemmisq́; distincta reponantur. Solere etiam uasa pulcherrima in quibus acetum sit, contemni: dolia uerò uini præstantissimi plena, quanquam aspectui ingrata essent, tamen homines odoris & saporis sensu ita afficere, ut degustare uelint, nec eos de aspectu qui offendit, sed de sapore tantum cogitare. Itaq́; omnes qui alicuius rei cupiditate ducantur, non magnopere de eo in quo inclusa sit laborare, dummodo re ipsa perfruantur. Nihil ergo esse quod eos habitus ipsorum seruilis, offenderet, cum intus laterent ea, quæ facere possent, ut & gloriam & uitam consequerentur sempiternam. Omnes enim homines ijsdem parentibus natos esse, eos cum à Deo in loco amœno, in quo tantum uitæ nullus morti locus erat, collocuti essent, consilio impulsuq́; angeli qui hominis felicitati tantæ inuideret, legem quã à Deo acceperant, uiolasse, ob eamq́; causam seruos eius affectos esse, cui parére uoluissent. Hinc factum esse, ut ex illo tam amœno fortunatoq́; loco in hanc terram tanquam in exilium quoddam expulsi sint. Ipsos autem atq́; eorum posteros, quanquam in hoc quasi exilium missi essent, tamen non neglectos esse à Deo, sed tam charos habitos, ut si Deum effectorem solum colere uenerariq́; uelint, nihil eis angelus ille nocere & obesse possit. Egisse tamen hoc inimicum illum angelum, ut homo à conditore suo desciscens, idola coleret, elementa adoraret, lignumq́; quod ipse dolauerat, deum suum appellaret. Hunc aũt errorem illum in hominibus ob eam causam fouere, ut eos imperio suo dominatuq́; cohibeat, eisq́; arbitratu suo abutatur. Itaq́; illum fecisse magorum suorum artibus, ut ipsi quandiu uoluerit, primùm tacerent, deinde oculorum mu-
B nere non fungerentur, postremò ut moueri loco non possent. Quòd si idolorum cultum repudiaturos se esse promitterent, & eum qui solus sit Deus ueneraturos atq́; adoraturos, fore ut ipsi manus capitib. eorum imponerẽt, & Christi signum in eorum frontib. imprimerent, quibus illi rebus & quasi armis instructi, nisi magos refellerẽt, ac superarẽt, falsa omnia & futilia quę ab ipsis assererent, crederẽt. Omnes tũ se ad apostolorũ pedes miserunt, polliciticq́; sunt, si impedirent quo minus magi nihil ipsis obesse possent, fore ut ab idolis discederent. Apostoli cum Deum orassent, ut magis quanta posset ostenderet, quẽadmodum Zambri & Mambri ostendisset, illosq́; qui religionem fidemq́; ipsius se accepturos pollicerentur, tanta constantia & fortitudine armaret, ut omnes præpotentem eum cognoscerent, eos ad regem abire permisit. Magi eòdem uenerunt: qui cum maximè conarentur, idem quod antea facere non potuerunt. Prouocabant etiam eos illi, quos pridie uicerant, ut si possent eadem agerent. illi cum nihil aliud possent, serpentum ingentem uim excitarunt. Accersendos omnes apostolos censent. Ii primo aduentu suo congesserũt in pallia sua serpentes, quas in magos concitarunt: ita tamen, ut morderi illos ab eis tantum sinerent, nõ morsibus etiam interfici. Itaq́; rex cæteriq́; omnes agebant cum apostolis, ut serpentũ morsib. eos necari sinerent. Illi uerò missos se esse, non ut à uita quenquã in mortem præcipitem darent, sed ut omnes ad uitam à morte reuocarẽt. Proinde Christi nomine serpentib. imperarũt, ut ueneno quod in corpora magorũ diffuderãt collecto, loca sua repeterent. Iussu aũt eorum ita abierunt, ut maiorẽ cruciatũ sugendo uenenũ, q̃ infundẽdo, magi sentirent. Liberatos apostoli monuerunt, ut scripturam audirent, quæ diceret, eum qui alteri foueam pararet, in eam priorem casurũ. Eos quidem ipsis mortem parauisse, se cõtrà Christũ rogasse, ut eos à morte seruaret: neq́; hoc solum, sed cum id sceleríb. eorum deberẽt, ut multos annos ex serpentũ morsu ac uulneribus laborarent, se tamen impetrasse, ut tertio die pristinam ualetudinem recuperarent. Eos fortasis ab impietate discessuros, cum Dei uoluntatẽ in se

experi-

experirent. se em̃ illos triduũ illud ob eam causam excruciari uelle, ut eos erro- A rũ scelerũq; suorũ pœniteret. Ita admonitos domũ duci iusserũt. illi aũt triduo illo nec cibum, nec somnũ capere potuerunt, sed sensu doloris coacti, nullũ finem uociferãdi clamandiq; fecerunt. Iamq; spes salutis omnis propè adẽpta erat, cum apostoli ueniẽtes, ita eos allocuti sunt, Deum coacta seruitia respuere, itaq; salui & incolumes ita surgerẽt, ut si uellent, se à malo ad bonũ cõuerterẽt: tenebrisq; relictis, lucẽ sequerent. Illi aũt in perfidia erroreq; perstantes, quemadmodum Matthęi apostoli, sic horum conspectũ fugerũt, uniuersamq; Persidem peragrãtes, omnium qui idola colebãt, inuidiã & odium in eos concitarunt. Apostoli regis aliorumq; rogatu Babyloniæ diu cõmorati sunt, cum interea miris operib. editis, curandis morbis omniũ innumerabiles ad Christi religionẽ traduxerũt. Post aũt peragrata uniuersa Perside, ad urbem quandam Sunirũ nomine peruenerũt. In ea magi pontifices admonuerãt, uenturos esse duos Hebræos, qui illorum deos & ipsi cõtemnerent, aliisq; contemnẽdos relinquendosq; censerent. quod si obtinerent, fore ut ipsi sine honore, sine gloria, sine re uiuerent. Apostoli cum eò uenissent, à ciue quodã cui nomen Sẽni erat, quemq; primo suo aduentu Christi religione ac fide imbuerant, hospitio accepti sunt. Quod ut primùm pontifices resciuerunt, omnes eò cum populo quem concitassent, uenerunt, Semniq; imperarunt, ut inimicos deorum suorum produceret, ac si cum eis non sacrificaret, deosq; coleret, se illum ac domum ipsius cum eis incensuros esse minati sunt. Comprehendunt apostoli, & ad templum Solis deducuntur. Illi cum in primo etiam templi aditu essent, dæmones per eos homines in quibus erant, clamare cœperunt, quid eis cum ipsis rei esset, cum apostolos Dei uiui eos appellassent. se enim aduentu eorum exuri. Erat in ea templi parte, quę ad Orientem pertinebat, currus fusilis ex auro, B in quo sol cum radiis fusilis ex auro erat collocatus. Ex altera parte stabat luna fusilis ex argento cum curru boum fusili ex argento. Eos ut colerent, Apostoli pontifices cum magis duobus quos fugisse dixi, & populo, cogebant. Interea apostoli inter se Hebraico sermone colloquebantur: prior Iudas cernere se Iesum dixit, à quo uocarentur. Simon eundem se etiam iamdiu uidere dixit, angelum enim sibi cum oraret, hoc prædixisse, se utrumq; emissurum è templo, ac tum deniq; templum casurum, cuius ruina illi omnes opprimerentur. Se tamen orasse, ne ita fieret, q nõnulli fortasse Deum relictis idolis secuturi essent. Hæc dum illi Hebraico, ut dixi, sermone inter se colloquuntur, angelus eis se ostendit. eisq; potestatẽ alterutrã eligendi fecit, ut uel unus aliquis eorum qui aderant, interiret, uel ipsi martyres ad Christum migrarent. Illi Deum se orare responderunt, ut pro sua misericordia eximiaq; bonitate & illis ignoscerẽt, & ad coronam martyrii perducerent. Hęc cum soli apostoli & uidissent & audissent, eos pontifices Solem & Lunam colere cogebant. Ipsi uerò indicto silentio, Solem & Lunam seruos Dei esse scire se professi sunt, qui tamen in cœlo essent collocati. Itaque eos non sine iniuria, in templo includi, quos in cœlo collucere ab orbe condito constaret. Atq; ut intelligerẽt non Solem & Lunam in simulacris inesse, sed dæmonia; ipsi imperaturos se dæmonibus professi sunt, ut ex simulacris exirent, atq; ea comminuerent. Hæc inter eos officia diuisa sunt, ut uno eodemq; puncto temporis Simon dæmoni qui in Solis, Iudas ei qui in Lunę simulacro inclusum erat, imperaret. Quod cũ ab eis factum esset, statim duo Aethiopes nigri, nudi, horribiliq; specie uisi sunt egredi, qui simulacris in frusta concisis, cum magno clamore abierunt. Hoc cum moleste acerbeq; ferrent pontifices, impetu facto Apostolos interfecerũt. Ea ipsa hora cum summa esset serenitas, & tranquillitas, repentè templum illud de cœlo tactum tres in partes discissum est. magi autem etiam de cęlo tacti sunt, cum nullam speciem nisi prunarum eorum corpora gererent. Xerxes autem rex non

ita

A ita multo pòst de pontificibus supplicium sumpsit, apostolorum uerò corpora Babyloniam transferēda curauit, eisq; templum miro magnificoq; opere exædificauit. Hæc ex ueteri quodam Cormœriacenę bibliothecæ uolumine descripsi, quæ auctor uacans nomine ex Africani ueteris scriptoris libris se excerpsisse confirmat.

B. MATHIAE APOSTOLI VITA Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno auctore.



Athias Christi Apostolus, Bethleemitanus ex tribu Iuda originē habuisse dicitur. Is quemadmodū ex libro Lucæ, qui Acta Apostolorum inscriptus est, intelligi potest, Christū ab initio doctrinę ac prędicationis secutus, nunq; ab eo postea discessit: nec tamen unà cum cæteris ex communi discipulorū numero ad apostolicæ dignitatis arcem elatus est, sed in locum Iudæ qui magistrū discipulus prodidit ac uendidit, post Christi ascensum successit. Quod quemadmodū euenerit aut factum sit, quoniam ad eius laudem pertinet, nō erit alienum exponere. Cum Christus apostolis spectantibus in cœlum ascendisset, apostoliq; & alij qui unà aderant Hierosolymā domum in qua habitabant, redijssent, nō ita multo pòst Petrus apostolus surgens, omnes qui circūstabant, numero ferè centum & uiginti, his uerbis discipulos cōuenit. Scripturā impleri oportere, quam spiritus sanctus ore Dauidis prędixisset de Iuda, qui dux fuisset eorū qui Iesum Christum cōprehenderant. Eum quidem eundē gradum honoris adeptū esse,
B quem ipsi consecuti essent, sed præmium scelere dignissimū consecutum esse eiusmodi, ut suspensus medius crepuerit, diffusis intestinis omnibus. Idq; omnibus Hierosolymitanis ita copertū exploratumq; fuisse, ut ager lingua eorum Ager sanguinis nominaretur. Scriptum enim esse in libro Psalmorū: Fiat domiciliū eorum desertum, nec sit qui in eo habitet, episcopatumq; eius alter accipiat. Proinde in eius locum sufficiendum cooptandumq; esse unum ex ijs qui semper Christum unà cum ipsis iam ex eo tempore secuti essent, cum à Iohanne baptizatus esset, ad eum quò in cœlum ascendisset, qui unà cum eis palàm ac publicè Christum à mortuis excitatum esse testificaretur. Hac Petri oratione cæteri adducti duos constituerūt ac proposuerunt, Iosephum qui Barsabas diceretur, & Mathiam, de quo dicimus: orauerunt q; Deum in commune, ut doceret ac patefaceret, utrum eorum uellet in Iudæ locum succedere. Cūq; eis sortes dedissent, Mathias sorte Apostolus delectus est. Nec uerò hoc gradu honoris indignum se præstitit. Nam cum in partitione prouinciarum Iudęa ei nutu diuino obtigisset, multos partim doctrina, partim uita quā integerrimā ageret, partim miris inusitatisq; operib. quę in ęgrotorū morbis profligādis ederet, ad Christianā religionē fidemq; traduxit. Quod cū Iudei quos ad sanam mentē à praua deducere nō potuit, acerbè ferrent, eum ad Pōtificem pertraxerūt, doctrināq; ac religionē ei ut crimē obijcere cœperūt. Ille magna fiducia pręsentiq; animo fretus, hoc statim respōdisse dicitur, ea quæ ipsi ut probra & crimina obiectarent, non longam desiderare orationē. Christianū enim esse, nō criminosum esse, sed gloriosum. Cumq; pontifex ex eo quæsiuisset, si tempus ac locus pœnitētię daretur, mutarē ne cōsilium uellet: Deus, inquit, prohibeat, ne à ueritate quam semel inueni ac secutus sum, aliquādo quasi trāsfuga deficiam. Tum cōcitati populi furore pontifex pręter priuatū odium impulsus, eum sentētia sua lapidib. primò obruendū, deinde securi feriendū esse pronunciauit. Duo aūt testes quos subornauerant, primi in eum lapides iaculati sunt. Ille uerò lapides testimonij causa ut secum sepelirentur, rogauit: sic beatus Apostolus ad Christū migrauit VII. Cal. Martij. Eius autem corpus ex Iudæa Romam primùm, deinde Roma Treuiros translatum esse dicitur.

FINIS.

A

IN HISTORIAM SEVERI SVLPITII, QVA IS DIVI MARTINI SABARIENSIS PANNONII, & Orientalium Monachorum res gestas enarrat, Præfatio VVOLFGANGI LAZII Viennen. Austriaci Pannonij, ad doctissimum & magnificum uirum D.D. IACOBVM IONAM I.V. consultiss. & inclyti Romanorum Regis FERDINANDI Scriniorum Magistrum dignissimum, Patronum unicè obseruandum.



N parte editionis nostræ libet præfari mihi, obseruandissime Patrone. Nam cum Abdiam, uetustissimum autorem, iam audiueris, sanctorum Apostolorũ res gestas enarrantem, idq́ eisdem cum maximo heroe Domino Georgio Giengero & auspicijs & auribus: operæprecium me facturum existimaui, si congentilem tibi etiam quendam in harenam produxero, ex his autoribus qui & uetusti sunt, & florentibus Romanorũ temporibus res pias adnotarunt. Qualem fuisse absq́ controuersia Seuerum Sulpitium Rhetorem existimo: qui terso dictionis filo, Martini nostri Pannonij uitam inculpatam, & obitum beatum, simulq́ Orientalium monachorum res gestas pro B religione nostra sacrosancta complexus est. Id quod historia ipsa in transcursu à te lecta indicabit, & piè & eleganter ab homine Romano Christianoq́ scripta: & de eo quidem iam non homine solum, uerùm ob merita etiam, atq́ augustioris uitę conuersationem, diuorum cœtui consociato. Extat patria diui Martini etiamnum apud nos in Pannonijs, ueteri nomine retẽto: tametsi pristina maiestas loco decesserit. Extat & templũ loco diuo Martino alumno consecratum. Quod cum superioribus annis, antiquitatis simul & religionis ergò ductus inuiserem, deprehendi obiter & uerum esse quod Plinius libro 3. cap. 24. de Sabaria scribit, diui Claudij Cæsaris colonia: & quod noster hic Sulpitius commemorat, beatum Martinũ, longo & periculoso suscepto ex Gallijs itinere, ubi Christum cœperat cognoscere, primùm reuersum in patriam, parentes, congentilesq́ salubribus Christi præceptis instituisse. Quibus rebus & monimẽta uetustatis consentiunt, quæ fidei ergò subijciemus: & nostri pariter annales, quibus adnotat̃, beatum Martinum post diuos, Florianum, Maximilianum & Quirinum, quartum Pannoniarum extitisse Apostolum. Sed placet monumentorum rhapsodias subnectere quæ isthic extant:

In quo Claudiæ fit mentio.

L.VAL. L.F. CL. CENSORINVS DEC.C.C.S. ITEM VET. LEG. I.AD. EX B-F COS.A/.V.F.S.ET FLAVIAE INSEQVENTINAE CON. AN IX.

De Christianis in Sabaria.

HIC POSITVS EST FLORENTINVS INFANS QVI VIXIT ANNOS SEPTEM, ET REQVIEM ADCEPIT IN DEO PATRE NOSTRO ET CHRISTO EIVS.

 Iam

Iam nihil dico de arcubus triumphalibus, quos in Sabaria excitasse uictis Alemannis Iulianum Cęsarem, Marcellinus lib. 21. est autor, & quorum adhuc hodie in ruinis sępe dictis ingentes saxorum moles, uestigia ad nostram ætatem peruenerunt. Præterea nihil de tot Traiani aliorumq; inscriptionib. addo, quorum ingens ibi aceruus quotidie eruitur. Hoc satis fuerit, & ad laudem nostrę Panoniæ cumprimis pertinet, beatum Martinum Pannonium fuisse. Quem Pannoniæ incolę hodierni præ alijs diuis in hunc usq; diem uenerantur. Id quod tot beato Martino consecrata non solum cœnobia, uerumetiam ciuitates ac castra amplissima eius nomini inscripta abunde contestantur. Atq; de Diuo hactenus. De interprete, qui eius memoriam temporalem retinuit, hoc est Seuero Sulpitio, Abbas Spanhaymensis, in opere de Claris uiris, ita scriptum reliquit. Seuerus, presbyter, cognomento Sulpitius, ex Aquitannica prouincia ortus, uir genere & literis nobilis, & paupertatis atque humilitatis amore conspicuus, clarus etiam sanctorum uirorum Martini Turonensis & Paulini Nolani Episcoporum conuersatione: in senectute sua deceptus à Pelagianis, & agnoscens loquacitatis culpam, silentium usq; ad mortem tenuit: ut peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo salubriter emendaret. Scripsit non spernendæ lectionis opuscula, de quibus referuntur subiecta. De uita Sancti Martini Episcopi libros tres. Collationem Posthumiani & Galli libros tres. Epistolarū ad Sororem librum unum, Ad Paulinum Nolanum Episcopum libros duos. Alia quoq; nonnulla scripsisse dicitur, quæ ad notitiam meam non uenerunt. Claruit cum Sancto Martino Turonensi Archiepiscopo, sub Archadio et Honorio Principibus, anno Domini 520. & c. Hæc ille. Quæ cum ita sint, suscipe Patrone optime, hilari fronte, ut soles, & eodem animo, & diui Martini conterranei nostri res gestas, & Seueri nectaream elocutionem audi atq; lege. Quem tibi uel eo nomine dedicandum autorem putaui, quòd in Pannonijs à seruitute Turcica liberandis, tu unus omium post Regem inclytum die noctuq; desudas. Deinde q Pannoniæ, patriæ scilicet huius sancti, chorographiam, uti Rex clementissimus, meo radio, & eorum opera qui isthic sunt quàm uersatissimi, conscribi curet, tu scilicet autor tam præclari instituti primarius existas. Quapropter cum in Pannonijs ornādis tibi reliqui nihil facias, agere nostrum omnium nomine alumnis terræ diuus Martinus gratias & potest, & debet. Cuius historiam, utpote uerè scriptam, & ab homine docto, & qui sancto conuixerit, plurimi (ut soles) facere debes. Bene uale, Viennæ Pannoniæ, ex ædibus nostris, octauo ante Diui Martini sole una die, Anno 1551.

EPISTO-

A # EPISTOLA SEVERI POSTHVMIANI RHETORIS AD DESIDERIVM IN HISTOriam Diui Martini.



SEuerus, Desiderio fratri charissimo, Salutem. Ego quidem frater, libellum quem de uita sancti Martini scripserã, scheda sua premere, & inter domesticos parietes cohibere decreueram: quia ut sum natura infirmus, iudicia humana uitabam, ne (quod forte arbitror) sermo incultior legentibus displiceret, omniq; reprehensione dignissimus iudicarer, qui materiam disertis meritò scriptoribus reseruandam, impudens occupassem. sed petenti tibi sæpius, negare non potui. Quid enim est, quod non amori tuo, uel cum detrimẽto mei pudoris impenderẽ? Ea tibi fiducia libellum edidi, quem nulli à te prodendum reor, quia id spopondisti. Sed uereor, ne tu ei ianua sis futurus: & emissus semel, non queat reuocari. Quod si acciderit, & ab aliquibus eum legi uideris, bona id uenia à lectorib. postulabis, ut res potius quàm uerba perpendant: & æquo animo ferant, si aures eorum uitiosus forsitan sermo perculerit: Quia regnum Dei non in eloquentia, sed in fide constat. Meminerint etiam, salutem seculo non ab oratoribus, sed à piscatoribus prædicatam, cum utiq; si utile fuisset, id quoq; Dominus prestare potuisset. Ego enim, cum primum animum ad scribẽdum appuli, quia nefas putarem tanti uiri latere uirtutes, apud me ipse decidi, ut solœcismis non erubescerem, quia nec magnam istarum unquam rerum scientiam contigissem: & si quid ex his studijs olim fortasse libassem, totum id desuetudine tanti temporis perdidissem.
B Sed tamen ne nos maneat tam molesta defensio, suppresso, si tibi uidetur, nomine, libellus edatur. Quod ut fieri ualeat, titulum frontis erade, ut muta sit pagina: & quod sufficit, loquatur materiam, non loquatur auctorem.

ALIA EPISTOLA EIVSDEM, DE VIRtute Sancti Martini.



HEsterna die cum ad me pleriq; monachi uenissent, inter fabulas iuges, longumq; sermonem, mentio incidit libelli mei, quem de uita beati uiri Martini edidi: studioseq; eum à multis legi, libentissimè audiebam. Interea indicatur mihi, dixisse quendam malo spiritu suscitatum, cur Martinus, qui mortuos suscitasset, flammas domibus depulisset, ipse nuper adustus incendio, periculosæ fuisset obnoxius passioni. O istum, quisquis est, miserorum Iudeorum in uerbis eius perfidiam & dicta cognoscimus, qui in cruce positum Dominum his uerbis increpabãt: Alios saluos fecit, seipsum saluare non potest. Verè planè iste quicunq; est, si illis temporibus natus esset, & in Dominum hanc uocem dicere potuisset, qui simili sanctum Domini blasphemat exẽplo. Quid ergo, quisquis es, Martinus ideo non potens, ideo non sanctus, quia est periclitatus incendio? O beatum, & per omnia similem Apostolis, etiam in his conuicijs, uirũ. Nempe hoc & de Paulo gentiles illi, cum eum uipera momordisset, sensisse referuntur: Hic homo debet homicida esse, quem saluum factum de mari, fata uiuere nõ sinunt. At ille, excussa uipera in ignem, nihil mali patiebatur. Illi autem subitò casurum, & repentè moriturum eum putabant: sed cum uiderent nihil mali contingere ei, cõuertentes se, dicebant eum Deum esse. Alioquin uel horum exemplo, omniũ mortaliũ infœlicissime, perfidiã tuam coarguere ipse debueras: ut si tibi scandalũ mouerat, quòd Martinus flamma ignis uidebatur attactus, hũc rursum ignis attactũ ad merita illius & uirtutẽ referres, quòd circumseptus ignibus nõ perisset. Agnosce enim miser, agnosce quod nescis, omnes ferè sanctos magis insignes periculorum suorum fuisse uirtutibus. Video quidem Petrũ fide potentẽ, rerum obstante natura mare pedibus supergressum,

& instabiles aquas corporeo presisse uestigio: sed nõ ideo minor mihi uidetur gentium prædicator, quem fluctus absorbuit, & post triduũ totidemq; noctes emergentem è profundo unda restituit: atq; haud scio, an penè plus fuerit uixisse in profundo, an supra maris profunda transisse. Sed hæc, ut arbitror, stulte, non legeras, aut lecta non audieras. Neq; enim absq; diuino consilio istiusmodi exemplum, beatus Euãgelista sacris literis protulisset, nisi ut ex his humana mens erudiretur naufragiorum atq; serpentium casibus. Et sicut Apostolus refert, qui nuditate, fame, latronumq; periculis gloriat̃ omnia sanctis hominibus, atq; omnibus ad percipiendum quid esse communia, sed his tolerandis atq; uincẽdis præcipuam semper iustorũ fuisse uirtutem, dum per omnia tentamenta, patientia semper inuicti, tanto fortius uincerent quanto grauius pertulissent. Vnde hoc quod ad Martini infirmitatẽ notatur, plenum est dignitatis & gloriæ: siquidẽ periculosissimo casu tentatus, euicerit. Cæterùm id omissum à me in libello illo quem de uita illius scripsimus, nemo miretur: cum ibidem sim professus, me non omnia illius facta complexum: quia si persequi uniuersa uoluissem, immensum uolumen edidissem. Neq; sunt tam pauca quæ gesit, ut omnia potuerint comprehendi: sed tantum hoc de quo quæstio incidit, latêre non patiar, & rem omnem ut gesta est, referam, ne fortè inconsultum hoc quod ad uituperationem beati uiri poterat opponi, prætermisisse uideamur. Cum ad diœcesim quãdam pro solenni cõsuetudine (sicut Episcopis uisitare ecclesias moris est) media ferè hyeme Martinus uenisset, mansionem ei in secretario ecclesiæ clerici parauerunt, multumq; ignem scabro iam pertenui pauimento subdiderunt, & lectum ei plurimo stramine extruxerunt. Deinde cum se Martinus cubitũ collocasset, insueta mollicie strati malè blandientis horrescit: quippe qui nuda humo, uno tantum cilicio superiecto, accubare cõsueuerat. Itaq; quasi accepta permotus iniuria, stramentum omne proiecit: & casu super fornaculam, partem paleæ illius quam remouerat, aggesit. Ipse ut erat moris nuda humo, lassitudine itineris urgẽte, requieuit. Ad mediam ferè noctem per interruptum, ut suprà diximus, pauimẽtum ignis æstuans, arescẽtes paleas apprehẽdit. Martinus somno excitatus, re inopinata, ancipiti periculo, & maximè, (ut ipse referebat) diabolo insidiãte atq; urgente præuentus, tardius quàm debuit, ad orationis confugit auxiliũ. Nam erumpere fores cupiens, cum pessulo, quem ostio obdiderat, diu multumq; luctatus, grauissimum circa se sensit incendium: adeò ut uestem, qua indutus erat ignis consumpserit. Tandem in se reuersus, non in fuga, sed in Domino esse præsidium: scutum fidei & orationis arripiens, medijs flammis totus ad Dominum conuersus, incubuit. Tunc uerò diuinitus igne submoto, innoxio sibi orbe flammarum uallatus, orabat. Monachi autem qui pro foribus erant, crepitante & colluctante incendij sono excitati, obseratas effringunt fores: dimotoq; igne, è medijs flãmis iam Martinũ auferunt, cum iam penitus esse consumptus tam diuturno incendio putaret̃. Cæterùm (ut uerbis meis Dominus est testis) mihi ipse referebat, & nõ sine gemitu fatebat̃, in hoc se diaboli arte deceptum, ut excussus è somno cõsilium non haberet, quo per fidem et orationẽ periculo repugnaret. Deniq; tam diu circa se sæuisse ignem, quamdiu erumpere ostium, turbatus mente tentauerit. Vbi uerò auxilium crucis & orationis arma repetisset, medias cessisse flammas: seq; tunc sensisse rorantes, quas malè esset expertus urentes. Vnde intelligat, quisquis hæc legerit, tentatum quidem illo Martinum periculo, sed probatum.

PROLOGVS

A PROLOGVS SEVERI SVLPITII IN VITAM Sancti Martini Episcopi.



Leriq; mortalium studio & glorię seculari inaniter dediti, exinde perennem (ut putabant) memoriam nominis sui quæsiuerunt, si uitas clarorum uirorum stylo illustrassent. Quæ res utiq; non perennem quidem, sed aliquantulum tamen conceptæ spei fructum afferebat: quia & sui memoriam, licet incassum, propagabant: & propositis magnorum uirorum exemplis, non parua æmulatio legentibus excitabatur, sed tamen nihil ad beatam illam æternamq; uitam hæc eorum cura pertinuit. Quid enim aut ipsis occasura cum seculo scriptorum suorum gloria profuit? aut quid posteritas emolumenti tulit, legēdo Hectorem pugnantem, aut Socratem philosophantem? cum eos non solum imitari stultitia sit, sed non à crimine etiam impugnare, dementia: quippe qui humanam uitam præsentibus tantum actibus æstimantes, spes suas fabulis, animas suas sepulchris dederint. Siquidem ad solam hominum memoriam se perpetuandos crediderunt: cum hominis officium sit perennem potius uitam, perennem memoriam quærere, non scribendo, aut pugnando, uel philosophādo, sed piè, sanctè, religioseq; uiuendo. Qui quidem error humanus, literis traditus, intātum ualuit, ut multos tamen æmulos uel inanis philosophiæ, uel stultæ illius uirtutis inuenerit. Vnde facturus mihi operæprecium uideor, si uitam sanctißimi uiri, exemplo alijs mox futuram, perscripsero, quo utiq; ad ueram sapientiam, & cœlestem militiam, diuinamq; uirtutem legentes incitabuntur: in quo ita nostri quoq; rationem commodi, utilitatis ad quæstum ducimus, ut non inanem ab hominibus memoriam, sed æternum à Deo præmium expectemus. quia & si ipsi
B non uiximus, ut alijs exemplo esse posimus: dedimus tamen operam ne is latêret, qui esset imitandus. Igitur sancti Martini uitam scribere exordiar, ut quę uel ante episcopatum, uel in episcopatu gesserit. quamuis nequaquam ad omnia illius potuerim peruenire, adeò ea in quibus ipse tantum sibi conscius fuit nesciuntur: quia laudem ab hominibus non requirens, quantum in ipso fuit, omnes uirtutes suas latêre uoluisset. Quanquam etiam ex his quæ comperta nobis erant, plura omisimus: quia sufficere credimus, si tantum excellentiora notarentur. Simul & legentibus consulendum fuit, ne quod his pareret copia congesta fastidium. Obsecro autē eos qui lecturi sunt, ut fidem dictis adhibeant: neq; me quicquam nisi compertum & probatum scripsisse, arbitretur: alioquin tacere, quàm falsa dicere, maluissem.

DE VITA DIVI MARTINI SABARIENSIS, TVRONENSIS ECCLESIAE GALLIAE EPISCOpi, autore Seuero Sulpitio Rhetore, Liber Primus.



GITVR Martinus Sabariæ Pannoniorū oriundus fuit, sed intra Italiam Ticini alitus est, parentibus secundum seculi dignitatem non infimus, gentilibus tamen. Pater eius miles primùm, pòst tribunus militum fuit. Ipse armatam militiam in adolescētia secutus, inter seculares alas sub rege Constantino, deinde sub Iuliano Cæsare militauit, non tamen sponte: quia à primis ferè annis diuinam potius seruitutem, sacra illustris pueri spirauit infantia. Nam cum esset annorum decem, inuitis parentibus ad ecclesiam confugit, seq; catechumenum fieri postulauit. Mox mirum in modum totus in Dei opere conuersus, cum esset annorum duodecim, heremum con-

cupiuit: fecisset que uotis satis, si ætatis infirmitas non obstitisset, animus tamen eius, aut circa monasteria, aut circa ecclesiam semper intentus, meditabatur adhuc in ætate puerili, quod postea deuotus impleuit. Sed cum edictum esset à regibus, ut ueteranorum filij ad militiam scriberentur, prodente patre, qui felicibus eius actibus inuidebat, cum esset annorum quindecim, raptus & catenatus, sacramētis militaribus implicatus est, uno tantum seruo comite contentus: cui tamen uersa uice dominus seruiebat, adeò ut plerunq; ei & calceamenta ipse detraheret, & ipsa detergeret: cibum unà caperent, hic tamen sæpius ministraret. Triennium ferè ante baptisma in armis fuit, integer tamen ab ijs uitijs, quibus illud hominum genus implicari solet. Multa illi circa commilitones benignitas, mira charitas: patientia uerò atq; humilitas ultra humanum modum. Nam frugalitatem in eo laudare non est necesse, qua ita usus est, ut iam illo tempore non miles, sed monachus putaretur. Quibus rebus ita sibi omnes commilitones suos deuinxerat, ut eum miro affectu uenerarentur. Nec dum tamen regeneratus in Christo, agebat quendam bonis operibus baptismatis candidatum, asistere scilicet laborantibus, opem ferre miseris, alere egentes, uestire nudos solitus nihil sibi ex militiæ stipendijs præter cotidianum uictum reseruabat: iam tunc euangelij non surdus auditor, de crastino non cogitabat. Quodam itaq; tempore cum iam nihil pręter arma & simplicem militiæ uestem haberet, media hyeme, quæ solito austerior inhorruerat, adeò ut plerosq; uis algoris extingueret, obuium habet in porta Ambiensium ciuitatis pauperem nudum: qui cum prætereuntes, ut sui misererentur, oraret, omnesq; miserum præterirent: intellexit uir Dei, Deo plenus, sibi illum alijs misericordiam non pręstantibus, reseruare. Quid tamen ageret? nihil pręter chlamydem, qua indutus erat, habebat: iam enim reliqua in opus simile consumpserat. Arrepto itaq; ferro quo accinctus erat, mediam diuidit, partemq; eius pauperi tribuit, reliqua rursus induitur. Interea de circumstantibus risere nonnulli, quia deformis esset, & truncatus habitu uideretur. Multi quidem, quibus erat mens sanior, altius gemuere, quòd nihil simile fecissent: cum utiq; plus habētes, uestire pauperem sine sua nuditate potuissent. Nocte igitur insecuta, cum se sopori dedisset, uidit Christum chlamydis suæ, qua pauperem texerat, parte uestitū. Intueri diligentissimè Dominū, uestemq; quam dederat, iubetur agnoscere: moxq; ad angelorū circunstantiū multitudinem, audit Iesum clara uoce dicentē: Martinus adhuc catechumenus, hac me ueste contexit. Verè memor Dominus dictorū suorū, qui antè pręd̄ixerat: Quamdiu fecistis hoc uni ex minimis istis, mihi fecistis: se in paupere professus est fuisse uestitū: & ad cōfirmandū tam boni operis testimoniū, in eodē se habitu, quem pauper acceperat, est dignatus ostēdere. Quo uiso, uir beatissimus non in gloriā est elatus humanam, sed bonitatē Dei in suo opere cognoscens, cum esset annorū duodeuiginti, ad baptisma cōuolauit. Nec statim militiæ renunciauit, tribuni sui precibus euictus, cui contuberniū familiare præstabat: etenim transacto tribunatus sui tempore, renunciaturū se seculo pollicebat. Qua Martinus expectatione suspensus, per bienniū ferè, posteaq; est baptisma consecutus, solo scilicet nomine militauit. Interea irruentibus intra Gallias Barbaris, Iulianus Cæsar, coacto in unum exercitu apud Vangionum ciuitatem, donatiuum cœpit erogare militibus, ut est cōsuetudinis: singuli citabantur, donec ad Martinum uentum est. Tunc uerò opportunum tempus existimans, quo peteret misionem, neq; enim integrum sibi fore arbitrabatur, si donatiuum non militaturus acciperet: Hactenus, inquit ad Cæsarem, militaui tibi: patere ut nunc militem Deo: donatiuum tuum pugnaturus accipiat: Christi ego miles sum, pugnare mihi non licet. Tunc uerò aduersus hanc uocem tyrannus infremuit, dicens, eum metu pugnæ, quæ postera die erat futura, non

A ra,non religionis gratia,detrectare militiam. Ad quæ Martinus intrepidus, imò illato sibi terrore constantior: Si hoc, inquit, ignauiæ ascribitur, non fidei, crastina die ante aciem inermis astabo,& in nomine Domini IESV, signo crucis,non clypeo protectus,aut galea, hostium cuneos penetrabo securus. Retrudi ergo in custodiam iubetur,facturus fidem dictis, ut inermis barbaris obijceretur. Postero die hostes legatos de pace miserunt, sua omnia seseq; dedentes. Vnde quis dubitet, hanc uerè beati uiri fuisse uictoriam, cui præstitum sit,ne inermis ad prælium mitteretur. Et quamuis pius Dominus seruare militem suum, licet inter hostium gladios & tela potuisset: tamen ne uel aliorum morte sancti uiolentur obtutus,exemit pugnæ necessitatem. Neq; enim aliam pro milite suo Christus debuit præstare uictoriam, quàm ut subactis sine sanguine hostibus, nemo moreretur. Exinde relicta militia, sanctum Hilarium Pictanæ episcopũ ciuitatis, cuius tunc in Dei reb. spectata & cognita fides habebat, expetiuit:& aliquandiu apud eum cõmoratus est. Tentauit autem idem Hilarius, imposito diaconij officio, sibi eum arctius implicare, & ministerio uincire diuino: sed cum sæpissimè restitisset, indignum se esse uociferans, intellexit uir Dei, altioris ingenij hoc eum modo posse constringi, si id ei officij imponeret, in quo quidem locus iniuriæ uidetur. Itaq; exorcistam eum esse præcepit. quam ille ordinationem, ne despexisse tanquam humiliorem uideretur, non repudiauit. Nec multum pòst admonitus per soporem, ut patriam parentesq;, quos adhuc gentilitas detinebat, religiosa solicitudine uisitaret, & ex uoluntate sancti Hilarij profectus est, multisq; ab eo obstrictus precibus & lachrymis ut rediret, mœstus (ut ferunt) peregrinationem
B illam aggressus est, cõtestatus fratres, multa se aduersa passurum. quod postea rei probauit euentus. Ac primùm inter alpes deuia secutus, incidit in latrones. Cumq; unus securim eleuatã in caput eius librasset, ictum ferientis dextera sustinuit alter: uinctis tamen post tergum manibus, uni seruandus & custodiendus traditur. qui cum eum ad remotiora loca duxisset, percontari ab eo cœpit, quisnam esset? Respondit, Christianum se esse. Quærebat etiam ab eo, an timeret. Tunc uerò constantissimè profitetur, nunquam se fuisse tam securum, quia sciret misericordiam Domini maximè in tentationibus affuturam: se magis illius condolere, qui Christi misericordia, utpote latrocinia exercens, esset indignus. Ingressusq; euangelicam disputationem, uerbum Dei latroni prædicabat. Quid longius morer? Latro credidit, prosecutusq; Martinum uię reddit, orans ut pro se Dominũ precaret: idemq; postea religiosam agens, uitam uisus est, adeò ut quæ suprà retulimus, ab ipso audita dicant. Igitur Martinus inde progressus, cum Mediolanũ præterisset, diabolus in itinere, humana specie assumpta, se ei obuiũ tulit, Quò tenderet, quęrens. Cumq; id à Martino responsi accepisset, Se quò Dominus uocaret, tendere: ait ad eũ, Quòcũq; ieris, uel quæcũq; tentaueris, diabolus tibi aduersabit. Tunc ei prophetica uoce respõdit: Dominus mihi adiutor est, nõ timebo quid faciat mihi homo. statimq; è cõspectu eius inimicus euanuit. Itaq; ut animo & mente cõceperat, matrem gentilitatis absoluit errore, patre in malis perseuerãte: plures tamẽ suo saluauit exemplo. Deinde cum hęresis Arriana per totum orbem et maximè intra Illyricum pullulasset, cum aduersus perfidiam sacerdotũ solus penè acerrimè pugnaret, multisq; supplicijs esset affectus (nam & publicè uirgis cæsus est) & ad extremũ de ciuitate exire compulsus, Italiam repeditans, cum intra Gallias quoq; discessum sancti Hilarij, quem ad exilium hæreticorum uis coegerat, turbatam ecclesiam comperisset, Mediolani sibi monasterium statuit: ibi quoq; eum Auxentius, auctor & princeps Arrianorum, grauissimè insectatus est: multisq; affectum iniurijs, de ciuitate exturbauit. Cedendum itaq; tempori arbitratus, ad insulam Gallinariam nomine secessit:

comitę

comite quodam presbytero, magnarum uirtutum uiro. Hic aliquandiu radicibus uixit herbarum: quo tempore elleborum, uenenatum (ut ferunt) gramen, in cibum sumpsit. Sed cum uim ueneni in se grassantis uicina iam morte sensisset, imminens periculum oratione repulit, statimq; omnis dolor fugatus est. Nec multo pòst cum sancto Hilario comperisset regis indulgentia potestatem indultam fuisse redeundi, Romæ ei tentauit occurrere, profectusq; ad urbem est. Cum uerò iam Hilarius præterisset, ita eum est uestigijs prosecutus: cumq; ab eo gratissimè fuisset susceptus, haud longè sibi ab oppido monasterium collocauit. quo tempore se ei quidam catechumenus iunxit, cupiẽs sanctissimi uiri institui disciplinis: paucisq; interpositis dieb. languore correptus, ui febrium laborabat. At tunc Martinus forè discesserat, & cum per triduum defuisset, regressus corpus exanime inuenit: ita enim subita mors fuerat, ut absq; baptismate humanis rebus excederet, corpusq; in medio positum tristi mœrentium fratrum frequentabatur officio, cum Martinus flens & eiulans accurrit. tunc uerò sanctum spiritum tota mente concipiens, egredi cellulam in qua corpus iacebat, cæteros iubet: ac foribus obseratis, super exanimata defuncti fratris membra prosternitur: & cum aliquandiu orationi incubuisset, sensissetq; per spiritum Domini adesse uirtutem, erectus paululum, & in defuncti ora defixus, orationis suæ ac misericordiæ Domini intrepidus expectabat euentum: uixq; duarum ferè horarum spacium intercesserat, & uidit defunctum paulatim membris omnibus cõmoueri, & laxatis in usum uidendi palpitare luminibus. Tunc uerò magna ad Dominum uoce conuersus gratias agens, cellulam clamore compleuerat: quo audito, qui pro foribus astiterant, statim irruunt. Mirum spectaculum, quòd uidebant uiuere, quem mortuum reliquissent. Ita redditus uitæ, statim baptisma consecutus, plures postea uixit annos: primumq; hoc apud nos Martini uirtutum uel materia uel testimonium fuit. Idem tamen referre erat solitus, se corpore exutum ad tribunal iudicis ductum, deputatumq; obscuris locis & uulgaribus turbis, tristem excepisse sententiã. Tunc per duos angelos iudici fuisse suggestũ, hunc esse pro quo Martinus oraret, & ita per eosdem angelos se iussum reduci, & Martino redditum, uitæq; pristinę restitutum. Ad hæc primo tempore beati uiri nomen enituit, ut qui sanctus iam ab omnibus habebatur, potens etiam & uerè apostolicus haberetur. Nec multo pòst, dum agrum Lupicini cuiusdam honorati secundum seculum uiri præteriret, clamore & luctu turbæ plangentis excipitur: ad quam solicitus cum astitisset, & quis esset hic fletus, inquireret, indicatur, unum è familia seruulum laqueo sibi uitam extorsisse: quo cognito, cellulam in qua corpus iacebat, ingreditur. Exclusisq; omnibus turbis, superstratus corpori, aliquantisper orauit: mox uiuescente uultu, marcescentibus oculis in ora illius defuncti erigitur, lentoq; conamine enisus assurgere, adprehensa beati uiri dextera, in pedes constitit: atq; ita eum eousq; ad uestibulum domus turba omni inspectante, processit. Sub eodem ferè tempore Martinus ad episcopatum Turonicæ ecclesiæ petebatur: sed cum erui monasterio suo facilè non posset, Ruicitius quidam, unus ex ciuibus, uxoris languore simulato, ad genua illius prouolutus, ut egrederetur obtinuit. Ita dispositis iam in itinere ciuium turbis, sub quadam custodia ad ciuitatem usq; deducitur. mirum in modum incredibilis multitudo non solum ex illo oppido, sed etiam ex uicinis urbibus ad suffragia ferenda uenerat. Vna omnium uoluntas, eadem uota, eademq; sententia, Martinum episcopatu esse dignissimum, felicem fore tali ecclesiam sacerdote: pauci tamen, & nonnulli ex episcopis, qui ad constituendum antistitem fuerant euocati, impiè repugnabant dicentes: Scilicet contemptibilem esse personam, indignum esse episcopatu, hominem multum despicabilem, ueste sordidum, crine deformem. Ita à populo

A populo ſententiæ ſanioris hęc illorum irriſa dementia eſt, qui illuſtrem uirum dum uituperare cupiunt, prædicabant. Nec uerò aliud his facere licuit, quàm quòd populus Domino uolente cogitabat: inter epiſcopos tamen qui affue-rant, præcipuè Defenſor quidam nomine, dicitur reſtitiſſe: unde animaduer-ſum eſt, grauiter illum lectione prophetica tunc notatum. Nam cum fortuitu lector, cui legendi eo die officium erat, interclusus à populo defuiſſet, turbatis miniſtris, dum expectatur qui non aderat, unus è circumſtantibus ſumpto pſalterio, quem primum uerſum inuenit, arripuit. Pſalmus autē hic erat: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem, propter inimicos tuos, ut de-ſtruas inimicum & defenſorem. quo lecto, clamor populi tollitur, pars aduer-ſa confunditur. Atq; ita habitum eſt, diuino nutu pſalmum hunc lectum fuiſ-ſe, ut teſtimonium operis ſui Defenſor audiret, quia ex ore infantium atq; la-ctentium in Martino Domini laude perfecta, & oſtenſus pariter & deſtru-ctus inimicus. Iam uerò ſumpto epiſcopatu, qualem ſe, quantumq; præſtite rit, non eſt noſtræ facultatis euoluere. Idem enim conſtantiſsimè perſeuera-bat, qui prius fuerat. Eadem in corde eius humililitas, eadem in ueſtitu eius ui litas erat: atq; ita plenus auctoritatis & gratiæ, implebat epiſcopi dignitatem, ut non tamen propoſitum monachi, uirtutemq; deſereret. Aliquandiu ergo adhærenti ad eccleſiam cellula uſus eſt: deinde cum inquietudinem fre-quentantium ferre non poſſet, duobus ferè extra ciuitatem milibus monaſte-rium ſibi ſtatuit. Qui locus tam ſecretus & remotus erat, ut heremi ſolitudinē non deſideraret. Ex uno enim latere, præciſa montis excelſa rupe ambieba-tur: reliquam planiciem Liger fluuius reducto paululum ſinu clauſerat, una

B tantū eademq; arcta admodum uia adiri poterat: ipſe ex lignis cōtextam cel lulam habebat. Mullti quidem è fratribus in eundem modum pleriq; ſaxo ſu-periecti montis cauato, receptacula ſibi fecerant. Diſcipuli uerò octoginta e-rant, qui ad exemplum beati magiſtri inſtituebantur. Nemo ibi quicquam proprium habebat, omnia in medio conferebantur. Non emere, aut uende-re (ut pleriſq; monachis moris eſt) quicquam licebat. Ars ibi, exceptis ſcri-ptoribus, nulla habebatur: cui tamen operi minor ætas deputabatur: maiores orationi uacabant. Rarus cuiquam extra cellulam fuit egreſſus, niſi cum ad lo cum orationis conueniebant. Cibum unà omnes poſt horam ieiunij accipie-bant. uinum nemo nouerat, niſi quem infirmitas coegiſſet. Pleriq; camelorū ſetis ueſtiebantur, mollior ibi habitus pro crimine erat: quod eo magis ſit mi-rum neceſſe eſt, quòd multi inter eos nobiles habebant̄, qui longè aliter educa ti, ad hanc ſe humilitatē & patientiā coegerant: pluresq; ex his poſtea epiſco pos uidimus. Quæ enim eſſet ciuitas, aut eccleſia, quę non ſibi de Martini mo naſterio cuperet habere ſacerdotem? Sed ut reliquas uirtutes eius, quas in epi ſcopatu egit, aggrediar, erat haud longè ab oppido proximus monaſterij lo-cus, quem falſa hominum opinio, uelut conſepultis ibi martyribus ſacraue-rat. Nam & altare ibi à ſuperiorib. epiſcopis conſtitutum habebatur. ſed Mar tinus non temerè adhibens incertis fidem, ab his qui maiores natu erant pre-ſbyteris, uel clericis, flagitabat nomen Sancti martyris, & tempora paſsionis oſtendi. Cœpit grandi ſe ſcrupulo permoueri, quòd nihil certi uel conſtans ſi bi maiorum memoria tradidiſſet. Cum aliquādiu ergo à loco illo ſe abſtinuiſ-ſet, nec derogans religioni, qua incertus erat: nec autoritatem ſuam uulgo ac-commodans, ne ſuperſtitio conualeſceret: quodam die paucis ſecum adhibi-tis fratribus, ad locum pergit. Deinde ſuper ſepulchrum iſtum aſtans, orauit ad Dominum, ut quis eſſet, uel cuius meriti ſepultus, oſtenderet. Tunc con-uerſus ad læuam, uidit propè aſsiſtere umbram ſordidam, trucem. imperat, no men meritumq; requirit. nomnn edidit, de crimine confitetur, latronem ſe fuiſſe, ob ſcelera percuſſum, uulgi errore celebratū, ſibi nihil cum martyribus

esse commune: cum illos gloria, se pœna retineret. Mirum in modum uocem A loquentis, qui aderant, audiebant, personã tamen non uidebant. Tunc Martinus, quid uidisset, exposuit: iussitq; ex eo loco altare, quod ibi fuerat, submoueri: atq; ita populum superstitionis illius absoluit errore. Accidit autem in sequenti tempore, dum iter ageret, ut gentilis cuiusdam corpus, quod ad sepulchrum cum superstitioso funere deferebatur, obuium haberet: conspicatusq; eminus uenientem turbam, quid nam id esset ignarus, paululum stetit: namq; ferè quingentorum passuum interuallum erat, ut difficile fuerit dignoscere quid uideret. Tamen quia rusticam manum cerneret, & agente uento linteamina corpori superiecta uolitarent, profanos sacrificiorum ritus agi credidit: quia esset hæc Gallorum rusticis consuetudo, simulacra dæmonum candido tecta uelamine misera per agros suos circumferre dementia. Eleuato ergo in aduerso signo crucis, imperat turbæ, non moueri loco, onusq; deponere: hic uerò mirum in modum uideres miseros primũ uelut saxa riguisse. Deinde, cum primò mouere se summo conamine niterentur, ultrà accedere non ualentes, ridiculam in uertiginem rotabantur: donec uicti, corporis onus deponunt: attoniti & semetipsos aspectantes, quid nam sibi accidisset, taciti cogitabant. Sed beatus uir cum comperisset, exequiarum esse illam frequẽtiam, non sacrorum, eleuata rursum manu, dat eis abeundi & tollendi corporis potestatem. Ita eos & cum uoluit, stare compulit: & cum libuit, abire permisit. Item, dum in uico quodam templum antiquissimum diruisset, & arborem primùm quæ fano erat proxima, esset aggressus excidere, tunc antistes loci illius cum cætera gentilium turba cepit obsistere: & cum ijdem illi dum templum euertitur, imperante domino quieuissent, succidi arborem non patiebantur. B Ille eos cœpit sedulo commonere, nihil esse religionis in stipite: Dominũ potius, cui seruiret ipse, sequerentur. arborem illam excidi oportere, quia esset dæmoni dedicata. Tunc ex illis unus, qui erat audacior cæteris: Si habes, inquit, aliquam de Deo tuo, quem dicis te colere, fiduciam, nosmetipsi succidemus hanc arborem, tu ruentem excipe: & si tecum est, quem dicis, Dominus, euades. Tunc ille intrepidè confisus in Domino, facturum se pollicetur. hic uerò ad istiusmodi conditionem, omnis illa gentilium turba consentit, facilemq; arboris suæ habuere iacturam, si inimicum sacrorũ suorum casu illius obruissent. Itaq; cum unam in partem pinus illa esset accliuis, ut non esset dubium quam in partem succissa corrueret, eo loco uinctus statuitur pro arbitrio rusticorum, quò arborem esse casuram nemo dubitabat. Succidere igitur ipsi suam pinum cum ingenti gaudio lætitiaq; cœperunt, aderat eminus turba mirantium: iamq; paulatim cœpit nutare pinus, & ruinam suam casura minitari. Psallebant eminus monachi, & periculo iam propiore conterriti, spem omnem fidemq; perdiderant, solam Martini mortem expectantes. At ille confisus in Domino, intrepidus operiens, cum iam fragorem sui pinus concidens edidisset, iam cadenti, iam super se ruenti, eleuat obuiam manum, signum salutis opponit: tunc uerò turbinis modo retroactam putares, diuersam partem ruit: adeò, ut rusticos qui tuto in loco steterant, penè prostrauerit. Tunc uerò in cœlum clamore sublato, gentiles stupuere miraculo, monachi fleuere præ gaudio, Christi nomen in commune ab omnib. prædicari: satisq; constitit, eo die salutem illi uenisse regioni. Nam nemo ferè ex immani illa multitudine gentilium fuit, qui non impositione manus desiderata in Dominũ Iesum, relicto impietatis errore, crediderit: Et uerò ante Martinum pauci admodũ, imò penè nulli in illis regionibus Christi nomẽ receperant: quòd adeò uirtutibus illius, exẽploq; cõualuit, ut iam ibi nullus locus sit, qui nõ aut ecclesiis frequentissimis, aut monasteriis sit repletus. Nam ubi fana destruxerat, statim ibi aut ecclesias, aut monasteria cõstruebat. Nec minorẽ sub idem ferè tẽpus eodem in opere

A in opere uirtutem edidit. Nam cum in uico quodã, fano antiquissimo & celeberrimo ignem immisisset, in proximã, imò adhærentẽ domum agente uento, flammarũ globi ferebantur. Quod ubi Martinus aduertit, rapido cursu tectum domus scandit, obuiũ se aduenientibus flammis inferens: tunc uerò mirum in modum cerneres contra uim uenti ignẽ retorqueri, ut cõpugnantium inter se elementorũ quidã cõflictus uideretur. Ita uirtute Martini ibi tantum ignis est operatus, ubi uisus est. In uico autem, cui Leprosum nomẽ est, cum idem templum opulentissimũ superstitione religionis uoluisset euertere, restitit ei multitudo gentiliũ, adeò, ut non absq; iniuria sit repulsus. Itaq; secessit ad proxima loca, ibiq; per triduum cilicio tectus & cinere, ieiunans semper atq; orans, precabatur ad Dominũ: ut quia templum illud euertere humana manu non potuisset, uirtus illud diuina dirueret. Tũc subitò ei duo angeli hastati atq; scutati instar militiæ cœlestis se obtulerunt, dicentes, missos se à Domino, ut rusticam multitudinẽ fugarent, præsidiumq; Martino ferrent, ne quis dum templum dirueretur, obsisteret. Rediret ergo, & opus cœptum deuotus impleret: ita regressus ad uicum, inspectantibus gentilium turbis, & quiescentibus, dum fana eadem usq; ad fundamenta dirueret, aras omnes atq; simulacra redegit in puluerem: quo uiso, rustici cum se intelligerent diuino nutu obstupefactos atq; perterritos, ne episcopo repugnarent, omnes ferè in Iesum Dominum crediderunt, clamantes palàm, & confitentes Deum Martini colendum, idola negligenda, quę sibi adesse non possent. Quid etiã in pago Heduorũ gestũ sit, referamus. Vbi dum templũ idem euerteret, furens gentilium rusticorũ in eum irruit multitudo: Cumq; unus audacior cæteris, stricto eum gladio peteret, reiecto pallio nudam ceruicẽ percussori præbuit. Nec cunctatus ferire gentilis, sed cum dexterã altius extulisset, supinus ruit: cõsternatusq;
B diuino metu, ueniã precabat. Nec dissimile huic fuit illud, cum eum idola destruentẽ cultro quidã ferire uoluisset, in ipso ictu ferrũ ei de manibus excussum, non cõparuit. Plerunq; autem cõtradicentibus sibi rusticis, ne fana destrueret, ita prædicatione sancta gentiliũ animos mitigabat, ut luce eis ueritatis ostensa, ipsi sua templa subuerterent. Curationũ uerò tam potens in eo gratia erat, ut nullus ferè ad eum ægrotus accesserit, qui non continuò receperit sanitatẽ: quod uel ex cõsequẽti liquebit exẽplo. Puella quædã Treueris paralysis ægritudine tenebat, ita ut iam per multũ tempus nullo ad humanos usus corporis officio fungeret, omni ex parte præmortua, uix tenui spiritu palpitabat. Tristes ad solam funeris expectationẽ adsistebãt propinqui. Tunc subitò nunciatur ad ciuitatẽ illam uenisse Martinũ. Quod ubi pater puellæ cõperit, cucurrit ex animo pro filia rogaturus. Et fortè Martinus iam ad ecclesiã fuerat ingressus, ibi inspectante populo, multisq; alijs episcopis præsentibus, eiulans senex, genua eius amplectitur, dicens: Filia mea moritur, misero genere languoris, & quod ipsa est morte crudelius, solo spiritu uiuit, iam carne præmortua. rogo ut eam adeas, atq; benedicas: cõfido enim quòd per te reddenda sit sanitati. Qua ille uoce confusus obstupuit, & refugit dicens, hoc suæ non esse uirtutis, senẽ errare iudicio, non esse se dignũ per quem Dominus signũ uirtutis ostenderet. Perstare uehemẽtius flens pater, & orare cœpit ut exanimẽ uisitaret. Postremò à circũstantibus episcopis ire cõpulsus, descendit ad domum puellæ. Ingens turba pro foribus expectans, quid nam Dei seruus esset facturus. Ac primùm quę erant illius familiaria in istiusmodi rebus arma, solo prostratus orauit. Deinde ægram intuens, dari sibi oleum postulat: quod cum benedixisset, in os puellæ uim sancti liquoris infudit, statimq; uox reddita est. Tunc paulatim singula cõtactu eius cœperunt mẽbra uiuiscere, donec firmatis gressibus, populo teste surrexit. Eodemq; tempore Tetradij cuiusdam procõsularis uiri seruus dęmonio correptus, dolendo exitu cruciabatur. Rogatus

ergo Martinus, ut ei manum imponeret, deduci eum ad se iubet: sed ne- A
quam spiritus nullo proferri modo ex ea æde in qua erat potuit, ita in aduenientes rabidis dentibus sæuiebat. Tunc Tetradius ad genua beati uiri aduoluitur, orans ut ad domũ in qua dæmoniacus habebaẽ, ipse descenderet. Tunc uerò Martinus negare, se profani & gentilis domũ adire posse. Nam Tetradius eodem tẽpore adhuc gentilitatis errore implicitus tenebaẽ. Spopõdit ergo se si de puero dæmon fuisset exactus, Christianũ fore. Ita Martinus imposita manu puero, immundũ ab eo spiritũ eiecit: quo uiso, Tetradius Dominum nostrũ Iesum credidit: statimq; catechumenus factus, nec multũ pòst baptizatus est, semperq; Martinũ salutis suæ auctorẽ miro coluit affectu. Per idem tempus in eodẽ oppido Martinus ingressus patrisfamiliâs cuiusdã domum, in limine ipso restitit, dicens: Horribile in atrio domus dæmonium se uidere. cui cum, ut discederet, imperaret, quendã è familia, qui in interiore parte ædium morabaẽ, arripuit: sæuire dentibus miser cœpit, & obuios quoscunq; laniare. Cõmota est domus, familia turbata, populus in fugã uersus. Martinus se furenti obiecit, ac primùm stare ei imperat. sed cùm dentibus fremeret, hiantiq; ore morsum minareẽ, digitos ei Martinus in os intulit: Si habes, inquit, aliquid potestatis, hos deuora. Tunc uerò, acsi candens ferrũ faucibus accepisset, longè reductis dẽtibus digitos beati uiri uitabat attingere: & cum fugere de obsesso corpore pœnis & cruciatibus cogeretur, nec tamẽ exire ei per os liceret, fœda relinquens uestigia, fluxu uẽtris egestus est. Interea cum de metu atq; impetu barbarorũ subita ciuitatẽ fama turbasset, dæmoniacũ ad se exhiberi iubet, imperat ut an uerus esset hic nuncius fateretur. Tunc cõfessus est: sedecim dæmones fuisse, qui rumorẽ hunc per populum disseminassent, ut hoc saltem metu ex illo Martinus oppido fugaretur, barbaros nihil minus quàm irruptionem B
cogitare: ita cum hæc immundus spiritus media in ecclesia fateretur, metu & turbatione præsenti ciuitas liberata est. Apud Parisios uerò, dum portam ciuitatis illius magnis secum turbis euntibus introiret, leprosum miserabili facie horrẽtibus cunctis osculatus est, atq; benedixit, statimq; ab omni malo emundatus est. Postera die ad ecclesiam ueniens nitenti cute, gratias pro sanitate, quam receperat, agebat. Sed nec hoc prætereundum est, quòd fimbriæ uestimenti eius, ciliciõq; detractæ, crebras super infirmantibus egere uirtutes: nam cum aut digitis illigatæ, aut collo inditæ sunt, persæpe ab ægrotantibus morbos effugauerunt. Arborius autem, uir præfectorius sancti admodum & fidelis ingenij, cum filia eius grauissimis quartanæ febribus urereẽ, epistolam Martini, quæ casu ad eum delata fuerat, pectori puellæ in ipso accessu ardoris inseruit, statimq; fugata febris est. Quæ res apud Arborium intantum ualuit, ut statim puellam Deo moueret, & perpetuæ uirginitati dicaret: profectusq; ad Martinum puellam ei præsens, ob uirtutum eius testimonium, quo absente licet curata esset, obtulit: neq; ab alio eam, quàm à Martino, habitu uirginitatis imposito, passus est consecrari. Paulinus uerò, uir magni postmodum futurus exempli, cum oculum grauiter dolere cœpisset, & iam pupillam eius crassior nubes superducta texisset, oculũ ei Martinus panniculo contigit, pristinamq; statim ei sanitatem sublato omni dolore restituit. Ipse autem cum casu quodam esset de cœnaculo deuolutus, & per cõfragosos scalæ gradus decidens, multis uulneribus esset affectus, cum exanimis iaceret in cellula, & immodicis doloribus cruciaretur, nocte ei angelus uisus est lauare uulnera, & salubri unguento contusi corporis membra contingere: atq; ita postera die restitutus est sanitati, ut nihil unquam pertulisse incommodi putaretur. Sed quia longum est ire per singula, sufficiant hæc uel pauca de plurimis: satisq; sit nos & in excellentibus non subtrahere ueritatem, & in multis uitare fastidiũ. atq; ut minora tantis inseram, quamuis, ut est nostrorum ætas temporum, quibus iam depra-

A iam deprauata omnia atq; corrupta sunt, ut penè præcipuũ sit adulationi regiæ sacerdotalẽ cesſiſſe constantiã. Cum ad Imperatorem Maximum, ferocis ingenij uirum, & bellorum ciuiliũ uictoria elatum, plures ex diuerſis partibus episcopi cõueniſſent, & fœda circa principem omniũ adulatio notaretur, seq; degeneri inconstantia regiæ clientelæ sacerdotalis dignitas subdidiſſet, in solo Martino apostolica auctoritas permanebat. Nam etsi pro aliquibus supplicandum regi fuit, imperauit potius quàm rogauit: & à conuiuio eius frequenter rogatus abstinuit, dicens, Se mensæ eius participem eſſe non poſſe, qui Imperatores unũ regno, alterũ uita expuliſſet. Postremò cum Maximus se non sponte sumpſiſſe imperium affirmaret, sed impositam sibi à militibus diuino nutu regni necesſitatem armis defendiſſe, & non alienam ab eo Dei uoluntatem uideri, penes quem iam incredibili euentu uictoria fuiſſet, nullumq; ex aduersarijs nisi in acie occubuiſſe. Tandem uictus uel ratione uel precibus, ad conuiuium uenit: mirum in modum gaudẽte rege, quòd id impetraſſet. Conuiuæ autem aderant ueluti ad diem festũ euocati, summi atq; illustres uiri, præfectus, idemq; consul Euodius, uir quo nihil unquam iustius fuit, comites duo summa potestate prædicti, frater regis & patruus, medius inter hos Martini presbyter accubuerat: ipse autẽ sellula iuxta regem posita consederat. Ad medium ferè conuiuium (ut moris est) pateram regi minister obtulit. ille sancto admodum episcopo potius dari iubet, expectans atq; ambiens ut ab illius dextera poculum sumeret. Sed Martinus ubi ebibit, pateram presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimãs digniorẽ qui poſsit prior bibere: nec integrum sibi fore, si aut regẽ ipsum, aut eos qui à rege erant proximi, presbytero prætuliſſet. Quod factum Imperator, omnesq; qui tunc aderãt, ita admirati sunt, ut
B hoc ipsum eis in quo contempti fuerant placeret. celeberrimumq; per omne palatium fuit, feciſſe Martinum in regis prãdio, quod in infimorum iudicum conuiuijs episcoporum nemo feciſſet. eidemq; Maximo longè antè prædixit futurum, ut si ad Italiam pergeret, quò ire cupiebat, bellum Valentiniano imperatori inferens, sciret se primò quidem futurum eſſe uictorẽ, sed paruo pòst tẽpore eſſe periturũ. quod quidem ita uidimus. Nam primo aduentu eius Valentinianus in fugam conuersus est: deinde post annũ ferè resumptis uiribus, captum intra Aquileiæ muros Maximũ interfecit. Constat autẽ etiam angelos ab eo plerunq; uisos, ita ut cõserto inuicẽ apud eum sermone loquerentur. Diabolum uerò tam cõspicabilẽ & subiectũ oculis habebat, ut siue in propria substantia cõtineret, siue in diuersas figuras spiritualesq; nequitias transtuliſſet, qualibet ab eo sub imagine uideretur. Quod cum diabolus sciret se effugere non poſſe, cõuicijs eum urgebat frequenter, quia fallere non poſſet insidijs. Quodã autem tẽpore cornu bouis cruentũ in manu tenẽs, cum ingenti fremitu cellulam eius irrupit, cruentamq; ostentans dexterã, & admiſſo recenti scelere cõgaudens: Vbi est, inquit, Martine uirtus tua? unum de tuis modò interfeci. Tunc ille conuocatis fratribus, refert quid diabolus indicaſſet: solicitosq; eſſe præcepit per cellulas singulorum, quisnam hoc casu fuiſſet adfectus. neminẽ quidem deeſſe de monachis, sed unum rusticũ mercede conductum, ut uehiculo ligna deferret, iſſe ad syluam nunciant. Iubet igitur aliquos ire ei obuiã. Itaq; haud longè à monasterio iam penè exanimis inuenitur. extremum tamen spiritum trahens, indicat fratribus casum mortis & uulneris. Iunctis scilicet bubus dum diſſoluta arctius lora cõstringit, bouem sibi excuſſo capite inter inguina cornu inieciſſe, nec multo pòst uitã reddidit. Videres quo iudicio Domini, diabolo data fuerit hæc potestas. In Martino illud mirabile erat, quòd non solum hoc quod suprà retulimus, sed multa istiusmodi, si quotiens acceſsiſſet, longè antè præuidebat, & sibi nũciata fratrib. indicabat. Frequenter autem diabolus, dum mille nocendi artibus sanctũ uirum cona-

nabatur illudere, uiſibilē ſe ei formis diuerſiſsimis ingerebat. nam interdum A
in Iouis perſonam, pleruncꝗ Mercurij, perſæpe etiam ſe Veneris ac Mineruę transfiguratum uultibus offerebat. aduerſus quem ſemper interritus manebat, ſignocꝗ ſe crucis & orationis auxilio protegebat. Audiebantur etiam plerunꝗ conuicia, quibus illum turba dæmonum proteruis uocibus increpabat. ſed omnia falſa & uana cognoſcens, non mouebať obiectis. Teſtabantur etiam aliqui ex fratribus, audiſſe dęmonē proteruis Martinū uocib. increpantem, cur intra monaſteriū aliquos ex fratribus, qui olim baptiſmū diuerſis erroribus perdidiſſent, conuerſos poſtea recepiſſet, exponentē crimina ſingulorum. Martinū diabolo repugnantē reſpondiſſe conſtanter, antiqua delicta melioris uitę cōuerſatione purgari: & per miſericordiā Domini abſoluēdos eſſe à peccatis, qui peccare deſinerent. contradicente diabolo, nō pertinere ad ueniam criminoſos, & ſemel lapſis nullam à Domino poſſe clementiā præſtari. Tūc in hanc uocē ferť exclamaſſe Martinus: Si tu ipſe, ô miſerabilis, ab hominum inſectatione deſiſteres, & te factorū tuorum uel hoc tempore, cum dies iudicij in proximo eſt, pœniteret, ego tibi uerè confiſus in Domino, Chriſti miſericordiam pollicerer. O quàm ſancta de Domini pietate præſumptio, in bua etſi autoritatem præſtare non potuit, oſtendit affectum. Et quia de diabolo, eiuſdemꝗ artibus ſermo exortus eſt, non ab re uidetur, licet extrinſecus referre quod geſtum eſt: quia & quædam in eo Martini uirtutum portio eſt, et res digna miraculo rectè memori ęmādabiť, in exemplū cauendi, ſi quid deinceps uſpiam tale contigerit. Clarus quidam nomine, adoleſcens nobiliſsimus, mox presbyter, nunc felici beatus exceſſu, cum relictis omnib. ſe ad Martinum contuliſſet, breui tempore ad ſummum fidei uirtutumꝗ omnium culmen enituit. Itaꝗ cum haud longè ſibi ab epiſcopi monaſterio tabernaculum B
conſtituiſſet, multiꝗ apud eum fratres commorarenť, iuuenis quidā ad eum Anatolius nomine, ſub profeſsione monachi omnem humilitatem atꝗ innocentiam mentitus acceſsit, abijtꝗ aliquandiu in commune cum cæteris. Dein de procedenti tempore, angelos apud ſe loqui ſolere dicebat. nam cum fidem dictis nullus adhiberet, ſignis quibuſdam pleroſꝗ ad credendū cohortabatur. Poſtremò eouſꝗ proceſsit, ut inter ſe ac Deum angelos diſcurrere prædicaret: iamꝗ ſe unum ex prophetis haberi uolebat. Clarus tamen nequaꝗ ad credendum cogi poterat. ille ei iram Domini & pręſentes plagas, cur ſancto nō crederet, cōminari cœpit. Poſtremò in hanc uocem erupiſſe fertur: Ecce hac nocte ueſtem mihi candidam Dominus de cœlo dabit, qua indutus in mediū ueſtrûm cōuerſabor: idꝗ uobis ſignum erit, me Dei eſſe uirtutem, qui Dei ueſte donatus ſum. Tunc uerò grandis omnium ad hanc profeſsionē expectatio fuit. Itaꝗ ad mediam ferè noctem fremitu inſultantiū cōmoueri omne monaſterium loco uiſum eſt. cellulam autem in qua idem adoleſcens continebatur, crebris cerneres micare luminibus, fremitusꝗ in ea diſcurrentiū, & murmur quoddam multarū uocum audiebať. Deinde facto ſilentio egreſſus, unum de fratribus, Sabatium nomine ad ſe uocat, tunicamꝗ ei qua erat indutus oſtendit. Obſtupefactus ille, conuocat cæteros. ipſe etiam Clarus accurrit, adhibitoꝗ lumine, ueſtem omnes diligenter inſpiciunt. erat autem ſumma mollitie, candore eximio, micanti purpura, nec tamen cuius eſſet generis aut uelleris, poterat agnoſci. curioſius tamen oculis aut digitis attrectata, non aliud quàm ueſtis uidebať. Interea Clarus fratres admonet, orationi inſtare, ut manifeſtius eis Dominus quid nam eſſet oſtenderet. Itaꝗ reliquū noctis hymnis pſalmisꝗ conſumiť. At ubi illuxit dies, adprehenſum dextera trahere eum ad Martinū uolebat, bene conſcius, illudi illum diaboli arte nō poſſe. Tunc uerò reniti ac reclamare miſer cœpit interdictūꝗ ſibi eſſe dicebat, ne ſe Martino oſtēderet. Cumꝗ inuitum ire cōpellerent, inter trahentiū manus ueſtis euanuit. Vnde

quis

A quis dubitet hanc etiam Martini fuisse uirtutem, ut phantasiam suam diabolus, cum erat Martini oculis ingerenda, dissimulare diutius, aut tegere nō posset. Animaduersum est tamen eodem ferè tempore fuisse in Hispanijs iuuenem, qui cum sibi multis signis autoritatem peperisset, eousque elatus est, ut se Heliam profiteretur. Quod cum pleriq; temere credidissent, addidit, ut se Christum esse diceret: in quo etiam adeò illusit, ut eum quidam episcopus nomine Ruffus, ut Dominum adoraret: propter quod eum postea ab episcopatu deiectum uidimus. Pleriq; etiam nobis è fratribus retulerunt, eodem tempore in Oriente quendam extitisse, qui se Iohannē esse iactitaret: ex quo conijcere possumus, istiusmodi pseudoprophetis existentibus, Antichristi aduentum imminere, qui iam in istis mysterium iniquitatis operatur. Neq; enim prætereundum uidetur, quanta Martinū sub ijsdem diebus diabolus arte tentauerit. Quadam enim die præmissa præ se potestate, & circumtectus ipse luce purpurea, quo facilius claritate adsumpti fulgoris illuderet, ueste etiam regia indutus, diademate ex gemmis auroq; redimitus, calceis auro illitis, sereno ore, læta facie, ut nihil minus quàm diabolus putaretur, oranti in cellula astitit. Cumq; Martinus primo aspectu eius fuisset hebetatus, diu multumq; silentium ambo tenuerūt. Tunc prior diabolus: Agnosce, inquit, Martine, quē cernis. Christus ego sum: descensurus ad terram, prius me manifestare tibi uolui. Ad hæc cum Martinus taceret, & nequicquam responsi referret, iterare ausus est diabolus professionis audaciam: Martine quid dubitas credere, cum uideas? Christus ego sum. Tunc ille reuelante sibi spiritu, ut intelligeret diabolum esse, non Deum: Non se, inquit, IESVS Dominus purpuratum & diade-

B mate renitentem uenturum esse prædixit. Ego Christum, nisi in eo habitu, formaq; qua passus est, nisi crucis stigmata proferentem, uenisse non credā. Ad hanc ille uocem statim ut fumus euanuit, & cellulam tacito fœtore compleuit, ut indubia indicia relinqueret, diabolum se fuisse. Hoc itaq; gestum, ut suprà retulimus, ex ipsius Martini ore cognoui, ne quis fortè existimet fabulosum. Nam cum olim audita fide eius, uita atq; uirtutibus, desiderio illius æstuaremus, gratam nobis ad eum uidendum peregrinationem suscepimus: simul quia iam ardebat animus uitam illius scribere, partim ab ipso, inquantum ille interrogari potuit, sciscitati sumus: partim ab his qui interfuerant, uel sciebāt, cognouimus. Quo quidē tempore credi non potest, qua me humilitate, qua benignitate susceperit: congratulaturus plurimū, & gauisus in Domino, quòd tanti esset habitus à nobis, quem peregrinatione suscepta expetissemus. Miserum me penè, non audeo confiteri, cum me sancto conuiuio suo dignatus est adhiberi: aquam manibus nostris ipse obtulit, ad uesperum autem ipse nobis pedes abluit: nec reniti aut contraire, constantia fuit, ita autoritate illius oppressus sum, ut nefas putarem, si non acquieuissem. Sermo autem illius non luius apud nos fuit, quàm mundi huius illecebras, & seculi onera relinquēda, et Dominum IESVM liberi expeditiq; sequeremur. præstantissimūq; nobis præsentium temporum illustris uiri Paulini, cuius suprà mentionem fecimus exemplum ingerebat, qui summis opibus abiectis, Christum secutus, solus penè his temporibus euangelica præcepta complesset: illum nobis sequendum, illum clamabat imitandum: beatumq; esset præsens seculum, tantæ fidei uirtutisq; documentum, cum secundum sententiam Domini diues & possidens multa, uendendo omnia & dando pauperibus, quod erat factu impossibile, possibile fecisset exemplo. Iam uerò in uerbis & confabulatione eius quanta grauitas, quanta dignitas erat? quàm alacer, quàm efficax, & quàm in exoluendis scripturarū quæstionibus promptus & facilis? Et quia multos ad hanc partem incredulos scio, quippe quos uiderim, meipso etiam referente, nō credere; IESVM testor, spemq; communem, meq; ex nullius unquam ore tan-

tum scientiæ, tantum ingenij, tam boni, & tam puri sermonis audisse, quàm A in Martini uirtutibus: quantum est ista laudatio, nisi quod mirum est homini illiterato ne hanc quidem gratiam defuisse. Sed iam finē liber postulat, sermo claudendus est: nō quòd omnia quæ de Martino fuerant dicenda, defecerint: sed quia nos inertes poetæ, extremo in opere negligentes, uicti materiæ mole succumbimus. Nam etsi facta illius explicari uerbis utcunq; potuerim: interiorem uitam illius, & cotidianam conuersationem, & animum cœlo semper intentum nulla unq; (uerè profiteor) explicabit ratio, illam scilicet perseuerantiam, & temperamentum in abstinentia & ieiunijs, potentiam in uigilijs & orationibus: noctesq; ab eo perinde ac dies actas, nullumq; uacuum ab opere Dei tempus, quo uel ocio indulserit, uel negotio. Sed nec cibo aut somno quidem, nisi in quantum naturæ necessitas cogebat. Verè fateor, nec si ipse (ut aiunt) ab inferis Homerus emergeret, posset exponere: adeò omnia maiora in Martino sunt, quàm ut uerbis cōcipi queant. Nunquā hora ulla uel momentum præterijt, quo nō aut orationib. incūberet, aut insisteret lectioni. Quanquam etiam inter legendum, aut si quid aliud fortè agebat, nunquā animum ab oratione laxabat. Nimirum ut fabri ferrarij moris est, qui inter operādum pro quodam laboris leuamine incudem suam feriunt: ita Martinus etiā dum aliud agere uideretur, semper orabat. O uerè beatus, in quo dolus nō fuit: neminē iudicās, neminē damnās, nulli malū pro malo reddēs. Tantā quippe aduersum omnes iniurias patientiā adsumpserat, ut cum esset summus sacerdos, impunè etiam ab infimis clericis læderet. nec propter id eos aut loco unquā amouerit, aut à sua (quantū in ipso fuit) charitate repulerit. Nemo unquā illum uidit iratum, nemo commotum, nemo mœrentem, nemò ridentem: unus idemq; semper, cœlestem quodammodo lætitiam uultu præferens, extra naturam hominis uidebatur. Nunquam in illius ore nisi Christus, nunquam in illius corde nisi pietas, nisi pax, nisi misericordia inerat. Plerunq; etiam pro eorum qui obtrectatores illius uidebantur, solebat flere peccatis, qui remotum & quietum uenenatis linguis & uipereo ore carpebant. Et uerè nōnullos experti sumus inuidos uirtutibus uitæq; eius, qui in illo oderant quod in se non uidebant, & quod imitari non ualebant. Atq; ô nefas dolendum & ingemiscendum. Non alij fuere insectatores eius, licet pauci admodum, non alij tamen quàm episcopi ferebantur. Nec uerò quenquam nominare necesse est, licet nosmetipsos plerinq; circumlatrent. sufficit, ut si quis ex his legerit & agnouerit, erubescat. Nam si irascitur, de se dictum fatebitur: cum fortasse nos de alijs senserimus. Non refugimus autem, ut si qui eiusmodi sunt, eos quoque uiros cum tali oderint. Illud facile confido, omnibus sanctis opusculum istud gratum fore: de cætero si quis hæc infideliter legerit, ipse peccabit. Ego mihi conscius sum, me rerum fide, & amore Christi impulsum, ut hæc scriberē, manifesta exposuisse, uera dixisse: paratumq; (ut spero) habebit à Deo præmium, non quicunq; legerit, sed quicunq; crediderit. Amen.

LIBER

A

LIBER SECVNDVS DE OBITV ET TRANSLATIONE S. Martini.

SEVERVS SVLPITIVS DORELIO Diacono Salutem.



Osteaquã à me manè digressus es, eram residens solus in cella, subieratq; me illa, quæ sæpius occupat, cogitatio, spes futurorum, præsentiumq; fastidium, iudicij metus, formido pœnarum: & quod consequens erat, atq; unde cogitatio tota descenderat, peccatorum meorum recordatio tristem me confectumq; reddiderat. Deinde cum fatigata angore animi in lectulo membra posuissem (ut plerũq; accidere ex mœstitudine solet) somnus obrepsit: qui ut semper matutinis horis leuior, interritusq;, ita suspensus & dubius per membra diffunditur, ut quod in alio sopore non euenerit, penè inuigilans dormire te sentias. Cum repentè sanctum Martinum episcopũ uidere mihi uideor, prætextum toga candida, uultu niueo, stillantibus oculis, crine purpureo: atq; ita mihi in ea habitudine corporis, formaq;, quam noueram, uidebatur, ut quod eloqui nobis penè difficile est, non posit aspici, cum possit agnosci. Arridensq; mihi paululum, libellum quem de uita illius scripseram, dextra præferebat. Ego sancta genua eius amplexus, benedictionem pro consuetudine flagitabam, superposita capiti meo manu tactu blandissimo sentiebam, cum inter benedictionis uerba solennia familiare illud ori suo crucis signum iteraret: mox in eum luminibus intentis, cum exatiari uultu il-
B lius conspectuq; non possem, subitò mihi in sublime sublatus eripitur: donec immensa aeris istius uastitate, cum tandem rapida nube subuectum acie sequeremur oculorum, patenti cœlo receptus, uideri ultrà non potuit. Nec multum pòst, presbyterum sanctum Clarum, discipulum illius, qui nuper excesserat, uideo eandem quà magistrum uiam scandere. Ego impudens sequi cupiens, dum altos gressus molior & nitor, euigilo: somnoq; excitatus, congratulari cœperam uisioni, cum ad me puer familiaris ingreditur, solito tristior uultu, loquentis pariter & dolentis. Quid tu, inquam, tam tristis loqui gestis? Duo, inquit, monachi à Turonis adfuerunt, qui dominum Martinum obisse nunciant: concidi fateor, obortisq; lachrymis fleui uberrimè: quinetiam dum hęc ad te frater scribimus, fluunt lachrymę, nec ullum impatientissimi doloris admitto solatium. Te uerò, ubi hoc nunciatum est, participem esse uolui luctus mei, qui eras socius amoris. Veni ergo ad me statim, ut pariter lugeamus quem pariter amabamus: quanquam sciam uirum illum non esse lugendum, cui post euictum triumphatũq; seculum, nunc demum reddita est corona iustitiæ, sed tamen ego non possum mihi imperare, quin doleam. Præmisi quidem patronum, sed solatium uitæ præsentis amisi: & si rationem ullam dolor admitteret, gaudere deberem. Est enim ille, ubi est consertus apostolis ac prophetis: & quod pace sanctorum omnium dixerim, in illo iustorum grege nulli secundus, ut spero, credo, & confido: illis potissimum, qui stolas suas in sanguine agni lauerunt, adgregatus, agnum ducem ab omni integer labe comitatur. Nam si licet ei ratio temporis non potuerit præstare martyrium, gloria tamen martyris non carebit, quia uoto atq; uirtute & potuit esse martyr, & uoluit. Quòd si ei Neronianis Decianisq; temporibus, in illa quæ tunc extitit, dimicare congressione licuisset, testor Deum cœli atq; terræ, sponte equuleum ascendisset, ultrò se ignibus intulisset: Hebręisq; pueris æquandus, inter flammarũ globos media licet hymnum Domini in fornace cantasset. Quòd si Esaianum illud supplicium persecutori fortè placuisset, nunquam profectò impar Prophetæ, serris & laminis dissecari membra timuisset: ac si præcisis ru-

pibus, abruptisq; montibus agere felicem furor impius maluisset, perhibeo, A
confisus testimonium ueritatis, sponte cecidisset. Si uerò gentium doctoris ex
emplo, gladio deputatis inter alias, ut sæpe prouenit, uictimas duceretur, primus omnium carnifice compulso, palmam sanguinis occupasset. Iam uerò ad uersus omnes pœnas atq; supplicia, quibus plerunq; humana cessit infirmitas, ita à confessione Domini non recedens, immobilis obstitisset, ut lætus ulceribus congaudensq; cruciatibus quælibet inter tormenta risisset. Sed quan quam ista non tulerit, impleuit tamen etiam sine cruore martyriũ. nam quas ille pro spe æternitatis humanorũ dolorũ nõ pertulit passiones, fame, uigilijs, nuditate, ieiunijs, opprobrijs inuidorũ, insectationib. improborum, cura pro infirmãtibus, solicitudine pro periclitãtibus. Quis em̃ illo dolente nõ doluit? quo scandalizãte nõ ustus, q̃ pereunte non gemuit: præter illa cotidiana illius aduersum humanę spiritualisq; nequitię diuersa certamina, dum in eo uarijs tentationib. appetito, semper exuperat fortitudo uincẽdi, patiẽtia expectãdi, æquanimitas sustinendi. O uerè ineffabilẽ uirum, pietate, misericordia, charitate, quę cotidie etiam in sanctis uiris seculo frigescente frigescit: in illo tamen usq; ad finẽ aucta, indies perseuerauit. quo ego illius bono uel specialiter fruitus sum, cum me indignum & nõ merentem unicè diligebat. En rursus lachrymę fluunt, imoq; de pectore gemitus erumpit: in quo mihi post hęc homine similis requies, in cuius erit charitate solatiũ. Me miserum, me infelicẽ, potero ne unquam, si diutius uixero, non dolere, quòd Martino superstes sum? Erit post hæc uita iucunda, erit dies aut hora sine lachrymis, aut tecum frater dilectissime, potero illius mentionem habere sine fletu: aut unquã loquens apud te aliud quàm de illo loqui potero? Sed quid te in lachrymas fletusq; commoueo, ecce nunc consolatum esse te cupio, qui me consolari ipse non possum: B
non deerit nobis ille, mihi crede, non deerit, intererit de se sermocinantibus, adstabit orantibus. Quod iam hodie præstare dignatus est, uidendũ se in gloria sua sæpe præbebit, & assidua, sicut antè paululum fecit, benedictione nos proteget. Inde secundum ordinem uisionis qua cœlum sequentibus se petere monstrauit, quò sequendus esset, edocuit: quò spes nostra tendenda, quò animus dirigendus instruxit. Quod tamẽ fiet frater, quod mihi ipse sum cõscius, condescendere arduum illud, ac penetrare non potero, ita sarcina molesta me prægrauat, & peccati mole depressum negato in astra conscensu, sæua mirabilem ducit in tartara. Spes tamen superest illa sola, illa postrema, ut quod per nos obtinere non possumus: saltem pro nobis orante Martino mereamur. Sed quid te frater diutius occupo, epistola tam loquaci? demororq; uenturum, simul iam pagina impleta non recipit? Mihi tamen hæc fuit ratio, sermonem istum longius proferendi, ut quia doloris nuncium epistola deferebat eadem tibi ex quadam nostri confabulatione præstaret charta solatium.

EPISTOLA EIVSDEM AD BASVLAM DE EADEM RE.

SVLPITIVS SEVERVS BASVLAE PARENTI *Venerabili Salutem.*



SI parentes uocari in ius liceret, te planè expilationis furtiq; ream, ad prætoris tribunal iusto dolore traheremus. Quid enim nõ con querar, quam te patior iniuriam? Nullam mihi domi chartulam, nullum libellum, nullam epistolam reliquisti: ita furaris omnia, ita uniuersa diuulgas. Si quid ad amicum familiariter scripsi, si quid fortè dum ludimus, quod uellem tamen occultum esse, dictaui, omnia ad te prius penè, quàm fuerint scripta, aut dictata, perueniunt. nimirum obæratos habes notarios meos, per quos tibi nostræ ineptiæ publicantur. Nec tamen aduersum eos possum moueri, si tibi parent, qui in ius nostrum ex tua potissimum libe-

A mum liberalitate uenerunt, seq; adhuc tuos quàm meos esse meminerunt. Tu sola es rea, tu sola culpabilis, quæ & mihi insidiaris, & illos fraude circumuenis, ut sine delicto ullo familiariter scripta, aut negligēter emissa, inlucubrata tibi penitus atq; impolita tradant. Nam ut de reliquis taceam, rogo quemadmodum tam citò ad te epistola illa potuit peruenire, quam nuper ad Aureliū Diaconum scripseramus. Ego enim Tolosæ positus, tu Treueris constituta, et tam longè à patria filio inquietante diuulsa, qua tandem familiarem illam epistolam occasione furata es? Namq; accepi literas tuas, quibus scribis in eadem epistola, qua de obitu domini Martini fecerim mentionem, ipsum beati uiri transitum exponere debuissem. Quasi uerò ego illam epistolam aut legendā alij præterquam ipsi ad quem missa uidetur, ediderim: aut ego tanto sum operi destinatus, ut omnia quę de Martino cognosci oportet, me potissimum scribentem notescant. Itaq; si qua de obitu sancti episcopi audire desideras, ab illis potius qui interfuere, cognosce. Ego tibi statui nihil scribere, ne ubique me publices: tamen si das fidem, nulli te esse lecturam, paucis tuæ satisfaciam uoluntati. itaq; præstabo his, ut quæ mihi sunt comperta, participem.

EIVSDEM DE TRANSITV SANCTI MARTINI.



Artinus igitur obitum suum longè antè præsciuit, dixitq; fratribus suis dissolutionem sui corporis imminere. Interea causa extitit, qua Candacensem diœcesim uisitaret: nam clericis inter se ecclesiæ illius discordātibus, pacem cupiens reformare, licet finem dierum suorum nō ignoraret: proficisci tamen istiusmodi ob causam non recusauit: bonam hanc uirtutum suarum consummationem existimans, si pacem ecclesiæ redditam reliquisset. Ita profectus cum suo illo, ut semper frequentissimo discipulorum sanctissimoq; comitatu, mergos in flumine conspicatur piscium prædam sequi, & rapacem ingluuiem assiduis urgere capturis. Forma, inquit, hæc dæmonum est, insidiantur incautis, capiunt nescientes: captos deuorant, exaturari que non queunt deuoratis. Imperat deinde potenti uirtute uerborum, ut eum cui innatabant gurgitem relinquentes, aridas peterent, desertasq; regiones: eo nimirum circa aues illas usus imperio, quo dæmones fugare consueuerat. Ita grege facto, omnes in unum illæ uolucres congregatæ, relicto flumine, montes syluasq; petierunt, nō sine admiratione multorum, qui tantam in Martino uirtutem uiderent, ut etiam auibus imperaret. Aliquandiu ergo in uico illo, uel in ecclesia ad quam ierat, commoratus, pace inter clericos restituta, cum iam regredi ad monasterium cogitaret, uiribus corporis cœpit repentè destitui: conuocatisq; discipulis, indicat se iam resolui. Tunc uerò mœror & luctus omnium, uox una plangentium: Cur nos pater deseris? aut cui nos desolatos relinques? Inuadent gregem tuum lupi rapaces, & quis eos à morsibus nostris, percusso pastore, prohibebit? Scimus quidem, desiderare te Christum: sed salua tibi sunt tua præmia, nec dilata minuentur: nostri potius miserere, quos deseris. Tunc ille motus his fletibus, ut totus semper in Domino misericordiæ uisceribus affluebat, lachrymasse perhibetur: conuersusq; ad Dominum, hæc tantum flentibus uoce respondit: Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: fiat uoluntas tua. Nimirum inter spem amoremq; positus, dubitauit penè quid mallet: quia nec hos deserere, nec à Christo uolebat diutius separari: nihil tamē in uoto suo ponens, aut uoluntati suæ relinquēs, totum se Domini arbitrio potestatiq; commisit. Nonne tibi his paucissimis uerbis dicere uidetur: Grauis quidem est Domine corporeæ pugna militiæ, & iam satis est, quód hucusque certaui? Sed si adhuc in eodem labore pro castris tuorum stare me præcipis, non recuso laborem, nec fatiscentem causabor ætatem. Munia tua deuotus implebo, sub signis tuis quoadusque tu iusseris

ſeris militabo. & quamuis optata ſit ſeni miſsio poſt laborem, eſt tamen ani- A
mus uictor annorum, & cedere neſcius ſenectuti: ac ſi iam parcis ætati, bo-
num eſt mihi Domine uoluntas tua. Hos uerò de quibus timeo, ipſe custo-
dies. O uirum ineffabilem, nec labore uictum, nec morte uincendum, qui
in nullam ſe partem pronior inclinauerit, nec mori timuerit, nec uiuere recu
ſauit. Itaque cum iam per aliquot dies ui febrium teneretur, non tamen à Dei
opere ceſſauit: pernox etiam in orationibus & uigilijs, fatiſcentes corporis
artus ſeruire ſpiritui cogebat, nobili illo ſtratu ſuo, cinere & cilicio recubans.
Et cum à diſcipulis rogaretur, ut ſaltem uilia ſibi ſineret ſtramenta ſupponi:
Non decet, inquit, filij, Chriſtianum, niſi in cilicio & cinere mori. Ego ſi a-
liud uobis exemplum relinquo, ipſe peccabo. Oculis igitur ac manibus in cœ
lum ſemper intentis, inuictum ab oratione ſpiritum non relaxabat. & cum à
presbyteris, qui tunc ad eum confluxerant, rogaretur, ut corpuſculum late-
ris mutatione releuaret: Sinite, inquit, ſinite me fratres, cœlum potius reſpi-
cere, quàm terram, ut ſuo iam itinere iturus ad Dominum ſpiritus dirigatur.
Hæc locutus, diabolum uidit propè aſsiſtere: Quid tu hic, inquit, adſtas cru-
enta beſtia? nihil in me funeſti reperies. Abrahæ me ſinus recipiet. Cum hac
ergo uoce flagitatum diuinis operibus ſpiritum cœlo reddidit: teſtatiq; nobis
ſunt qui affuerunt, iam ex animo corpore glorificati hominis uidiſſe ſe glo-
riam. Vultus ſiquidem eius luce clarior renitebat, cum membra cætera nec te
nuis quidem macula fuſcaret. in alijs etiam, & in illo tantundem artibus non
pudendis, ſeptennis quodammodo pueri gratia uidebatur. Quis iſtum un-
quam cilicio tectum, quis cineribus crederet inuolutum? ita uitro purior, la-
cte candidior, iam in quadam futuræ reſurrectionis gloria, & natura demu- B
tatæ carnis, oſtenſus eſt. Iam uerò in obſequiũ funeris, credi non poteſt, quan
ta hominum multitudo conuenerit. tota ciuitas obuiam corpori ruit, cuncti
ex agris atque uicis, multiq; ex uicinis etiam urbibus affuerunt. O quantus lu
ctus omnium, quanta præcipuè mœrentium lamenta monachorum, qui eo
die ferè ad duo millia conueniſſe dicuntur, ſpecialis Martini gloria, cuius ex-
emplo in Domini ſeruitute ſtirps tanta fructificauerat. Agebat nimirum an-
te ſe paſtor extinctus greges ſuos, ſanctæ illius multitudinis pallidas tubas, ag
mina palliata, & aut emeritorum laborum ſenes, aut iuratos Chriſti in ſacra-
menta tyrones: tum uirginum choros, fletu abſtinentes præ pudore, cum læ
tandum potius eſſe ſentirent, quem iam ſuo Dominus gremio confoueret.
Quàm ſancto diſsimulabant gaudio, quod dolebant: cum ſiquidem, etſi fi-
des flere prohiberet, gemitum extorqueret affectus. Etenim tam erat ſancta
de illius gloria exultatio, quàm pia de morte confuſio. Ignoſcis flentibus, gra
tulare gaudẽtibus: quia & pium eſt gaudere Martino, & pium eſt flere Mar-
tinum, dum unuſquiſque & ſibi præſtat, ut doleat: & illi debet, ut gaudeat.
Hoc igitũ beati uiri corpus uſque ad locum ſepulchri, hymnis canora cœleſtis
turba proſequitur. Comparetur, ſi placet, ſecularis illa pompa, non dicam fu-
neris, ſed triumphi, quid ſimile poterit Martini conferri exequijs. Ducant il
li uictores præ curribus ſuis uinctos, poſt terga captiuos: Martini corpus, hi
qui mundum ductu illius uicerant, proſequuntur. Illos confuſis plauſibus po
pulorum honorat inſania, Martino diuinis plauditur pſalmis. Martinus hy-
mnis cœleſtibus honoratur: illi poſt triumphos ſuos in tartara ſæua trudunt,
Martinus Abrahæ ſinu lætus excipitur. Martinus hic pauper & modicus, cœ
lum diues ingreditur: illinc nos, ut ſpero, cuſtodiens
me hæc ſcribentem reſpicit, te
legentem.

SEVERI SVLPITII LIBER TERTIVS DE VIRTVTIBVS ORIENTALIVM Monachorum.



A Vm in unum locum ego & Gallus noſter interim conueniſſemus, uir mihi & propter Martini memoriam ex illius diſcipulis erat et propter ſua merita chariſsimus, interuenit nobis Poſthumianus meus, noſtri cauſa ab oriente, quò ſe ante triennium, patriam relinquens, contulerat. Regreſſum complexi hominem amantiſsimum, exoſculatiq; genua & pedes eius, cum uno atque altero ſpacio obſtupefacti inuicem flentes gaudio deambulaſſemus, iactis in terra cilicijs conſedimus. Tunc prior Poſthumianus me intuens: Cum eſſem, inquit, in remotis Aegypti, libuit ut ad mare uſque procederem. nauemq; illic oenrariam offendi, quę cum mercibus Narbonam petens, ſoluere parabat. Eadem nocte in ſomnis mihi adſtare uiſus es, & iniecta me manu trahere, ut nauim illam conſcenderem. mox per tenebras erumpente diluculo, cum eo loco in quo quieueram, ſurrexiſſem, ſomnium meum ipſe mecum reputans, tanto tui deſiderio ſubitò correptus ſum, ut nihil cunctatus, nauim conſcenderem: & triceſima die Maſsiliam adpulſus, inde huc decimo aduenerim. adeò proſpera nauigatio piæ adfuit uoluntati. Tu modò, propter quem tot maria tranſnauigauimus, tantum terræ tranſcurrimus, complectendum, perfruendumq; te, remotis omnibus, trade. Ego uerò, inquam, etiam cum in Aegypto morareris, totus tecum ſemper animo & cogitatione uerſabar: meq; de te die ac nocte cogitantem, totum tua charitas poſsidebat: ne-
B dum modò me tibi æſtimes puncto temporis defuturum, quo minus amore tuo pendens, te intuear, te audiam, & tecum loquar: nullo penitus in ſecretum noſtrum, quod nobis hæc remotior cellula præſtat, admiſſo. Nam huius noſtri, ut arbitror, Galli præſentiam non moleſtè feres, quia huc aduentu tuo (ut uides) perinde atque ego ipſe, triumphat gaudio. Rectè planè, inquit Poſthumianus, in ſocietate noſtra Gallus iſte retinebit: quia etſi mihi parum cognitus eſt, pro eo tamen quòd tibi eſt chariſsimus, non poteſt mihi non eſſe charus, maximè cum ex Martini ſit diſciplina. Neque grauabor quamlibet conſertè uobiſcum, ut poſcitis, fabulari: quippe cum huc uenerim, ut me huius Sulpitij mei (me autem utraque manu complectebatur) deſiderio etiam uerboſius impenderem. Enimuero, inquam, ſatis probaſti, quantum pius amor poſsit, qui noſtri cauſa tot maria, tantumq; terrarum emenſus, à ſummo (ut ita dicam) ſolis egreſſu, uſque in eius occidua ueniſti. Age ergo, quia & ſecreti inter nos, nec occupati ſumus & ſermoni tuo uacare debemus, ediſſeras nobis uelim omnem peregrinationis hiſtoriam. qualiter in Oriente fides Chriſti floreat, quæ ſit ſanctorum quies, quæ inſtituta monachorum, quantis ſignis ac uirtutibus in ſeruis ſuis Chriſtus operetur. Nam certè, quia in his regionibus, inter iſta quæ uiuimus, ipſa nobis uita faſtidio eſt: libenter ex te audiemus, ſi uel in heremo uiuere Chriſtianis licet. Ad hæc Poſthumianus: Faciam, inquit, ut deſiderare te uideo. Sed quæſo prius ex te audiam, an iſti omnes quos hic reliqueram ſacerdotes, tales ſunt, quales eos antè quàm proficiſcerer, noueramus. Tunc ego: Abſit, te, inquam, iſta quærere, quæ aut unà mecum (ut puto) noſti: aut ſi ignoras, non audire ſit melius. Illud reticere non poſſum, non ſolum illos de quibus interrogas, nihil meliores quàm noueras factos: ſed unum illum noſtri quondã amantem, in quo reſpirare ab iſtorum inſectationibus ſolebamus, aſperiorem nobis fuiſſe, quàm debuit. Nec uerò quicquam in illum inclemẽtius dicam, quia & amicum colui, & tunc etiã amaui cum putabatur inimicus. Me autem hæc

tacitis cogitationibus reuoluente, admodum dolor iste compungit pene, nos A
sapientis & religiosi uiri amicitia destitutos, illum quondam tam amicum nobis, tam amarum in nos esse potuisse. Verùm hæc quæ mœroris plena sunt, relinquamus: te potius, ut dudum spoponderas, audiamus. Ita, inquit, fiat, Posthumianus. & cum dixisset, paululũ omnes conticuerunt: deinde cilicium cui insederat, ad me propius admouit, atq; ita exorsus est. Ante hoc triennium, quo tempore tibi Sulpiti hinc abiens ualedixi, ubi Narbona nauim soluimus, quanto die portum Aphricæ intrauimus (adeò prospera Dei nutu nauigatio fuit) libuit animo adire Carthaginem, loca uisitare sanctorum, & præcipuè ad sepulchrum Cypriani martyris adorare. Quintodecimo die ad portum regressi, prouectiq; in altum, Alexandriam petentes, reluctante Austro, penè in Syrtes illati sumus: quod prouidi nautę cauentes, iactis nauem anchoris sistunt. Sub oculis autem terra continens erat, in qua scaphis egressi: cum uacua ab humano cultu omnia cerneremus: ego studiosior explorandorum locorum gratia longius processi, tribus ferè milibus à litore paruum tugurium inter arenas cõspicio: cuius tectum, sicut Salustius ait, quasi carnia nauis erat, contiguũ terrę, satis firmis tabulatis constratũ, non q; ibi uis imbriũ ulla timeatur. fuisse aũt illic pluuiam, ne unq; quidem auditum est: sed q; uentorũ ea uis est, ut siquando uel clemẽtiori cœlo aliquantulũ spirare flatus cœperit, maius in illis terris q; in ullo mari naufragium sit. Nulla ibi germina, sata nulla proueniunt: quippe instabili loco arẽtibus arenis, ad omnem motum uentorum cedentibus. Verùm ubi auersa quadam à mari promontoria uentis resistunt, terra aliquantulum solidior, herbam raram atq; hispidam gignit. ea ouibus est pabulum satis utile. incolæ lacte uiuunt. qui solertiores sunt, uel ut ita dixerim, ditiores, hordeaceo pane utũtur. ea ibi sola messis est, quæ celeritate pro- B
uentus per naturam solis siue aëris uentorum casus euadere solet. Quippe fertur à die iacti seminis, tricesimo die maturescere. Consistere autem ibi homines non alia ratio facit, quàm quòd omnes tributo liberi sunt. extrema siquidem Cyrenorũ. Ora est deserto illi contigua quod inter Aegyptum & Aphricam interiacet, per quod olim Cato Cæsarem fugiens, duxit exercitum. Ego ut ad tugurium illud quod eminus conspexeram, protendi, inuenio senem in ueste pellicea, molam manu uertentem. Cõsalutatus ille accepit nos benignè eiectos nos in illud littus exponimus, & ne statim repetere cursum possimus, maris molestia detineri: egressos in terram (ut est mos humani ingenij) naturam locorum, cultumq; habitantiũ uoluisse cognoscere: Christianos nos esse: idq; precipuè quęrere, an essent aliqui inter illas solitudines Christiani. Tunc uerò ille flens gaudio, ad genua nostra prouoluitur, iterum nos ac sæpius exosculatos inuitat ad orationẽ: deinde impositis in terra * nerue cum pellibus facit nos discũbere. Apponit prandium sanè locupletissimũ, dimidiũ panem hordeaceũ. Eramus autem nos quatuor, ipse erat quintus. Fasciculum etiã herbæ intulit, cuius nomen excidit, quæ mentæ similis, exuberans folijs, saporem mellis præstabat: huius prædulci admodum suauitate delectati atq; exatiati sumus. Ad hæc subridens ego, ad Gallum meum, Quid, inquã, Galle, placet ne tibi prandium fasciculus herbarum, & panis dimidius quinq; uiris? Verè, tunc ille (sicut est uerecundissimus) aliquantulum erubescens, dum fatigationem meam accepit: Satis, inquit, Sulpiti tuo more, qui nullam occasionem, si qua tibi porrecta fuerit, omittis, quin nos edacitatis fatiges: sed facis inhumanè, qui nos Gallos homines, cogis exemplo Angelorum uiuere. quanquam ego studio manducandi etiam Angelos manducare credam. Nam istum dimidium hordeaceum timeo uel solus atingere. sed contentus sit hoc Cyrenẽsis ille, cui uel necessitas, uel natura est esurire: uel postremò isti, quibus credo marina iactatio mediam cibi fecerũt: nos procul à mari absumus, & quod tibi

sæpe

A sæpe testatus sum, Galli sumus. Sed pergat hic potius explicare sui Cyrenensis historiam. Enimuero, Posthumianus ait, cauebo posthac cuiusque abstinentiam prędicare, ne Gallos nostrum arduum penitus offendat exemplum. Statueram autem etiam cœnam Cyrenensis illius uel consequentia dicere: septem enim diebus apud ipsum fuimus. Referrem communia, sed superseden dum est, ne Gallus se æstimet fatigari. Cæterùm postero die cum aliqui ex incolis ad nos uisendos cõfluere cœpissent, cognoscimus illum hospitẽ nostrum esse presbyterũ, quod summa nos dissimulatione celauerat. deinde cum ipso ad ecclesiam processimus, quæ ferè duobus milibus aberat à conpsectu nostro interiectu montis exclusa. Erat autem milibus texta uirgultis, non multo ambitiosior quàm nostri hospitis tabernaculũ, in quo nisi incuruus quis non poterat consistere. Cum hominum mores quæreremus, illud præclarè animaduertimus, nihil eos neque emere, neque uendere, quin & quid sit fraus aut furtum nesciunt. Aurum atque argentũ, quæ prima mortales putant, neque habent, neque habere cupiunt. Nam cum ego presbytero illi decem nummos aureos obtulissem, refugit, altiore cõsilio protestatus, ecclesiam auro nõ instrui, sed potius destrui, aliquantulum ei uestimentorum indulsimus. Quod cum ille benignè accepisset, reuocantibus nos ad mare nautis, discessimus. Prosperoque cursu septimo die Alexãdriam peruenimus, ubi fœda inter episcopos atque monachos certamina gerebantur. Ex ea occasione uel causa, qua cõgregati in unum sæpius sacerdotes, frequentibus decreuisse Synodis uidebantur, ne quis Origenis libros legeret, aut haberet, qui tractator scripturarum sanctarum peritissimus habebatur. Sed episcopi quædam in libris ipsius insanius scripta memorabant, quæ adsertores eius defendere non ausi, ab hereticis potius fraudulen

De Origene eiusque scriptis.

B ter inserta dicebant: & ideo non propter illa quę in reprehensione meritò uocarentur, etiam reliqua esse damnanda, cum legentium fides facile posset habere discrimen, ne falsata sequerentur, & tamen catholicè disputata retineret. Non esse autem mirum, si in libris neotericis & recens scriptis, fraus hæretica fuisset operata, quæ in quibusdam locis non timuisset incidere euangelicã ueritatem. Aduersum hæc episcopi obstinatis renitentes pro potestate cogebantur, rectè etiã uniuersa cum primis & cum ipso authore dãnare: quia satis superque sufficerent libri quos ecclesia recepisset, respuendamque esse penitus lectionem, quæ plus esset nocitura insipientibus, quàm profutura sapientibus. Mihi autem ex illius libris quædam curiosius indaganti, admodum multa placuerunt: sed nonnulla reprehendi, in quibus illum praua sensisse non dubium est, quæ defensores eius falsata contendunt. Ego miror unum eundemque hominem tam diuersum à se esse potuisse, ut in ea parte qua probatur, neminem post Apostolos habeat æqualem: in ea uerò quæ iurè reprehenditur, nemo deformius doceatur errasse. Nam cum ab episcopis excerpta in libris illius multa legerentur, quæ contra catholicam fidem scripta cõstarent, locus ille uel maximam parabat inuidiam, in quo editum legebatur, quia Dominus Iesus Christus sicut pro redemptione hominis in carne uenisset, crucem pro hominis salute perpessus, mortem pro hominis æternitate gustasset, ita esset eodem ordine passionis etiam diabolum redempturus: quia hoc bonitati illius pietatique congrueret, ut qui perditum hominem reformasset, prolapsum quoque angelum liberaret. Cum hæc atque alia istiusmodi ab episcopis proderetur, ex studijs partium orta est seditio. Quæ cum reprimi sacerdotum authoritate non posset, sæuo exemplo ad regendum ecclesiæ disciplinam præfectus assumit: cuius terrore dispersi fratres, ac per diuersas oras monachi sunt fugati, ita ut præpositis edictis in nulla consistere sede sinerentur. Illud me admodum permouebat, quòd Hieronymus uir maximè catholicus, & sacræ legis peritissimus, Originem secutus primo tempore putabatur, qui nunc idem præcipuè,

uel omnia

uel omnia illius scripta damnaret, nec uerò ausus sum de quoquam temerè iu A
dicare: præstantissimi tamen uiri & doctissimi ferebantur in hoc certamine dissidere. Sed tamen siue illud error est, ut ego sentio: siue hæresis, ut putatur: non solum reprimi non potuit multis animaduersionibus sacerdotum, sed nequaquam tam latè se potuisset effundere, nisi contentione creuisset. Istiusmodi ego turbatione cum ueni Alexandriam, fluctuabat: me quidem episcopus illius ciuitatis benignè admodũ, & melius quàm opinabar excepit, & secum tenere tentauit. Sed non fuit animus ibi consistere, ubi recens fraternæ cladis feruebat inuidia. nam etsi fortasse uideãtur parêre episcopis debuisse, non ob hanc tamen causam multitudinem tantam sub Christi cõfessione uiuentem, presertim ab episcopis oportuisset affligi. Igitur deinde digressus Bethleem oppidum petij, quod ab Hierosolymis sex milibus separatur, ab Alexandria autem sedecim mansionibus abest. Ecclesiam loci illius Hieronymus presbyter regit, nam parrochia est episcopi, qui Hierosolymam tenet: mihi iampridem Hioronymus superiore illa mea peregrinatione compertus, facile obtinuerat, ut nullum mihi expetẽdum rectius arbitrarer. Vir enim propter fidei meritum, dotemq; uirtutum, non solum Latinis atq; Græcis, sed & Hebræis etiam ita literis institutus est, ut se illi in omni scientia nemo audeat comparare. Miror autem, si non & uobis per multa quæ scripsit opera compertus est, cum per totum orbem legatur. Vobis uerò, Gallus inquit, nimiũ nimiumq; compertus est, nam ante hoc quinquennium quendam illius libellum legi, in quo tota nostrorum natio monachorum ab eo uehementissimè uexatur, & carpitur. Vnde interdum Belgicus noster ualdè irasci solet, quòd dixerit, nos usq; ad uomitum satiari. Ego autem, inquam, Gallus illi uiro ignosco, atq; ita sentio, de Orientalibus illum potius monachis, quàm de Occidentalibus disputasse. Nam edacitas in Græcis gula est, in Gallis natura. Tunc ego: B
Scholasticè, inquam, Galle defendis gentem tuam: sed quæso te, liber iste nunquid hoc solum uitium damnat in monachis? Imò uerò, inquit, nihil penitus obmisit, quod non carperet, laceraret, exponeret: præcipuè auaritiam, nec minus uanitatem insectatus est. Multa de superbia, non pauca de superstitione disseruit: uerè, fateor, pinxisse mihi uidetur uitia multorum. Cęterùm de familiaritatibus uirginum & monachorum, atq; etiam clericorum, quàm uera, quàm fortia disputauit: unde à quibusdam, quos nominare nolo, dicitur non amari. Nam sicut Belgicus noster irascitur, edacitatis nimiæ nos notatos: ita illi fremere dicũtur, cum in illo opusculo scriptũ legunt, Cœlibẽ spernit uirgo germanum fratrem, quærit extraneum. Ad hæc ego: Nimium, inquam, Galle progrederis, caue ne & te aliquis qui hæc fortassis agnoscit, exaudiat, teq; una cum Hieronymo incipiat non amare. nam quia scholasticus es, non immeritò te uersu Comici illius admonebo: Obsequium amicos, ueritas odiũ parit. Tua nobis, ut cœperas, potius Posthumiane repetatur Orientalis oratio. Ego, inquit, ut dicere instituerã, apud Hieronymum sex mensibus fui, cui iugis aduersus malos pugna, perpetuumq; certamen. Consciuit odia perditorum, oderũt eum hæretici, quia eos impugnare non desinit: oderunt eum clerici, quia uitam eorum insectatur, & crimina. Sed planè eum boni omnes admirantur, & diligunt: nam qui eum hæreticum esse arbitrantur, insaniunt. Verè dixerim, catholica hominis scientia, sana doctrina est. Totus semper in lectione, totus in libris est: non die, nõ nocte requiescit: aut legit aliquid semper, aut scribit. quod nisi mihi fuisset fixũ animo, & prouisum, Deo teste, antè propositum heremum adire, uel exigui temporis punctum à tanto uiro discedere uoluissem: huic traditis atq; commissis omnibus meis, omniq; familia, quæ me contra uoluntatem animi mei secuta tenebat implicitum, exoneratus quodãmodo graui fasce penitus, ac liber regressus ad Alexãdriam,
uisitatis

A uisitatis ibi fratribus, ad superiorem inde Thebaidam, id est ad Aegypti extrema contendi. Ibi enim uastè patentes heremi solitudines, plurimum ferebantur habere monachorum. Longum est, si omnia cupiam referre, quæ uidi: tamen pauca perstringam è plurimis. Haud longè ab heremo cõtigua Nilo, multa sunt monasteria, habitant in uno loco pleriq; centeni, quibus summum ius est, sub abbatis imperio uiuere, nihil arbitrio suo agere, per omnia ad nutum illius potestatẽq; pendere. Ex his si qui maiorẽ uirtutem mente conceperint, aut acturi solitariam uitam se ad heremum conferant, non nisi permittente abbate discedunt: hæc illorum prima uirtus est, parere alieno imperio. Transgressis ad heremum, abbatis illius ordinatione panis, uel quilibet cibus alius ministratur. Casu super illos dies, quibus illò adueneram, cuidam qui nuper ad heremum secesserat, neq; amplius ab hoc monasterio, quàm sex milibus tabernaculum sibi constituerat, panem abbas per duos pueros miserat, quorum maior habebat ætatis annos quindecim, minor duodecim erat. His ergo inde redeuntibus, aspis miræ magnitudinis fit obuiam. cuius occursu nihil perterriti, ubi ante pedes eorum uenit, quasi incantata carminibus, cœrulea colla deposuit. minor è pueris manu adprehensam, ac pallio inuolutam ferre cœpit. deinde monasteriũ quasi uictor ingressus, in occursum fratrum, expectantib. cunctis, captiuam bestiam resoluto pallio, non sine iactantiæ tumore deposuit. Sed cum infantiũ fidem atq; uirtutem cęteri prędicarẽt, abbas ille altiori consilio, ne infirma ætas insolesceret, uirgis utrũq; cõpescuit: multum obiurgatos, cur ipsi, q̃d per eos Dominus operatus fuerat, prodidissent. opus illud nõ suæ fidei, sed diuinę fuisse uirtutis: discerent potius, Deo in humilitate
B seruire, et nõ in signis & uirtutib. gloriari, quia melior esset infirmitatis conscientia, uirtutũ uanitate. Hoc ubi ille monachus audiuit, & periclitatos infantulos serpentis occursu, & ipsos multa uerbera uicto serpente meruisse, abbatem obsecrat, ne sibi post hæc panis ullus, aut cibus aliquis mitteretur. Iamq; octauus dies fuerat emensus, quo se homo Christi intra periculum famis ipse concluserat: arebant mẽbra ieiunio, sed deficere mens cœlo intenta nõ poterat: corpus inedia fathiscebat, fides firma durabat. Cum interim admonitus abbas ille per spiritum, ut discipulum uisitaret, pia solicitudine cognoscere cupiens, qua uitæ substantia uir fidelis aleretur, qui ministrari sibi ab homine nõ iuisset, ad requirendum eum ipse proficiscitur. Ille ubi eminus senem uenire conspexit, occurrit: agit gratias, ducit ad cellulam: cum ingressu pariter ambo conspiciunt palmitiam sportam calido pane congestam, foribus affixam de poste pendere. Ac primùm calidi panis odor sentitur: tactu uerò, ac si antè paululum focis esset ereptus, ostenditur. Aegyptij tamen panis forma non cernitur. Obstupefacti ambo, munus cœleste cognoscunt. Cum ille hoc abbatis aduentu præstitum fateretur, abbas uerò illius fidei ac uirtuti id potius adscriberet, ita ambo cœlestem panem cum multa exultatione fregerunt. Quod cum senex ad monasteriũ pòst regressus, fratrib. retulisset, tantus omnium incenderat ardor animos, ut certatim ad eremũ & sacras solitudines ire properarent: miseros se fatentes, qui diutius in congregatione multorum, ubi humana esset patienda cõuersatio, resedissent. In hoc monasterio duos ego senes uidi, qui iam per quadraginta annos ibi degere, ita ut nunquam inde discessent, ferebant. quorum prætereunda mihi cõmemoratio nõ uidet: siquidẽ id de eorum uirtutibus, & abbatis ipsius testimonio, & omnium fratrum audierim sermone celebrari, quòd unum eorum sol nunquã uidisset epulantem, alterum uidisset iratum nunq;. Ad hæc Gallus, me intuens, O si uir ille (nolo nomen edicere) nunc adesset, uellem admodum istud audiret exemplum, quod non multorum sæpe personis nimium experti sumus, uehementer irasci: sed tamen quia inimicis suis, quantum audio, nuper ignouit, si istud audiret, ma-

D gis, ma-

gis, magisq́ proposito confirmaret exemplo, præclarā esse uirtutem, iracūdia A non moueri. Nec uerò inficiabor iustas illi causas irarum fuisse: sed ubi durior pugna, ibi gloriosior est corona. unde quendā, si agnoscit, censeo iurè laudandum, quod cum eum libertus deseruerit ingratus, miseratus est potius, q̃ insectatus abeuntem. Sed neq́ illi irascitur à quo uidetur abductus. Ego autem, nisi istud uincendi iracundię Posthumianus prodidisset exemplum, grauiter irascerer discessione fugitiui: sed quia irasci non licet, tota istorum commemoratio, quæ nos compungit, abolenda est. Te inquam Posthumiane, te potius audiamus. Faciam, inquit, Galle quod præcipis, quatenus tam studiosos esse audiendi uos uideo. Sed mementote, quia non sine fœnore istum apud uos depono sermonem, libens præsto quod poscitis: dummodo paulo pòst quod poposcero, non negetis. Nos uerò, inquam, nihil habemus, in quo tibi mutuum uel sine fœnore restituere posimus: sed tamen quicquid putaueris, imperato, dummodo ut cœperas, desiderijs nostris satisfacias. ualde enim nos delectat tua oratio. Nihil, inquit Posthumianus, uestra studia fraudabo: & quia eremitæ unius incipientis agnouistis uirtutem, referam adhuc uobis pauca de plurimis. Ergo ubi prima eremi ingressus sum, duodecim ferè à Nilo milibus, habebam autem unum ex fratribus ducem locorum peritum, peruenimus ad quendam senem monachum, sub radice montis habitantem. ibi quod in illis locis rarissimum est, puteus erat. bouem unum habebat, cuius hic erat totus labor, impulsa rotali machina aquam producere. nam ferè mille aut amplius pedum, profundum putei ferebatur. hortus illi erat multis oleribus copiosus: et id quidem contra naturam eremi, ubi omnia arentia, exusta solis ardoribus, nullius unq́ seminis uel exiguam radicem deperisse ferunt. Verùm B hic sancto illi labor cum pecore communis, & propria cōstabat industria. Frequens enim irrigatio aquarum tantam pinguedinem arenis dabat, ut mirum in modum uiuere atq́ fuctificare horti illius holera uideremus. His igitur unà cum domino bos ille uiuebat. nobis quoq́ ex ea copia, cœnam sanctus dedit. Ibi uidi quod uos Galli fortè non creditis: ollam cum oleribus, quæ nobis in cœnam præparabanť, sine igne feruere. Tanta uis solis est, ut quilibet quoquis etiam ad Gallorum pulmenta sufficiat. Post cœnam autem iam inclinante uespera, inuitat nos ad arborem palmam, cuius pomis uti solebat: quæ ferè duobus milibus aberat. Nam hæ tantum in eremo arbores, licet rarò, habentur tamen. quod utrum solers antiquitas procurauerit, an solis natura gignat, ignoro: nisi Deus præscius ad habitandam quandoq́ à sanctis eremum, hæc seruis suis parauerit. Ex maiore enim parte quæ inter illa secreta consistunt, cum alia ibi germina nulla succedant, istarum arborum pomis aluntur. Ergo ubi ad illam, ad quam nos humanitas nostri hospitis ducebat, arborem peruenimus, leonem ibi offendimus: quo uiso, ego & ille dux meus intremuimus. sanctus uerò ille incunctanter accesit: nos, licet trepidi, secuti sumus. * Fera paululum cernens imparatā adeo, modesta discessit, & constitit: dum ille adtigua ramis humilioribus poma decerperet, cumq́ plenam palmulis manum obtulisset, accurrit bestia, accepitq́ tam liberè quàm nullum animal domesticum: & cum comedisset, abscesit. nos hoc intuentes, & adhuc trementes, facilè potuimus expendere, quanta in illo fidei uirtus, & quanta in nobis esset infirmitas. Alium æquè singularem uirum uidimus paruo tugurio, in quo non nisi unus recipi posit ad habitandum. de hoc illud ferebatur, quòd lupa ei solita erat adstare cœnanti: nec facilè unquam bestia falleretur, quin illi ad legitimam horam refectionis occurreret, & tamdiu pro foribus expectaret, donec ille panem, qui cœnulæ superfuisset, offerret. Illa manum eius lambere solita, atq́ ita quasi impleto officio, & præstita consolatione discedere. Sed fortè accidit, ut sanctus ille, dum fratrem qui ad eum uenerat, deducit abeuntem, diutius ab-

A tius abesset,& non nisi sub nocte remearet. Interim bestia ad consuetudinarium illud cœnæ tempus occurrit, & uacuã cellam, cum familiarẽ patronum abesse sentiret,ingressa,curiosius explorans ubi nam esset habitator:casu contigua cum panibus quinque palmitica sportella pendebat.Ex his unum præsumit,& deuorat,deinde perpetrato scelere discedit.Regressus eremita,uidit sportulam dissolutã, non constante panum numero, damnum rei familiaris intelligit,ac prope limen panis absumpti fragmenta cognoscit.Sed nõ erat incerta suspicio,quę furtum persona fecisset.Ergo cum sequentib. diebus secundum consuetudinẽ bestia nõ uenisset,nimirum audacis facti conscia, ad eum uenire dissimulans cui fecisset iniuriã,ægrè patiebatur eremita,se alumnæ solatio destitutũ.Postremò illius oratione reuocata,septimum post diem affuit, ut solebat antè cœnanti. Sed ut facilè cerneres uerecundiã pœnitentis,nõ ausa propius accedere,deiectis in terram profundo pudore luminibus,quod palàm licebat intelligi,quandam ueniam precabatur: quam illius confusionẽ eremita miseratus,iubet eam propius accedere,ac manu blãda caput triste permulcet.Deinde pane duplicato ream suam refecit. ita indulgentiã consecuta, officij consuetudinẽ deposito mœrore reparauit. Intuemini quæso Christi etiam in hac parte uirtutem, cui sapit omne quod brutum est, cui mite est omne quod sæuit.Lupa præstat officium, lupa furti crimen agnoscit, lupa cõscio pudore confundit:uocata adest,caput præbet,& habet sensum indultę sibi ueniæ, sicut pudorem gessit errati. Tua hæc uirtus Christe,tua sunt hæc Christe miracula. Etenim quæ in tuo nomine operantur serui tui, tua sunt: & in hoc ingemiscimus, quòd maiestatem tuam feræ sentiunt, homines nõ merentur.

B Ne cui aũt hoc incredibile fortè uideat,maiora memorabo. Fides Christi adest,me nihil fingere,neq; incertis autorib.uulgata narrare:sed quæ mihi per fideles uiros cõperta sunt, explicabo. Habitant pleriq; in eremo sine ullis tabernaculis,quos Anachoretas uocãt.uiuunt herbarũ radicibus: nullo unquã certo loco cõsistunt,ne ab hominib.frequentent.quas nox coegerit,sedes habẽt. Ad quendam igitur hoc ritu atq; hac lege uiuentẽ,duo ex Nitria monachi, licet longa & diuersa regione, tamen quia olim ipsis in monasterij cõuersatione clarus & familiaris fuisset, auditis eius uirtutibus, tetenderunt: quem diu multumq; quæsitũ, tandem mense septimo repererunt, & in extremo illo deserto quod est Memphis contiguũ,demorantem:quas ille solitudines iam per annos duodecim dicebat habitare. Qui licet omnium hominũ uitaret occursus,tamen agnitos nõ refugit,seq; charissimis per triduũ non negauit. Quarto die aliquantulũ progressus,cum prosequeretur abeuntes,leænam mirę magnitudinis ad se uenire cõspiciunt.bestia licet tribus repertis,nõ incerta quem peteret,anachoretæ pedib. aduoluitur,& cum fletu quodam & lamentatione procumbens, indicabat gemẽtis pariter & rogantis affectũ.mouit omnes, & precipuè illum qui se intellexerat expetitũ:pręcedentẽ sequunt.nam pręiens, & subinde restans,subinde respectãs,facilè poterat intelligi,id eã uelle,ut quò ille ducebat,Anachoreta sequeretur.Quid multa? Ad speluncã bestię peruenitur,ubi illa adultos iam quinq; catulos malè fœta nutriebat: qui ut clausis luminib. ex aluo matris exierãt,cæcitate perpetua tenebãtur. quos singulos de rupe prolatos, ante Anachoretę pedes mater exposuit. Tum demũ sanctus animaduertit,quid bestia postularet.inuocatoq; Dei nomine,cõtrectauit manu lumina clausa catulorũ:ac statim cæcitate depulsa,apertis oculis bestiarum diu negata lux patuit.Ita fratres illi, Anachoreta quem desiderabant uisitato, cum admodũ fructuosa laboris sui mercede redierũt: qui in testimoniũ tantæ uirtutis admissi,fidem sancti,& gloriam Christi, quæ per ipsos esset testificanda,uidissent. Mira dicturus sum. Leæna post dies quinq; ad autorem tanti beneficij reuertisse dicitur, eidemq; inusitatæ feræ pellem pro munere detulisse:

lisse: qua plerunque sanctus ille quasi amiculo circũtectus, nõ dedignatus est mu A nus per bestiam sumere, cuius alium potius interpretabatur autorem. Erat etiam alterius Anachoretæ in illis regionibus nomen illustre, qui in ea parte deserti quæ Syenis iungitur, habitabat. hic cum primùm se ad heremum contulisset, & herbis herbarumque radicibus, quas prædulces interdum & saporis eximij fert arena, uicturus, ignarus germinis eligendi, noxia plerunque carpebat. nec erat facilè uim radicum sapore discernere: quia omnia æquè dulcia, sed pleraque occultiore natura uirus lethale continebant. Cum ergo edentem uis interna torqueret, & immensis doloribus uitalia uniuersa quaterentur, ac frequens uomitus cruciatib. non ferendis ipsam animæ sedem stomacho iam fathiscente dissolueret, omnia penitus quæ essent edenda formidans, sempiternum in ieiunijs diem spiritu deficiente ducebat. Tunc ad eum fera, cui ibicis est nomen, accessit. huic propius astanti, fasciculũ herbarum, quem collectum pridie attingere nõ audebat, abiecit. Sed fera, quæ uirulenta erant, ore discutiens, quæ innoxia nouerat, eligebat: ita uir sanctus eius exemplo quid edere, quid respuere deberet, edoctus, & periculum famis euasit, & herbarum uenena uitauit. Sed longum est de omnibus, qui eremum incolunt, comperta nobis, uel audita memorare. Annum integrum & septem ferè menses intra solitudines constitutus exegi, magis uirtutis admirator alienæ, quàm quòd ipse tam arduum atque difficile potuerim tentare propositum. Sæpius tamen cum sene illo, qui puteũ & bouem habebat, habitaui. Duo beati Antonij monasteria adij, quæ hodieque à discipulis eius incoluntur. Ad eum etiam locum, in quo beatissimus Paulus primus eremita est conuersatus, accessi. Rubrũ mare uidi, iugũ Syna montis, cuius cacumẽ cœlo penè contiguũ, nequaquam adiri potest. Inter huius recessus Anachoreta esse ferebatur, quem diu multumque quęsitũ B uidere nõ potui, qui ferè iam ante quinquaginta annos à cõuersatione humana remotus, nullo uestis usu, setis corporis sui tectus, nuditatẽ suã diuino munere uestiebat. Hic quotiẽs eum religiosi uiri adire uoluerũt, cursu auia petẽs, cõgressus uitabat humanos. uni tantũmodo ferebatur se ante quinquenniũ prębuisse, qui credo potenti fide id obtinere promeruit: cui inter multa colloquia percunctanti, cur homines tãtopere uitaret: respondisse perhibetur, Eum qui ab hominib. frequetaretur, non posse ab angelis frequẽtari. Vnde nõ immeritò recepta opinione multorum fama uulgauerat, sanctum illum ab angelis uisitari. Ego autem à Syna monte digressus, ad Nilum flumen regressus sum, cuius ripas frequentibus monasterijs consertas utraque ex parte lustraui. Plerunque uidi, ut dudum dixeram, uno in loco habitare centenos: sed & bina & terna millia in illis uinculis degere constabat. Nec sanè ibi minorem putetis diuersantium in multitudine monachorum esse uirtutem, quàm eorum esse cognoscitis, qui se ab humanis cœtibus remouerunt. Præcipua, ut iam dixeram, ibi uirtus, & prima, obedientia est: neque aliter aduenìens ad monasterium abbatis suscipitur, quàm qui tentatus prius fuerit, & probatus: nullum unquam recusaturus, quamlibet arduum ac difficile, indignumque toleratu, abbatis imperium. Duo uobis referam incredibilis obedientiæ, admodum magna miracula, licet suppetãt plura recolenti: sed ad excitandã uirtutum æmulationem, cui pauca nõ sufficiunt, multa non proderunt. Ergo cum quidã seculi actibus abdicatis, monasteriũ magnę dispositionis ingressus, cœpisset rogare: Abbas ei cœpit multa proponere, graues esse istius disciplinæ labores, sua uerò dura imperia, quæ nullius facilè ualeret implere patientia. aliud potius monasteriũ, ubi facilioribus legibus uiueretur expeteret: non tentaret aggredi, quod implere non posset. Ille uerò his terroribus permoueri, sed magis ita omnem obedientiã polliceri, ut si Abbas in ignẽ eum ire pręceperit, non recusaret intrare, quã illius professionẽ, ubi magister accepit, nõ cunctatus est probare profitentem. Casu

A tem. Casu clibanus propè ardebat, qui multo igne succensus, coquēdis panib. parabat. Exundabat abruptis flāma fornacibus, & intra camini illius cōcaua totis habenis regnabat incendiū. Hoc igit aduenā illum iubet magister intrare. nec distulit parere præcepto, medias flāmas nihil cunctatus ingredit: quæ mox tam audaci fide uictę, uelut illis quondā Hebræis pueris, cessere ueniēti. Superata natura est, fugit incendiū: et qui putabatur arsurus, uelut frigido rore perfusus se ipse miratus est. Sed quid mirum, si tuū Christe tyronem ignis illę nō attigit: ut nec abbatē pigeret dura mandasse, nec discipulum pœniteret imperio paruisse, qui eo die quo aduenerat, dum tentaretur infirmus, perfectus inuentus est: meritò fœlix, meritò gloriosus, probatus obedientia, glorificatus est passione. In eodem autem monasterio factum id quod dicturus sum, recenti memoria ferebatur. Quidam itidem ad eundem abbatem recipiendus aduenerat, cum prima ei lex obedientiæ poneretur, ac perpetè polliceretur ad omnia uel extrema patientiam, casu abbas storacinam uirgam, quam pridem aridā manu gerebat, hanc solo fixit, atq; illi aduenæ id operis imponit, ut tamdiu uirgulæ aquam irriguam ministraret, donec, quod contra omnē naturam erat, lignum aridum in solo arente uiuisceret. Subiectus aduena durę legis imperio, aquam proprijs humeris cotidie conuehebat, quæ à Nilo flumine per duo ferè miliaria petebatur. iamq; emenso anni spacio, labor non cessabat operantis, & de fructu operis spes esse non poterat: tamen obedientiæ uirtus in labore durabatur. Sequens quoq; annus uanum laborē iam affecti fratris cludit. Tertio demum succedentiū temporum labente curriculo, cum neq; nocte neq; die aquarius ille cessaret operator, uirga floruit. Ego ipsam ex illa uirgula arbusculam, quæ hodieq; intra atrium monasterij est ramis uirentibus, uidi:
B quæ quasi in testimonium manens, quantum obedientia meruit, & quantum fides possit, ostēdit. Sed me dies antè deficiet, quàm diuersa miracula, quæ mihi de uirtutibus Sanctorum sunt comperta, possim consumere. Duo uobis adhuc pręclara memorabo, quorum unum egregium erit aduersus inflationem miseræ uanitatis exemplum: alterum, aduersus falsam iustitiam nō mediocre documentum. Quidam ergo Sanctus fugandorum de corporib. obsessis dæmonum incredibili præditus potestate, inaudita per singulos dies signa faciebat: non solum enim præsens, neq; uerbo tantum, sed absens quoq; interdum cilicij sui fimbrijs, aut epistolis missis, corpora obsessa curabat. Hic ergo mirum in modum frequētabatur à populo, ex toto ad eum orbe uenientibus. Taceo de iunioribus: præfecti comitesq;, ac diuersarum iudices potestatū pro foribus illius sæpe iacuerunt. Episcopi quoq; sanctissimi, sacerdotali authoritate deposita, contingi se ab eo, atq; benedici humiliter postulātes, sanctificatos se ac diuino munere illustratos, quotiens manum illius uestemq; contigerant, non immeritò crediderunt. Hic ferebatur omni potu in perpetuum penitus abstinere, ac pro cibo (tibi Sulpiti in aurem loquar, ne Gallus hoc audiat) septem tantum caricis sustentari. Interea Sancto uiro, ut ex uirtute honor, ita ex honore uanitas cœpit obrepere. quod malum ille ubi primùm potuit in se sentire, grassari, diu multumq; discutere conatus est: sed repelli penitus, uel tacita conscientia, uanitas, perseuerante uirtute non potuit. Vbiq; nomen eius dæmones fatebantur, excludere à se confluentium populos non ualebat. Virus interim latens serpebat in pectore, & cuius nutu ex aliorum corporibus dæmones fugabantur, seipsum occultis cogitationibus uanitatis purgare non poterat. Totis igitur precibus cōuersus ad Dominum, fertur orasse, ut permissa in se mensibus quinq; diaboli potestate, similis his fieret quos ipse curauerat. Quid multis morer: ille prępotens, ille qui signis atq; uirtutibus toto oriente uulgatus, ille ad cuius limina populi antè confluxerant, ad cuius fores summæ istius seculi se prostrauerant potestates, correptus à dæmone est,

tentus in uinculis, omnia illa quæ * inergumines solet ferre, perpessus. Quinto demum mense purgatus est non tãtum dæmone, sed quod illi erat utilius atq; optatius uanitate. Sed mihi ista replicanti, nostra infœlicitas, nostra occurrit infiirmitas. Quis enim nostrûm est, quem si unus homunculus humilis salutauerit, aut fatuis atq; adulantibus uerbis fœmina una laudauerit, non continuè elatus sit in superbiã, nõ statim inflatus sit uanitate? ut etiamsi non habeat conscientiam sanctitatis, tamen quia uel stultorum adulatione, aut fortaßis errore sanctus esse dicatur, sanctißimum se putabit. Iam uerò si ei munera crebra mittantur, Dei se magnificentia asserit honorari, cui dormienti atq; resoluto necessaria conferantur. Quòd si ei uel de medico aliqua uirtutis signa succederent, angelum se putaret. Cæterùm cum neq; opere neq; uirtute conspicuus sit, si quis clericus fuerit effectus, dilatat continuò fimbrias suas, gaudet salutationibus, inflatur occursionibus: ipse etiam ubiq; discurrit. Et qui antè pedibus aut asello ire consueuerat, spumeo equo superbus inuehitur: parua prius ac uili cellula contentus habitare, erigit celsa laquearia, construit multa conclauia, sculpit ostia, pingit armaria, uestem respuit grosiorem, indumentum molle desiderat, atq; hæc charis uiduis ac familiaribus mãdat tributa uirginibus: illa, ut birrum rigentem, hęc ut fluentem texat lacernam. Verùm hęc describenda mordacius, beato uiro Hieronymo relinquamus, ad propositum reuertamur. Tu uerò, inquit Gallus meus, nescio quid Hieronymo relinqueris disputandum, ita breuiter uniuersa nostrorum instituta cõplexus es: ut pauca hæc tua uerba, si æquanimiter acceperint, & patienter expenderint, multum eis arbitrer profutura, ut non indigeant libris post hæc Hieronymi cohercer i. Sed tu illa potius euolue, quæ cœperas, & illud quod aduersus falsam iustitiam dicturum te esse promiseras, prode documentum. nam ut uerè tibi fatear, nullo perniciosius malo inter Gallias laboramus. Ita faciã, Posthumianus inquit, nec te diutius tenebo suspensum. Adolescens quidam ex Asia prædiues opibus, genere charus, habens uxorem & filium paruulum, cum in Aegypto tribunus esset, & frequentibus aduersum Blembos expeditionibus quædam eremi contigisset, sanctorum etiam tabernacula complura uidisset, à beato uiro Iohanne uerbum salutis accepit. Nec moratus inutilem militiam cum uano illo honore contemnere, eremum constanter ingressus, breui tempore in omni genere uirtutum perfectus emicuit: potens ieiunijs, humilitate conspicuus, fide firmus, facilè se antiquis monachis studio uirtutis æquauerat: cum interim subijt eum cogitatio, iniecta per diabolum, quòd rectius esset ut rediret ad patriam filiumq; unicum ac domũ totam cum uxore saluaret: quod utiq; esset acceptius Deo, quàm si solum se seculo eripere contentus, salutem suorum non sine impietate negligeret. Istiusmodi ergo falsæ iustitiæ colore superatus post quadriennium ferè cellulam suam atq; propositum eremita deseruit. Sed ubi ad proximum monasterium, quod à multis fratribus habitabatur, accesit, causam discesionis atq; consilium quærentibus, confitetur. Renitentibus cunctis, & præcipuè loci illius abbate renitente, malè animæ fixa sententia non potuit auelli. Igitur infœlici se obstinatione proripiens, cum dolore omnium digressus à fratribus, uix è conspectu abbatis abscesserat, impletus à dæmone, cruentasq; spumas ore prouoluens, suis dentibus se ipse lacerabat. deinde ad idem monasterium fratrum humeris reportatus, cum coherceri in eo immundus spiritus non ualeret, necesitate cogente, ferreis nexibus alligatur, pedes cum manibus uinciunt. Nõ immerita pœna fugitiui ut quem non cohibuerat fides, cathenæ cohiberent. Post biennium demum oratione sanctorum ab immundo spirttu liberatus, ad eremum, unde discesserat, mox regressus. & ipse correptus & alijs pòst futurus exemplo, ne quem aut falsæ iustitiæ umbra decipiat, aut incerta mobilitas inutili leuitate compellat semel cœpta deserere

A pta deserere. Hæc uos de uirtutibus Domini, quæ in seruis suis uel imitāda operatus est, uel timenda, scire sufficiat.


EXPLICIT DE VIRTVTIBVS ANTIQVORVM PATRVM,
Sequitur rursum de sancto Martino.


Ed quia satisfeci uestris auribus, imò etiam uerbosior fui fortasse quàm debui, tu modò ad me ut loquebaris debitum fœnus exolue, ut te de Martino tuo, ut es solitus, plura referentem, iam pridem in hoc desiderijs meis æstuātibus audiamus. Quid, inquam, tibi de Martino meo? Liber ille non sufficit, quem ipse tu nosti, me de illius uirtutibus edidisse? Agnosco id quidē, Posthumianus inquit, neq; unquam à dextera mea liber ille discesit. nam si agnoscis (aperit librum, qui sub ueste latebat) En ipsum. hic mihi, inquit, terrę ac mari comes, hic in peregrinatione tota socius & consolator fuit. Sed referam tibi planè, quò liber iste penetrauerit: & quàm nullus ferè in orbe terrarum locus sit, ubi non materia tam facilis historiæ peruulgata teneatur. Primus eum Romanæ urbi, uir studiosissimus tui, Paulinus inuexit. deinde cum tota certatim urbe raperet̄, exultantes librarios uidi: quo nihil ab his quæstuosius haberetur: siquidem nihil illo promptius, nihil charius uenderetur. Hic nauigationis meæ cursus, longè antè progressus: cum ad Africam uenissem, iam per totam Carthaginem legebatur: solus eum Cyrenensis ille presbyter non habebat, sed me largiente descripsit. Nam quid ego de Alexandria loquar? ubi penè omnibus magis q̄ tibi notus est. hic Aegyptū, Nitriam, Thebaidam, ac tota Memphitica regna transiuit. hunc ego in eremo à quodam sene legi uidi, cui cum me familiarem B tuum esse dixissem, iam abituro à multis fratribus hæc mihi iniuncta legatio est, ut si unquam terras istas te incolumi contigissem, ea te supplere compellerem, quæ in illo tuo libro de uirtutib. beati uiri te professus es præterisse. Age ergo, quia non illa à te audire desidero quæ scripta fuerunt, illa quæ tunc uel propter legentium (ut credo) fastidium præteristi, multis id unà mecū à te poscentibus explicentur. Equidem, Posthumiane, inquam, cum te iamdudum de sanctorum uirtutibus intentus audirem, tacitus ad Martinum meum cogitationibus recurrebam, meritò perspiciens omnia illa quę singuli diuersi fecissent, per unum istum facile completa. Nam cum excelsa retuleris (quod mihi dixisse liceat pace sanctorum) nihil penitus à te audiui, in quo Martinus esset inferior. Sed sicut nullius unquam cum illius uiri meritis profiteor conferendam esse uirtutem: ita & illud animaduerti decet, inquam, illum cum eremitis, uel etiam Anachoretis conditione conferri. illi enim ab omni impedimento liberi, cœlo tantum, angelis atq; testibus planè admirabili docentur operari. Iste in medio cœtu & cōuersatione populorum inter clericos dissidentes, inter episcopos sæuientes, cum ferè quotidianis scandalis hinc atq; inde premeretur, inexpugnabili tamen aduersus omnia uirtute fundatus stetit: & tanta operatus est, quanta ne illi quidem, quos antè audiuimus, esse in eremo, uel fuisse, fecerunt. At si illi paria fecissent, quis iudex tam esset iniustus, ut non istum esse potiorem meritò iudicaret? Puta enim istum fuisse militem qui pugnauerit in iniquo loco, & tamen uictor euaserit: illos autem æquè compone militibus, sed qui ex æquo loco, aut etiā de superiore certauerint. Quid ergo? & si omnium una uictoria est, non potest par esse omnium gloria: tamē cum prçclara retuleris, à nemine retulisti mortuum suscitatum: quo uno utiq; te necesse est confiteri, Martino neminem conferendum. Nam si admirandū est, quòd illum Aegyptium flamma non attigit: hic quoq; sæpius imperauit incendijs. Si reuoluas, quod anachoretis feritas bestiarum uicta succubuit: hic familiariter & rabiem bestiarum, & serpentium uenena compescuit. Quod si illum conferas, qui immundos spiritibus obsessos uerbi imperio, ac etiā fimbriarum

briarum uirtute curabat: ne in hac quidem parte inferiorem fuisse Martinum, A
multa documento sunt. Si etiam ad illum recurras, qui setis suis pro ueste contectus, putabatur ab angelis uisitari: cum isto angeli quotidie loquebantur. Iam uerò aduersus uanitatem atque iactantiam ita inuictum spiritum gessit, ut illa uitia fortius nemo contempserit, cum quidem immundis spiritibus adflatos absens plerunque curauerit. Non solum comitibus, aut præfectis, sed ipsis etiam regibus imperaret. minimum id quidem in illis uirtutibus: sed credas uelim non solum uanitati, sed causis etiã atque occasionibus uanitatis, neminem fortius repugnasse. Parua quidem, sed non prætereunda dicturus sum: quia & ille laudandus est, qui summa præditus potestate, tam religiosam ad reuerentiam beati uiri ostenderit uoluntatem. Memini Vincentium præfectum, uirum egregium, & quo nullus sit intra Gallias omni uirtutum genere præstantior, dum Turonis præteriret, à Martino sæpius poposcisse, ut ei conuiuium in suo monasterio daret. In quo quidem exemplum beati Ambrosii episcopi præferebat. qui eo tempore Consules & Præfectos subinde pascere ferebatur: sed uirum altioris ingenij, ne qua ex hoc uanitas atque inflatio obreperet, noluisse. Ergo fatearis necesse est, in Martino omnium illorum quos enumerasti, fuisse uirtutes: Martini autem in illis omnibus non fuisse. Quid tu, inquit Posthumianus, ita mecum; quasi non eadem tecum sentiam semper, quæ senseris? Ego uerò quoadusque uiuam, semper & sapiam Aegypti monachos, & prædicabo: laudabo anachoretas, mirabor eremitas, Martinum semper excipiam: non illi ego quenquam audebo monachorum, certè non episcoporum quempiam comparare. Hoc Aegyptus fatetur, hoc Syria, hoc Aethiops comperit, hoc Indus audiuit, hoc Parthus & Persa nouerunt: nec ignorat Armenia, Bosphorus exclusa cognouit, & postremò si quis aut fortunatas B
Insulas, aut glacialem frequentat oceanum: quo miserior est regio ista nostra, quæ tantum uirum cum in proximo habuerit, nosse non meruit. Nec tamen huic crimini miscebo populares: soli illum clerici, soli nesciunt sacerdotes. nec immeritò. Nosse illum inuidi noluerunt: quia si uirtutes illius nossent, sua uitia cognouissent. Horreo dicere quod nuper audiui, infœlicem dixisse nescio quem, te in illo libro tuo plura mentitum. Non est hominis uox ista, sed diaboli: nec Martino in hac parte detrahitur, sed fidei euangelij derogatur. Nam cum Dominus ipse testatus sit istiusmodi opera, quæ Martinus impleuit, ab omnibus fidelibus esse facienda: qui Martinum non credit ista fecisse, non credit Christum ista dixisse. Sed infœlices, degeneres, somnolenti, quę ipsi facere non possunt, facta ab illo erubescunt: & malunt illius negare uirtutes, quàm suam inertiam confiteri. Verùm nobis ad alia properãtibus, omnis istorum memoria relinquatur: tu potius, ut iamdudum desidero, residua Martini opera contexe. At ego, inquam, arbitror rectius istud à Gallo esse poscendum, quippe qui plura nouerit. Neque enim ignorare poterant magistri facta discipuli: & qui non immeritò istam uicem non solum Martino, sed etiam nobis debeat, ut quia ego iam librum editum, ac tu hactenus orientalium gesta memorasti, iste demum necessarij sermonis historiam Gallus euoluat: quia ut dixi, & nobis debet loquendi uicem, & Martino suo credo pręstabit, ut non grauatè illius facta cõmemoret. Ego planè, inquit Gallus, licet impar sim tanto oneri, tamen relatis superius à Posthumiano obedientiæ cogor exemplis, ut munus istud quod imponitis, non recusem. Sed dum cogito me hominem Gallum inter Aquitanos uerba facturum, uereor ne offendat uestras nimium urbanas aures sermo rusticior. Audietis me tamen ut Gurdonicum hominem, nihil cum socco aut cothurno loquentem. Nam si mihi tribuitis Martini me esse discipulum: illud etiam cõcedite, ut mihi liceat exemplo illius inanes sermonum phaleras & uerborum ornamenta cõtemnere. Tu uerò,
inquit

A inquit Posthumianus, uel Celticè, aut si mauis Gallicè loquere, dũmodo iam Martinũ loquaris. Ego aũt profiteor, quia etiamsi mutus esses, nõ defutura tibi uerba, quibus Martinũ facundo ore loquereris: sicut Zachariæ in Ioannis nomine lingua resoluta est. Cęterùm cũ sis scholasticus, hoc ipsum quasi scholasticus artificiose facis, ut excuses imperitiã, quia exuperas eloquentia. sed neque monachũ tam astutum, neq; Gallum decet esse tam callidũ. Verùm aggredere potius, & quod remanet explica. nimium enim dudum alias res agentes consumimus tempus: & iam solis occidui umbra prolixior monet, non multum de uicina nocte superesse. Deinde cum paululum omnes cõticuissemus, Gallus ita cœpit: Cauendum mihi inprimis esse arbitror, ne ea de Martini uirtutib. repetam, quæ in libro suo Sulpitius iste memorauit. Vnde prima illius inter militandum gesta prætereo, quia neq; ea attingam, quę laicus egit, ac monachus: nec uerò audita ab alijs potius, quàm quæ uidi ipse, dicturus sum.

DIALOGVS SECVNDVS, EORVNDEM, DE VIRtutibus sancti Martini, Gallo narrante.



Vo primo igitur tẽpore relictis scholis, beato me uiro iunxi, paucos post dies euntem ad ecclesiam sequebar. Interim ei seminudus hybernis mensibus pauper occurrit, orans sibi uestimentum dari. Tunc ille, accersito archidiacono, iussit algentem sine dilatione uestiri. deinde secretarium ingressus, cum solus (ut erat illi consuetudo) resideret, (hanc enim sibi etiam in ecclesia solitudinem permissa clericis libertate præstabat) cum quidem in alio secretario presbyteri sederẽt, uel salutationib. uacantes, uel audiendis negotijs occupati, Martinũ uerò usq;
B in eam horam qua solennia populo agi cõsuetudo deposceret, sua solitudo cohibebat. Illud non præteribo, q; in secretario sedens, nunq; cathedra usus est. nam in ecclesia nemo unq; illum sedere conspexit: sicut quendã nuper testor Dominũ, nõ sine meo pudore uidi, sublimi solio quasi regio tribunali, celsa sede residentẽ. Sedebat autem Martinus in sellula rusticana, ut est in usibus seruulorum, quas nos rustici Galli tripetias, uos scholastici, ut certè tu qui de Græcia uenisti, tripodas nuncupatis. Ergo hoc secretũ beati uiri pauper ille captatũ, cum ei archidiaconus dare tunicam distulisset, irrupit, dissimulatũ se à clerico querens, algere deplorãs. Nec mora, sanctus paupere non uidente, intra amphibalũ sibi tunicã latenter eduxit, pauperemq; contectũ discedere iubet. Deinde paulopòst archidiaconus ingressus, admonet, pro cõsuetudine expectare in ecclesia populũ, illum ad agenda solennia debere procedere. Cui ille respondẽs ait, pauperẽ prius de se * aut dicebat oportere uestiri: se ad ecclesiã nõ posse procedere, nisi uestem pauper acciperet. Diaconus uerò nihil intelligens, quia extrinsecus indutũ amphibalo ueste, nudũ, interius nõ uidebat: postremò pauperẽ non cõparere causat. Mihi, inquit, uestis quę pręparata est, deferat: pauper nõ deerit uestiendus. Artatus demum clericus necessitate cõpulsus, iamq; felle cõmoto, è proximis tabernis † bigerrigã uestem, breuẽ atq; hispidã, quinq; comparatã argenteis, rapit, atq; ante Martini pedes iratus exponit. En, inquit, uestem, sed pauper hic non est. Ille nihil motus, iubet eum paululũ stare pro foribus, secretò utiq; procurans, dum sibi uestẽ nudus imponeret: totis uirib. elaborãs, ut posset occultũ esse quod fecerat. Sed quando in sanctis uiris latent ista, quęrentib. uelint nolint cuncta producunt. Cum hac igitur oblaturus sacrificiũ Deo ueste procedit. Quo quidem die (mira dicturus sum) cum iam altariũ, sicut est solenne, benediceret, globum ignis de capite illius emicare, ita ut in sublime cõtendens, longius collum crinemq; flãma produceret. Hoc licet celeberrimũ factum in magna populi multitudine uiderimus, una tantum de uirginibus, & unus de presbyteris, tres tantum uidere de monachis: cæteri cur nõ uiderint, non potest nostri esse iudicij. Per idem ferè tempus

† *uariegatã diuersis coloribus uestem sic uocant Galli.*

E

rè tempus, cum Euancius, auunculus meus, uir licet seculi negotijs occupatus, A tamen admodũ Christianus, grauissima ęgritudine extremo mortis periculo cœpisset urgeri, Martinũ aduocauit. Nec cunctatus ille properauit: prius tamen quàm medium uiæ spacium uir beatus euolueret, uirtutẽ aduenientis sensit ægrotus: receptaque continuò sanitate, uenientib. nobis obuiam ipse processit. Altera die redire cupientẽ, magna prece detinuit. Cum interim unum è familia puerum lethali ictu serpens perculit: quem iam exanimẽ iuuenem ipse Euancius suis humeris in latum ante pedes sancti uiri, nihil illi impossibile confisus, exposuit. iamque se malum serpentis per omnia membra diffuderat. Cerneres omnibus uenis inflatam cutem, & ad utris instar tensa uitalia. Martinus porrecta manu, uniuersa pueri membra pertractans, digitum prope ipsum uulnusculum quo bestia uirus infuderat, fixit. Tunc uerò (mira dicturus sum) uidimus uenenum ex omni parte reuocatum, ad Martini digitum cucurrisse. Deinde per illud uulneris foramen, exiguum ita uirus serpsisse cum sanguine, ut solet ex uberibus caprarum aut ouium, pastorum manu presis, longa linea copiosi lactis effluere. Puer surrexit incolumis, nos obstupefacti tanto rei miraculo, id quod ipsa cogebat ueritas, fatebamur, nõ esse sub cœlo qui Martinum posit imitari. Consequenti itidem tempore iter facientes, cum eodem diœceses uisitante agebamus: nobis ergo nescio qua necessitate remorantibus, aliquantulum ille processerat. Interim per aggerem publicum plena militantibus uiris fiscalis rheda ueniebat: sed ubi Martinum in ueste hispida, nigro & pendulo pallio circumtectũ, contigua de latere iumenta uiderunt, paululum in partem alteram pauefacta hæserunt. Deinde funibus implicatis, protentos illos, quibus, ut sæpe uidistis, misera illa animalia conglobantur, ordines miscuerunt: dumque ægrè expediuntur, moram fecere properantibus. qua B permoti iniuria milites, præcipitatis in terram saltibus se dederunt. Deinde Martinum flagris ac fustibus urgere cœperunt, cum quidem ille mutus & incredibili patientia præbens terga cædentibus, maiorem insaniam infelicibus commoueret, magis ex hoc furentes, quòd ille quasi non sentiens uerbera illata contemneret. Nos illico consequuti, fœdè cruentum, atque uniuersa corporis parte laniatũ, cum exanimis in terra procubuisset, inuenimus, statimque cum asello suo imposuimus, ac locum cædis illius execrantes, raptim abire properauimus. Interea illi regressi ad rhedam suam, furore satiati, agi quò ire cœperant iumenta præcipiunt. Quæ cum solo omnia fixa, ac si ænea signa riguissent, tollentibus altius uocem magistris, flagris hinc atque hinc resonantibus, nihil penitus mouebantur. Consurgunt deinde omnes pariter in uerbera, consumit galligas mularum pœnam mastigias. Tota rapitur sylua de proximo, trabibus iumenta tunduntur: sed nihil penitus sæuæ manus agebãt, uno atque eodem in loco stabant fixa simulacra. Quid agerent infelices homines nesciebant. Non iam ultrà dissimulare poterant, quin quamlibet brutis pectoribus agnoscerent diuino numine se teneri. Tandem uerò in se regressi, cœperunt quærere, quis ille esset quem in eodem loco antè paululum cæcidissent: cum percunctantes cognoscunt ex uiantibus, Martinum à se tam crudeliter uerberatum. Tunc uerò apparere omnibus causa manifesta, nec ignorare iam poterant quin nobilis uiri iniuria tenerentur. Igitur omnes rapidis nos passibus consequuntur, conscij ac meriti pudore confusi, flentes & puluere, quo se ipsi fœdauerant, caput atque ora cõspersi, ante Martini se genua prouoluunt, ueniam precantes, & ut eos abire sineret postulantes, satis se uel sola conscientia dedisse pœnarum: satisque intellexisse, quàm eosdem ipsos uiuos absorbere terra potuisset, uel ipsi potius amissis sensibus in immobilem saxorum naturam rigescere debuissent, sicut affixa locis quibus steterant iumenta uidissent, orare se atque obsecrare, ut indulgeret sceleri ueniam, & copiam præ-

staret

A ſtaret abeundi. Senſerat etiam, priuſquam adcurreret, uir beatus, illos teneri: nobiſq; id antè iam dixerat: ueniam tamen clementer indulſit, eoſdem abire permiſit, animalib. reſtitutis. Illud autem animaduerti ſæpe Sulpiti, Martinum tibi dicere ſolitum, nequaq; ſibi Epiſcopatū eam uirtutū gratiam ſuppetiſſe, quam prius ſe habuiſſe meminiſſet. quod ſi uerum eſt, imoq; uerū eſt, conijcere poſſumus, quanta fuerunt illa quæ monachus operatus eſt, & quæ teſte nullo ſolus exercuit, cum tanta illū in Epiſcopatu ſigna feciſſe, ſub oculis omnium uiderimus. Multa quidē illius geſta prius innotuere mundo, neq; potuere celari: ſed innumerabilia eſſe dicunt, quę dum iactantiā uitat, occultat, neq; in hominū notitiā paſſus eſt peruenire: quippe qui humanā ſubſtantiā ſupergreſſus, uirtutis ſuæ conſciētia mundi gloriam calcans, celans cœlo teſte frueretur. Quod uerum eſſe, uel ex his quæ comperta nobis ſunt, nec latére potuerunt, poſſumus æſtimare. ſiquidē ante Epiſcopatū duos mortuos uitæ reſtituerit, quod liber tuus plenius eſt elocutus: in Epiſcopatu uerò, quod prætermiſiſſe te miror, unum tantūmodo ſuſcitauerit. cuius rei ego teſtis ſum, ſi tamen nihil de minus idoneo teſte dubitatis. idipſum aūt uobis, qualiter geſtū ſit, explicabo. Fuerat cauſa neſcio quæ, qua Carnotū oppidū petebamus. interea dū uicum quendā habitantiū multitudine frequentiſſimū præterimus, obuiā nobis immanis turba proceſſit, quæ erat tota gentiliū. nam nemo in illo uico nouerat Chriſtianū. uerùm ad famam tanti uiri campos omnes latè patentes confluentiū multitudo cōtexerat. Senſit hic Martinus operandū, & annūciante ſibi ſpiritu totus infremuit: nec mortale ſonans uerbū Dei gentilib. prædicabat: ſæpius ingemiſcens, cur tanta Dominū Saluatorē turba neſciret. Interea ſicut nos incredibilis circūdederat multitudo, mulier quædā, cuius filius paulo antè

B defecerat corpus, exanimū beato uiro protenſis manib. cœpit offerre, dicens: Scimus quia amicus Dei es, reſtitue mihi filiū meū, quia unicus eſt mihi. iunxit ſe cętera multitudo, & matris precib. acclamat. Tunc Martinus, uidēs pro expectantiū ſalute, ut poſtea nobis ipſe dicebat, cōſequi ſe poſſe uirtutē, defuncti corpus proprijs manib. accepit: & cum, expectantib. cunctis, genua flexiſſet, ubi cōſummata oratione ſurrexit, uiuificatū paruulum matri reſtituit. Tūc uerò multitudo omnis in cœlum clamore ſublato, Chriſtū Dominū fateri: poſtremùm cuncti cateruatim ad genua beati uiri ruere cœperūt, fideliter poſtulantes, ut eos faceret Chriſtianos: nec cunctatus, in medio ut erat campo, cunctos impoſita uniuerſis manu catechumenos fecit, cum quidē ad nos conuerſus diceret, nō inrationabiliter in campo catechumenos fieri, ubi ſolent martyres cōſecrari. Viciſti, inquit Poſthumianus, Galle, uiciſti: nō utiq; me, qui Martini ſum potius adſertor, & qui hæc omnia de illo uiro & ſciui ſemper, & credidi: ſed eremitas omnes, anachoretaſq; uiciſti. Nemo enim illorum, ſicut Martinus hic ueſter, imò noſter, mortib. imperauit. meritoq; hunc iſte Sulpitius apoſtolis cōparat et prophetis: quē per omnia illis eſſe conſimilē, fidei uirtus, ac uirtutū opera teſtanī. Sed perge quęſo, quanq; nihil magnificentius audire poſsimus, perge tamen Galle, quod etiam nunc de Martino ſupereſt ſermonis euoluere. nam etiam minima illius, & cotidiana, animus feſtinat agnoſcere: quia minima illius, aliorū maximis maiora eſſe, nulli dubiū eſt. Ita faciam, Gallus inquit. Verùm id quod dicturus ſum, ipſe nō uidi: prius enim geſta res eſt, q̃ me illi uiro iungerē. Sed factum celebre eſt, fideliū fratrum, qui interfuerāt, ſermone uulgatū. Eodē ferè tempore, quo primùm epiſcopus datus eſt, fuit ei neceſsitas adire comitatū. Valētinianus tum maior rerū potiebaī. is cum Martinū ea petere cognouiſſet, quę pręſtare nolebat, iuſſit eum palatij foribus arceri. etenim ad animū illius immitē ac ſuperbū uxor aceſſerat Ariana, quæ totū illum à ſancto uiro, ne ei debitā reuerentiā pręſtaret, auerterat. Itaq; Martinus, ubi ſemel atq; iterū ſuperbū principē adire tentauit, recurrit ad no-

 ta præſi-

ta præsidia, cilicio obuoluitur, cinere conspergitur, cibo potuq; abstinet, orationibus diebus noctibusq; perpetuat. Septimo uerò die astitit ei angelus, iubet eum ad palatiũ ire securum, regias fores quãlibet clausas sponte reserãdas, imperatoris spiritũ superbum molliendum. Igitur istiusmodi præsentis angeli confirmatus alloquio, & fretus auxilio, palatium petit. Patent limina, nullus obsistit, postremò usq; ad regem nemine prohibente peruenit. Qui cum uenientem eminus uideret, infrendens, cur fuisset admissus? nequaq; assurgere est dignatus astanti, donec regiam sellã ignis operiret, ipsumq; regem ea parte corporis qua sedebat, adflaret incendium. Ita solio suo superbus excutitur, & Martino inuitus assurgit: multumq; complexus, quem spernere antè decreuerat, uirtutẽ se sensisse diuinam emendatior fatebat: nec expectatis Martini precibus, prius omnia præstitit, q̃ rogaretur. Colloquio illum atq; conuiuio frequenter adsciuit: postremò abeunti multa munera obtulit, quæ uir beatus, ut semper paupertatis suæ custos cuncta reiecit. Et quia palatiũ semel ingressi sumus, licet diuersis in palatio temporibus gesta cõnectam. Nequaq; enim prętermittendũ uidetur, circa Martini admirationẽ, reginę fidelis exemplum.

Maximus imperator remp. gubernabat, uir omni uita meritò prædicandus, si ei uel diadema nõ legitimè, tumultuãte milite impositum repudiare, uel armis ciuilibus abstinere licuisset. sed magnum imperiũ nec sine periculo renui, nec sine armis potuit teneri. Hic Martinũ sæpius euocatum, receptumq; intra palatium, uenerabiliter honorabat: totus illi cũ eo sermo de præsentibus, de futuris, de fideliũ gloria, de æternitate sanctorũ. cum interim diebus ac noctib. de ore Martini regina pendebat, euangelico illi nõ inferior exẽplo, pedes sancti fletu rigabat, crine tergebat. Martinus, quem nulla unq; fœmina contigisset, istius assiduitatẽ, imò potius seruitutẽ non poterat euadere. non illa opes regni, non imperij dignitatem, non diadema, non purpurã cogitabat: diuelli à Martini pedibus solo strata, nõ poterat. postremò à uiro suo poposcit, deinde Martinũ uterq; cõpellunt, ut ei remotis omnib. ministris, pręberet sola cõuiuium. nec potuit uir beatus obstinatius reluctari. Cõponit castus reginę manib. apparatus: sellulã ipsa cõsternit, mensam admouet, aquã manib. subministrat: cibũ, quẽ ipsa coxerat, apponit. ipsa, illo sedẽte, eminus secundũ famulantiũ disciplinã solo fixa cõsistit immobilis, per omnia ministrantis modestiã, & humilitatẽ exhibẽs seruientis, miscuit ipsa bibituro, & ipsa porrexit. Finita cœnula, fragmẽta panis assumpti, micasq; collegit, satis fideliter illas reliquias imperialibus epulis anteponẽs. Beata mulier, tantę pietatis affectu illi meritò cõparanda quę uenit à finib. terrę, audire Solomonẽ, siquidẽ simplicẽ sequamur historiam: sed fides reginarũ est cõferenda, quod mihi liceat separata mysterij maiestate dixisse. Illa expetijt sapientẽ: ista non tantũ audisse cõtenta, sed & meruit seruire sapiẽti. Ad hęc Posthumianus: Iamdudũ, inquit, Galle audiẽs te loquẽtem, uehemẽter admiror reginæ fidẽ: sed illud ubi est, q̃ nulla unquam fœmina ferebatur propius assistere Martino? Ecce ista regina non solum astitit, sed etiam ministrauit. Et uereor, ne isto aliquantulũ se tueantur exemplo, qui libenter fœminis inserunt. Tunc Gallus: Quid tu, inquit, nõ uides quod solent docere grãmatici, locum, tempus, personam? Prope'ne enim tibi, ante oculos captum in palatiũ Imperatoris precib. ambire, & reginæ fide cogi, tẽporis necessitate constringi, ut clausos carcere liberaret, exilijs datos restitueret? Hæc quanti putes constare episcopo debuisse, ut pro his omnibus nõ aliquantulum de rigore propositi relaxaret? Veruntamen quia occasione huius exempli malè usuros esse aliquos arbitraris, illi uerò felices erũt, si à disciplina exẽpli istius uiri non recedãt. Videãt enim, quia Martino semel tantũ in uita, iam ipso sancto septuagenario, nõ uidua libera, nõ uirgo lasciuiẽs, sed sub uiro uiuẽs, ipso uiro pariter supplicante, regina seruiuit & ministrauit. Hæc edenti, non cum

epulante

A epulante discubuit: nec causa participare conuiuio, sed deferebat obsequium. Disce igitur disciplinam: seruiat tibi matrona, non imperet: & seruiat, non recumbat: sicut Martha illa ministrauit Domino, nec tamen est ascita conuiuio: imò prælata est ministranti, quæ uerbum potius audiebat. Sed in Martino ista regina utrunque compleuit: & ministrauit, ut Martha: & audiuit, ut Maria. Quòd si quis uti uoluerit exemplo, per omnia teneat exemplũ: talis causa sit, talisque persona, tale obsequium, tale conuiuium, & in omni uita semel tãtum. Præclarè, inquit Posthumianus, nostros istos, ut Martini non egrediantur exemplum, tua constringit oratio: sed profiteor tibi, quia hæc surdis auribus audientur. Nam si Martini sequeremur uias, nunquam causas de osculo diceremus, & uniuersis obscœnæ opinionis opprobrijs careremus. Verùm sicut tu soles dicere, cum edacitatis argueris, Galli sumus: ita nos in hac parte nunquam uel Martini exemplo, uel tuis disputationibus corrigendos fatemur. Veruntamen hæc nobis iamdudum agentibus, quid tu tam obstinatè Sulpiti taces? Ego, inquit, nõ solum modò taceo, sed olim de istis tacere disposui. Nam quia quandam uiduam uagam, nitidulam, sumptuosam obiurgauerim, lasciuius uictitantem: itidemque uirginem adolescenti cuidam mihi charo indecentius adhærentem, cum quidem ipsam frequenter audissem, alios etiam qui talia agerent increpantem: tanta mihi omnium fœminarũ, cunctorum monachorum odia concitaui, ut aduersus me utræque legiones iurata bella susciperent. Vnde quæso taceatis, ne etiam hoc quod uos loquimini, ad meam referatur inuidiam: tota uobis istorum mentio relinquatur: ad Martinum potius reuertamur. Tu Galle, ut aggressus es, cœptũ opus explica. Tunc ille: Iam quidem uobis, inquit, tanta narraui, ut satisfacere studijs uestris meus sermo debuerit:
B sed quia uoluntati uestræ non obsecũdare mihi non licet, quantum adhuc diei superest, loquar. Nam certè dum stramẽ illud quod in lectos nostros paratur, aspicio, subuenit in memoriam etiam de stramine in quo Martinus iacuerat, factam esse uirtutem. Res ita gesta est. Gaudiomacus uicus est in confinio Bituricum atque Tironorum, ecclesia ibi est celebris religione sanctorum, nec minus gloriosa sacrarum uirginum multitudine. præteriens ergo Martinus, in secretario ecclesiæ habuit mansionem. Post discessum illius, cunctæ in secretarium illud uirgines irruerunt, adlambunt singula loca, ubi aut sederat uir beatus, aut steterat. stramentum etiam in quo quieuerat, partiuntur. Vna earum post dies paucos partem straminis, quam sibi pro benedictione collegerat, inenergumino, quem spiritus erroris agitabat, de ceruice suspendit. Nec mora, dicto citius eiecto dæmone, persona purgata est. Per idem ferè tempus reuertente Martino à Treueris, fit obuia uacca, quam dæmon agitabat: quæ relicto gressu suo, in homines ferebatur, & iam multos noxiè petula confoderat. uerùm ubi nobis cœpit esse contigua, hi qui eam eminus sequebantur, prædicere magna uoce cœperunt, ut caueremus. Sed postquam ad nos toruis furibũda luminibus propius accessit, Martinus eleuata obuiam manu, pecudem consistere iubet. quæ mox ad uerbum illius stare cœpit immobilis. Cum interea uidet Martinus, dorso illius dæmonem supersedentem, quem increpans: Discede, inquit, funeste, de pecude, & innoxiũ animal agitare desiste. Paruit nequam spiritus, & recessit. Nec defuit sensus in bucula, quin se intelligeret liberatam, ante pedes sancti recepta quiete prosternitur: deinde iubente Martino, gregem suum petit, seque agmini cæterarum oue placidior immiscuit. Hoc illud fuit tempus, quo inter medias flammas positus, nõ sensit incendiũ. quod mihi non arbitror esse referendum, quia hoc plenius iste Sulpitius, licet in libro suo præteritum, in epistola tamẽ postea, quam ad Eusebium, tunc presbyterum, modò episcopum, fecit, exposuit: quam tu Posthumiane, ut credo, legisti: aut si incognita tibi est, cum libuerit, in promptu ex illo armario habes. nos

ab illo omissa referimus. Quodam autem tempore, dum diœceses circumiret, uenantium agmen incurrimus. Canes leporem sequebantur, iamque multo spacio uicta bestiola, cum undique cāpis latè patentibus nullū esset effugium, mortem imminentem iam iamque capienda crebris flexibus differebat. cuius periculum uir beatus pia mente miseratus, imperat canibus ut desisterent sequi, & sinerent abire fugiētem. qui continuò ad primum sermonis imperium constiterunt. Crederes uinctos, imò potius affixos in suis hærere uestigijs: ita lepusculus persequutoribus alligatis, incolumis euasit. Operæprecium autem est etiam familiaria illius uerba, spiritali sale condita memorare. Ouem recens tonsam fortè conspexerat: Euangelicum, inquit, mandatum ista compleuit. duas habuit tunicas, unam earum largita est non habēti. ita ergo & uos facere debetis. Item cum subulcum algētem, ac penè nudum in pellicea ueste uidisset, En, inquit, Adam eiectus de paradiso, in ueste pellicea sues pascit: sed nos illo uetere deposito, qui adhuc in isto manet, nouum Adam potius induamus. Boues ex parte prata depauerant, porci etiam nonnulla suffoderant: pars cætera quæ manebat illæsa, diuersis floribus quasi picta uernabat. Speciem, inquit, gerit pars illa coniugij, quæ pecore depasta, & si non penitus gratiam amisit herbarum, nullā tamen florum retinet dignitatem: illa uerò quam porci, pecora immunda, foderunt, fornicationis imaginem fœdam prætendit: cæterùm illa portio quæ nullam sensit iniuriam, gloriam uirginitatis ostendit, herbis fœcūda luxuriat, fœni in ea fructus exuberat, & ultra omnem speciem distincta floribus, quasi gēmis micantibus ornata radiat. Beata species & Deo digna: nihil enim uirginitati est comparandum. Ita & illi qui coniugia fornicationi comparant, uehementer errant: & illi qui coniugia uirginitati ęquanda æstimant, miseri penitus & stulti sunt. Verùm hæc à sapientibus tenenda distinctio est, ut coniugium pertineat ad ueniam, uirginitas spectat ad gloriam: fornicatio deputetur ad pœnam, nisi satisfactione purgetur. Miles quidam cingulum in ecclesia, monachum professus, abiecerat: cellulam sibi eminus in remoto, quasi eremita uicturus, erexerat: interea astutus inimicus uarijs cogitationibus brutum pectus agitabat: & cōiugem suam, quam Martinus in monasterio puellarum esse præceperat, uoluntate mutata secum potius uellet habitare. Adijt ergo Martinum fortis eremita, quid haberet animi confitetur: ille uerò uehementer abnuere, fœminam uiro rursus, iam monacho, non meritò incongrua ratione misceri. postremò cum miles instaret, affirmās nihil hoc proposito esse nociturum, se solo coniugis uti uelle solatio: porrò, ne rursus se in sua reuoluerent, non esse metuēdum: se esse militem Christi, illam quoque in eadem militiæ sacramenta iurasse: pateretur episcopus sanctus, & sexum fidei meritò nescientes pariter militare. tunc Martinus: Verba uobis ipsa dicturus sum. dic mihi, inquit, si unquam in bello fuisti, si in acie cōstitisti? At ille respondens: Frequenter, inquit, in acie steti, & bello frequēter interfui. Ad hæc Martinus: Dic mihi ergo, nunquid & in illa acie quæ armata in prælio parabatur, aut iam aduersus hostilem exercitum collocato cominus pede, districto ense pugnabas, ullam fœminam stare aut pugnare uidisti? Tunc demum miles confusus erubuit, gratias agens, errori suo se non fuisse permissum: nec aspera increpatione uerborum, sed uera & rationabili secūdum personam militis comparatione correctum. Martinus autem conuersus ad nos, sicut eum frequens fratrum turba uallauerat: Mulier, inquit, uirorum castra non adeat, acies militum separata consistat, procul fœmina in suo degens tabernaculo sit remota. contemptibilem enim reddit exercitum, si uirorum cohortibus turba fœminea misceatur. Miles in acie, miles pugnet in cāpo: mulier se intra murorum munimenta contineat. habet & illa gloriam suam, si pudicitiam uiro absente seruauerit: cuius hæc prima uirtus, & consummata uictoria est, non uideri.

Illud

A Illud uerò Sulpiti, meminisse te credo, quo affectu nobiscum & tu coràm adesses, illam uirginem prædicari, quæ ita se penitus ab omnium uirorum oculis remouisset, ut ne ipsum quidem ad se Martinum, cum eam ille officij causa uisitare uellet, admiserit. Nam cum præter agellum illius præteriret, in quo se iam antè complures annos pudica cohibebat, audita fide illius, atque uirtute, diuertit, ut tam illustris meriti puellã religioso officio episcopus honoraret. Nos consequentes, gauisuram illam uirginem putabamus: siquidem hęc in testimonium uirtutis suæ esset habitura, ad quam tãti nominis sacerdos, deposito propositi rigore uenisset. Verùm illa fortissimi uincula propositi, ne Martini quidem contemplatione laxauit. Ita uir beatus accepta per aliam fœminam excusatione laudabili, ab illius foribus, quæ uidendam se salutandamque non dederat, lętus abscessit. O uirginem gloriosam, quæ ne à Martino quidem passa est se uideri. ô Martinum beatum, qui illam repulsam non ad contumeliam suam duxit: sed magnificans illius cum exultatione uirtutem, inusitatum in his duntaxat regionibus gaudebat exemplum. Ergo cum haud lõgè ab illa uillula nos manere nox imminens coegisset, xenium beato uiro eadem illa uirgo transmisit: fecitque Martinus quod antea non fecerat: nullius enim ille unquam xenium, nullius munus accepit. nihil uerò ex his quæ uirgo uenerabilis miserat refutauit, dicens, benedictionem illius à sacerdote minimè respuendam, quæ esset multis sacerdotibus præferenda. Audiant quęso uirgines istud exẽplum, ut fores suas, si eas mali obsidere uoluerint, etiam bonis claudant: & ne ad se improbis sit liber accessus, non uereantur excludere etiam sacerdotes. Totus hæc mundus audiat: uideri se à Martino uirgo nõ passa est, nõ utique illa quemcunque à se repulit sacerdotẽ: sed in eius uiri conspectum puella nõ uenit, quem
B uidere salus uidentium fuit. Quis autem hoc alius pręter Martinum sacerdos, non ad suam iniuriã retulisset? quos aduersum sanctã uirginem motus, quantasque iras mente concepisset? hæreticam iudicasset, & anathema esse decreuisset. Quam uerò illi beatæ animæ illas uirgines prætulisset, quæ crebris occursibus ubique se præbent obuias sacerdoti, quæ conuiuia sumptuosa disponunt, quæ unà pariter accumbunt. Sed quò me ducit oratio? paululum iste liberior sermo reprimendus est, ne in aliquorum forsitan incurrat offensam. Etenim infidelibus obiurgationis uerba non proderunt, fidelibus autem satisfaciet exemplum. uerùm ego ita uirtutem huius uirginis prædicabo, ut tamen nihil illis quę ad Martinum uidendum ex longinquis regionib. sæpe uenerunt, arbitrer derogandum: siquidem hoc beatum uirum frequenter affectu etiam angeli frequentarint. Cæterum id quod dicturus sum Sulpiti, hoc te (me autem intuebatur) teste rectè perhibeo. Quadam die, ego & iste Sulpitius pro foribus illius accubãtes, iam per aliquot horas cum silentio sedebamus, ingenti horrore & tremore, ac si ante angeli tabernaculum manentes, excubias duceremus: cum ipse quidem clauso cellulæ suo ostio, nos ibi esse nesciret. Interim colloquentium murmur audiuimus, & mox horrore quodam circumfundimur, ac obstupescentes nec ignorare potuimus, nescio quid fuisse diuinum. Post duas ferè horas ad nos Martinus egreditur, ac tunc eum iste Sulpitius (sicut apud eum nemo familiarius loquebatur) cœpit orare, ut perquirentibus indicaret, quid illud diuini fuisset horroris, quod fatebamur nos ambo sensisse, uel cum quibus fuisset in cellula collocutus? Tenuem enim nos licet, & uix intellectum sermocinãtium sonum pro foribus audisse. Tunc ille diu multumque cunctatus, sed nihil erat quod ei Sulpitius non extorqueret inuito, incredibiliora fortè dicturus sum, sed Christo teste non mentior: nisi quisquam est tam sacrilegus, ut Martinum æstimet fuisse mẽtitum. Dicam, inquit, uobis, sed uos quęso nulli dicatis: Agnes, Thecla, & Maria mecum fuerunt, referebat autem nobis uultũm atque habitum singularũ. Nec uerò illo tãtum die, sed frequenter

se ab eis

se ab eis confessus est uisitari: Petrum etiam & Paulum apostolum uideri à se A sæpius, nõ negauit. Iam uerò dæmones, prout ad eum quisquam uenisset, suis nominibus increpabat. Mercurium maximè patiebatur infestum: Iouem, brutum atq; hebetem esse dicebat. Hæc plerisq; in eodem etiam monasterio constitutis incredibilia uidebãtur: necdum ego confidã omnes, qui hæc audient, credituros. Nam nisi inæstimabilem uitam atq; uirtutem Martinus egisset, nequaquam apud nos tanta gloria præditus haberetur: quanquam minimè mirum, si in operibus Martini infirmitas humana dubitauerit: cum multos hodieq; uideamus, nec Euangelijs quidem credidisse. A Martino autem sæpe angelos uisos familiariter, & sensimus, & experti sumus. Rem minimam dicturus sum, sed tamen dicam. Apud Nemausum episcoporum synodus habebatur, ad quam quidem ire noluerat: sed quid gestum esset, scire cupiebat. Casu cum eò iste Sulpitius nauigabat: sed procùl, ut semper, à cæteris in remota nauis parte residebat. Ibi ei angelus, quid gestũ esset in synodo, nũciauit. Nos postea tempus habiti concilij solicitè requirentes, satis compertum habuimus, ipsum diem fuisse conuentus, & ea ibi ab episcopis fuisse decreta, quæ Martino angelus nunciauit. Hæc cum maximè Gallus, nec dum explicitis quæ statuerat referre, loqueretur, puer familiaris ingressus est, nuncians, Refrigerium presbyterũ stare pro foribus. Dubitare cœpimus, utrum Gallum adhuc esset melius audire: an exoptatissimo nobis uiro, qui officij causa ad nos ueniebat, occurrere. Tunc Gallus, Etiamsi non ob aduentum sanctissimi sacerdotis relinquenda nobis hæc esset oratio, nox ipsa cogebat, hucusq; pertractum finire sermonem. Verùm quia de Martini uirtutibus nequaquam explicari uniuersa potuerunt, hæc uos hodie audisse sufficiat, cras reliqua dicemus. Ita B pariter accepta hac Galli sponsione, surreximus.

DIALOGVS TERTIVS, ADHVC
Gallo narrante.



Vcescit ô Galle, surgendum est. nam ut uides, & Posthumianus instat, & hic presbyter, qui hesterno auditorio admissus expectat, ut quæ de Martino nostro in hodiernum diem explicanda distuleras, debitor sponsionis euoluas. Non ignarus quidem iste omnium quæcunq; memoranda sunt, sed dulcis & grata cognitio est etiam notare legenti, siquidem natura ita comparatum sit, ut meliore quis conscientia se nosse congaudeat, quæ multorum testimonijs non esse incerta cognoscat. Nam & hic à prima adolescentia Martinũ secutus, nouit quidem omnia, sed libenter cognita recognoscit. fateor enim tibi Galle, Martini mihi sæpius auditas esse uirtutes: quippe qui de eo etiam literis multa mandauerim, sed per gestorum admirationẽ semper mihi noua sunt, quæ de illo licet audita sæpius reuoluunt. proinde additũ nobis Refrigerium auditorẽ eo impensius gratulamur, quo promptius Posthumianus iste, qui hæc Orienti inferre festinat, quasi sub testibus consignatam abs te accepturus est ueritatem. Hęc me loquente, Gallo iam ad narrandum parato, irruit turba monachorum: Euagrius presbyter, Aper, Sebastianus, Agricola. & pòst paululũ ingreditur presbyter noster Etherius, cum Calypione diacono, & Amatore subdiacono. Posterius Aurelius presbyter dulcissimus, magis longiore uia ueniens, anhelus cucurrit. Quid uos inquam, tam subitò & insperati, tam ex diuersis regionibus, tam manè concurritis? Nos, inquiunt, hesterno cognouimus, Gallum istum per totã diem, Martini narrasse uirtutes: & reliqua in hodiernum diem quia nox oppresserat, distulisse: propterea maturauimus frequẽs auditorium facere, tantã materiam locuturo. Interea nunciatur, multos seculariũ stare pro foribus, nec ingredi audentes, sed ut admitterent orantes. Tunc Aper: Nequaquam istos, inquit, nobis admisceri conuenit, quia ad audiendum curiositate potius

A potius quàm religione uenerunt. Confusus ergo illorum uice, quos nō admit tendos esse censebat: ægrè tandem obtinui, ut Eucheriū ex uicarijs, & Celsum admitterem consularem: cęteri sunt repulsi. Tunc Gallum media in sede com ponimus. qui cum diu nobili sua uerecūdia silentium tenuisset, tandem ita exorsus est. Conuenistis, inquit, ad me audiendū, & sancti & diserti, sed religio sas potius, quàm doctas aures, uti arbitror, attulistis, audituri me, fide teste, nō orationis copia locuturū. Quæ autem hesterno dicta sunt, non reuoluam: illa qui non audierunt, ex scriptis recognoscent. Noua Posthumianus expectat, nunciaturus Orienti, ne se in cōparatione Martini pręferat Occidenti. ac primùm gestit animus, quod Refrigerius in aurem suggerit, explicari. Res in Carnotena gesta est ciuitate. Pater filiā duodecennē ab utero mutā puellam, Martino cœpit offerre, poscēs, ut linguā ligatā meritis suis sanctus absolueret. Ille cedens episcopis, qui tum fortè latus illius ambiebant, Valentiniano atq; Victricio: imparem se esse tantæ moli, sed illis quasi sanctioribus nihil imposси bile fatebatur. At illi pias preces unà cum patre supplici uoce iungentes, orare Martinum, ut sperata præstaret: nec cunctatus ultrà, utrumq; præclarū, & ostendendo humilitatem, nec differendo pietatem, iubet circumstantis populi multitudines submoueri: episcopis tantum & puellæ patre assistentibus, in oratione suo illo more prosternitur. Deinde pusillum olei cum exorcismi pręfatione benedicit, atq; ita in os puellæ sanctificatū liquorem, cum & linguam illius digitis teneret, infudit. Nec fefellit sanctum uirtutis euentus. Patris nomen interrogat: mox illa respondit. proclamat pater cum gaudio pariter & lachrymis, Martini genua cōplexus, & hanc primam se filiæ audisse uocem cun

B ctis stupentibus fatebatur. Ac ne cuiquam id incredibile fortè uideatur, perhibebat nobis pręsens Euagrius testimoniū ueritatis. nam res ipso pręsente tunc gesta est. Parum illud est quod nuper Harpagio presbytero referente cognoui. sed non prætermittendū uidetur, Auiciani comitis uxorem misisse oleum, quod ad diuersas morborū causas necessarium (sicut est consuetudo) benediceret: ampullam uitream istiusmodi fuisse, ut rotunda in uentrem cresceret, ore producto, sed omnis extantis concauū non repletū, quia id moris sit uascula complere, ut pars umbonibus obstruendis libera relinquatur. Testabatur presbyter, uidisse se oleum sub Martini benedictione creuisse, quod ab exundante copia supernè deflueret: eandemq;, dum ad matremfamiliâs uasculum referret, seruasse uirtutem. Nam intra manus pueri portantis ita semper exundasse oleum, ut omne illius uestimentū copia superfusi liquoris operiret, matronam ita usq; ad summū labrum plenum uasculū recepisse, ut perhibeat, hodieq; fateatur, obdendi pessuli, quo claudi diligentius seruanda cōsueuerunt, in uitro illo spacium non fuisse. Mirum & illud quod huic (me autem intuebatur) memini cōtigisse. Vas uitreum cum oleo, quod Martinus benedixerat in fenestra paululum editiore deposuit: puer familiaris incautior linteum superpositum, ampullam ubi esset ignarus, attraxit: uas super constratum marmore pauimentum decidit, cunctis metu exterritis, ne benedictio deperisset, ampulla perinde incolumis est reperta, ac si super plumas mollissimas decidisset. Quæ res non potius ad casum, quàm ad Martini est referēda uirtutē, cuius benedictio perire non potuit. Quid illud, quod factum est à quodam, cuius nomen quia præsens est, & prodisse uetuit, supprimetur: cui quidem tempori hic etiam Saturninus interfuit. Canis nobis importunior oblatrabat. In nomine, inquit, Martini iubeo te obmutescere. cani adhæsit latratus in gutture, linguam ut abscissam putares: obmutuit. ita parum est, ipsum Martinū fecisse uirtutes. Credite mihi, quia etiam alij in nomine eius multa fecerunt. Auiciani quondam comitis noueratis barbaram nimis, & ultra omnes cruentam feritatem, hic rapido spiritu ingressus Turonum ciuitatē, sequentibus eum mi-

F serabili

ferabili facie ordinibus catenatis, diuersa perdendis pacari iubet genera pœnarum, disponens postera die attonita ciuitate ad opus tam triste procedere. Quod ubi Martino compertum est, solus paulo ante mediam noctem ad prętorium bestiæ illius tendit. Sed cum profundæ noctis silentio quiescentib. cunctis, nulli foribus obseratis pateret ingressus, ante limina cruenta prosternitur: interea Auicianus graui somno sepultus, angelo ingruente percellitur. Seruus, inquit, Dei ad tua limina iacet, & tu quiescis? Qua ille uoce percepta, lecto suo turbatus excutitur: conuocatisq; seruis trepidus exclamat, Martinum esse pro foribus irent protinus, claustra reserarent, ne Dei seruus pateretur iniuriam. Sed illi, ut est omnium natura seruorum, uix prima limina egressi, irridentes dominum suum, quòd somno fuisset illusus, negant quenquã esse pro foribus: ex suomet ingenio cõiectantes, neminẽ nocte posse uigilare: nedum illi crederent, in illo noctis horrore iacere ante aliena limina sacerdotem: idq; Auicianus facile persuasus, rursum soluitur in soporem. Sed mox ui maiore concussus, exclamat Martinum stare pro foribus, sibi ideo nullam quietem animi corporisq; permitti. Tardantib. seruis, ipse usq; ad limina exteriora progreditur, ibi Martinum ut senserat deprehendit. Perculsus miser tantæ manifestatione uirtutis: Quid, inquit, mihi hęc domine fecisti? nihil loqui te necesse est, scio quid desideres, uideo quid requiras: discede quantocyus ne me ob iniuriam tuam cœlestis ira consumat: satis soluerim hucusq; pœnarum. Crede, quia nõ leuiter apud me actum est, ut ipse procederem. Post discessum autem sancti, aduocat officiales suos, iubet omnes custodias relaxari, & mox ipse proficiscit: ita fugato Auiciano, lætata est ciuitas, & liberata. Hęc cùm multis Auiciano referente cõperta sunt: tum nuper Refrigerius presbyter, quem coràm uidetis, ab Agarido fideli uiro, ex tribunis, sub inuocatione diuinæ maiestatis audiuit, qui sibi hoc ex ipso Auiciano relatum esse iurabat. Cæterùm nolo mi remini, me hodie facere, quod hesterno non feci, ut ad singulas quasq; uirtutes nomina testium personasq; subnectã: ad quas si fuerit incredulus, quia adhuc in corpore sunt, recurrat. Exigit id infidelitas plurimorũ, qui in aliquib. quę hesterno memorata sunt, nutare dicunt. Accipiant ergo testes adhuc incolumes atq; uiuentes, quibus quia de fide nostra dubitãt, magis credãt. Sed si adeò infideles sunt, profiteor quia nec illis sunt credituri: miror autẽ quenq;, qui uel tenuem sensum religionis habeat, tantum piaculi uelle cõmittere, ut putet quenquam de Martino posse mentiri. Facessat à quoquã, qui sub Deo uiuit, ista suspicio. neq; enim Martinus hoc indiget, ut mendacijs asserat: sed tamen totius sermonis fidem apud te Christe depromimus, nos nec alia dixisse, nec alia dicturos, quàm quę & ipsi uidimus, & quæ manifestis autoribus, uel plerunq; ipso referente, cognouimus. Cęterùm etsi dialogi speciem, quoad releuandũ fastidium lectio uariaret, assumpsimus, nos piè pręstare profitemur historiæ ueritatẽ. Hęc me extrinsecus inserere, nonnullorũ incredulitas, nõ sine meo dolore cõpulerit. Sed redeat ad nostrum sermo consensum, in quo cum me tam studiose audiri uideam, fateor necesse est Aprum fecisse cõstanter, qui repulit infideles: eos tantum iudicans audire debere, qui crederent. Efferor siquidem prẹditus spiritu, & præ dolore totus insanio. nõ credent Martini uirtutib. Christiani, quas dęmones fatebant: monasteriũ beati uiri duob. à ciuitate erat milibus disparatũ: sed si quotiens uenturus ad ecclesiã, pedem extra cellulæ suæ limen extulerat, uideres per totã ecclesiã inergumenos rugientes, & quasi aduenie nte iudice agmina damnãda trepidare, ut aduentum episcopi clericis, qui uenturũ esse nescirent, dæmoniorũ gemitus indicaret. Vidi quendã appropiante Martino in aera raptum, manib. extensis in sublime suspẽdi, ut nequaq; solum pedib. attingeret. Si quando aũt exorcizandorũ dęmonũ Martinus operam recepisset, neminẽ manib. attrectabat, neminẽ sermonib. increpabat, sicut

A sicut plerunque per clericos rotatur turbo uerborum: sed admotis inergumenis, cęteros iubebat abscedere, ac forib. obseratis in medio ecclesiæ cilicio circumtectus, cinere respersus, solo stratus orabat. Tunc uerò cerneres miseros diuerso exitu perurgeri, hos sublatis in sublime pedibus quasi de nube pendere, ne tamen uestis deflueret super faciem, ne faceret uerecundiam nudata pars corporum. At in parte alia uideres sine interrogatione uexatos, & sua crimina confitentes: nomina etiam nullo interrogante prodebant. ille se Iouem, iste Mercurium fatebatur. Postremò cunctos diaboli ministros cum ipso cerneres autore cruciari. ut iam in Martino illud fateamur impletum, quod scriptum est: Quoniã sancti de angelis iudicabunt. Pagum quendam in Senonico annis singulis grando uastabat. cõpulsi extemis malis incolę à Martino auxiliũ poposcerunt, missa per Auspiciũ prefectoriũ uirum satis fida legatione, cuius agros specialiter grauior q̃ cæterorum adsueuerat procella populari. Sed facta ibi oratione, Martinus ita uniuersam penitus liberauit ab ingruenti peste regionem, ut per triginta annos, quibus postea mansit in corpore, grandinẽ in illis locis nemo pertulerit. Quod ne fortuitũ esse, & non potius Martino prestitum putaret, eo anno quo ille defunctus est, rursus incubuit rediuiua tẽpestas. adeò sensit & mundus uiri fidelis excessum, ut cuius uita iure gaudebat, etiam eiusdem mortem lugeret. Cæterùm si ad hæc probanda, quæ diximus, testes infirmior auditor exegerit, non unũ ego hominẽ, sed multa milia producã, & totam in testimoniũ uirtutis ex parte Senonũ aduocabo regionẽ. Et tamen tu Refrigeri presbyter, credo meministi, nuper nobis super hoc cum Romulo Auspicij illius filio, honorato & religioso uiro, fuisse sermonẽ: qui hæc nobis tanquam incomperta referebat, & cum futuris prouentib. per assidua damna
B trepidaret, ut ipse uidisti, magno secum mœrore lugebat, Martinũ nõ in hæc tempora reseruatum. Sed ut ad Auicianũ recurram, qui cum in omnib. locis cunctisque urbibus ederet crudelitatis suę infanda monimẽta, Turonis tantum innocens erat. Et illa bestia, quæ humano sanguine, & infeliciũ morte alebatur, mitem se atque tranquillũ beato uiro præsente præstabat. Memini quodã die ad eum uenisse Martinum, qui ubi secretarium eius ingressus est, uidit post tergum ipsius dæmonem miræ magnitudinis assidentem, quem eminus ut uerbo (quia necesse est) parum Latinè loquamur, exufflans, Auicianus se exufflari existimans, Quid me (inquit) sancte sic aspicis? Tunc Martinus: Non te, inquit, sed eum qui ceruici tuæ teter incubuit. Ita recessit diabolus, & reliquit familiare subsellium. satisque constat, ab illo die Auicianũ mitiorem fuisse: seu quòd intellexerit, egisse se semper adsistentis sibi diaboli uoluntatem: seu quòd immundus spiritus ab illius consensu per Martinum fugatus, priuatus est potestate grassandi, cum erubesceret † minister auctoritatem, nec ministrum auctor urgeret. In uico autem Ambatiensi, id est castello ueteri, quod nunc frequens habitatur à fratribus, idolum noueratis grandi opere constructum: politissimis saxis moles turrita surrexerat, quæ in collectione summitatis thronum sublime procedens, superstitionẽ loci operis dignitate seruabat. Huius destructionem Marcello ibidem consistenti presbytero, uir beatus sæpe mandauerat. Post aliquantum tempus regressus, increpat presbyterum, cur adhuc idoli structura consisteret? Ille causatus, uix militari manu & ui publicæ multitudinis, tantam molem posse subuerti, nedum id facile putaret per imbeciles clericos, aut infirmos monachos quiuisse curari. Tunc Martinus recurrens ad nota subsidia, noctem totam in orationibus peruigilat. manè orta tempestas, ædem idoli usque ad fundamentum prouoluit. Verùm hæc Marcello teste dicta sint. Alium eius non dissimilem, in simili opere, uirtutem Refrigerio adstipulante perhibeo. Columnam immensæ molis, cui idolum superstabat, parabat euertere; sed nulla erat facultas, qua id da-

† magister

id daretur effectui. Tunc ad orationem suo more conuertitur. Visam certum est parilem quodammodo columnam ruere de cœlo, quæ impacta idolo tantam illam inexpugnabilem molem soluit in puluerem: parum scilicet, si inuisibiliter cœli uirtutibus uteretur, nisi ipsæ uirtutes uisibiliter seruire Martino humanis etiam oculis cernerentur. Idem autem Refrigerius mihi testis est, mulierem profluuio sanguinis laborantem, cum Martini uestem (exemplo mulieris illius Euangelicę) contigisset, sub momento temporis fuisse sanatam. A

Cum uerò flumen quoddam transire deberemus, serpens ipsum flumen secabat, & ripam in qua constiteramus adnatabat: quem prospiciens Martinus: In nomine, inquit, Domini iubeo te redire. Mox se mala bestia ad uerbum sancti retorsit, & in ulteriorem ripam nobis expectantibus transmeauit. quod cum omnes non sine miraculo cerneremus, altius ingemiscens ait: Serpentes me audiunt, & homines me non audiunt. Piscem Paschæ diebus edere consuetus, paulo aute horam refectionis interrogat, an haberetur in promptu? Tunc Cato diaconus, ad quem monasterij administratio pertinebat, doctus ipse piscari, negat per totum diem sibi uallem cessisse capturã, sed neque alios piscatores, qui uendere solebant, quicquam agere quiuisse. Vade, inquit, mitte linum tuum, captura proueniet. Contigua flumini, ut Sulpitius iste descripsit, habebamus habitacula, processimus, cuncti, utpote feriatis diebus, uidere piscantem: omnium spebus intentis, non incassa futura tentamina, quibus pisces Martino authore, Martini usibus quærerentur. Ad primum iactum in reti pro modico immanem esocem diaconus extraxit, & & ad monasterium lætus accurrens detulit: nec mirum, ut dixit poeta, nescio quis. (utimur enim uersu scholastico, quia inter scholasticos fabulamur) Captiuumq; suem mirantibus intulit Argis. Verè Christi iste discipulus, & gestarum à Saluatore uirtutum, quas in exemplum sanctis suis edidit, æmulator, Christum quoque in se monstrabat operantem, qui sanctum suum usquequaque glorificans, diuersarum munera gratiarum in unum hominem conferebat. Testabatur Arborius, ex præfecto, uidisse se Martini manum sacrificium offerentis, uestitam quodãmodo nobilissimis gemmis, luce micare purpurea, & ad motum dextræ collisarum inter se fragorem audisse gemmarum. B

Veniam ad illud, quod propter notam temporum semper occultauit: sed nos celare non potuit. in quo illud est miraculi, quòd facie ad faciem cum eo est angelus colloquutus. Maximus Imperator, aliàs sanè bonus, deprauatus consilijs sacerdotum, post Priscilliani necem, Ithacium episcopum Priscilliani accusatorem, cæterosq; illius socios, quos nominari non est necesse, ui regia tuebatur, ne quis ei crimini daret operam, illius cuiuscunq; modi hominem fuisse damnatum. Interea Martinus multis grauioribusq; laborantium causis ad comitatum ire compulsus, procellam ipsam totius tempestatis incurrit. Congregati apud Treueros episcopi tenebantur, qui quotidie communicantes Ithacio communem sibi causam fecerant. His ubi nunciatum est, inopinantibus, adesse Martinum, totis animis labefacti, mussitare & trepidare cœperunt. Et iam pridie Imperator ex eorum sententia decreuerat, tribunos summa potestate armatos ad Hispanias mittere, qui hæreticos inquirerent, deprehensis uitam & bona adimerent. Nec dubium erat, quin sanctorum etiam maximam turbam, tempestas ista depopulatura esset. Etenim tunc solis oculis paruo discernunt inter hominum genera, cum quis pallore potius, aut ueste, quàm fide hæreticus æstimaretur. Hæc nequaquam placitura Martino, episcopi faciebant: sed malè conscij, illa uel molestissima erat cura, ne se ab eorum communione adueniens abstineret, non defuturis qui tanti uiri constantiam præmissa autoritate sequerẽtur. Ineunt cum Imperatore consilium, ut mis-

A ut missis obuiam magistri officialibus, urbem illam propius uetaretur accedere, nisi se cum pace episcoporum, ibi consistentium, ad fore fateretur: quos ille callidè est frustratus, & profitetur se cum pace Christi esse uenturum. Postremò ingressus nocturno tempore, adijt ecclesiam tantum orationis gratia. postera die palatium præter multas quas euoluere longum est, has principales petitiones habebat: pro Narsete comite, & Leucadio præside, quorũ ambo Gratiani partium fuerant, pertinacioribus studijs, quę non est huius temporis explicare, iram uictoris emeriti. Illa præcipua cura erat, ne tribuni cum iure gladiorum ad Hispanias mitteretur. pia enim erat solicitudo Martino, ut non solum Christianos, qui sub illa erant occasione uexandi, sed ipsos etiam hæreticos liberaret. Verùm primo die, atq; altero, suspẽdit hominem callidus imperator, siue ut reis pondus imponeret, siue quia nimis sibi implacabilis erat, seu quia (ut pleriq; tunc arbitrabantur) auaritia repugnabat: siquidem in bona eorum inhiauerat. Fertur enim ille uir multis bonisq; actibus præditus, aduersus auaritiam parum consuluisse, nisi si regni necessitas quippe exhausto superioribus principibus reipublicæ ærario, penè semper in expectatione atq; procinctu bellorum ciuilium constitutus, facile excusabatur quibuslibet occasionibus subsidia imperio paruisse. Interea episcopi, quorum communionem Martinus non inibat, trepidi ad regem concurrunt, per damnatos se cõquerentes actum esse de suo omnium statu, si Theognisti pertinaciam, qui eos solus palàm lata sententia condemnauerat, Martini armaret authoritas. Non oportuisse bominem recipi mœnibus illum: non iam defensorem hæreticorũ esse, sed uindicem: nihil actum morte Priscilliani, si Martinus exerceat illius ultionem. Postremò prostrati, cum fletu & lamẽtatione potestatem regiam implo-
B rant, ut utatur aduersus unum hominem ui sua. Nec multum aberat, quin cogeretur imperator Martinum cum hæreticorum sorte miscere: sed licet ille episcopis nimio fauore esset obnoxius, non erat nescius Martinum fide, sanctitate & uirtute cunctis prę̃stare mortalibus: alia longè uia sanctorum uincere parat. Ac primò secreto accersitũ, blandè appellat, hæreticos iure damnatos more iudiciorum publicorum, potius quàm insectationibus sacerdotum, nõ esse causam, qua Ithacij, cæterorumq; partis eius communionem putaret esse damnandam. Theognistum odio potius, quàm causa fecisse dissidiũ: eũdemq; tamen solum esse, qui se à cõmunione interim separarit, à reliquis nihil nouatum. Quin etiam ante paucos dies habita Synodus, Ithacium pronunciauerat culpa non teneri. Quibus cum Martinus parum moueretur, rex ira accenditur, ac se de cõspectu eius abripuit, & mox percussores his, pro quibus Martinus rogauerat, diriguntur. Quod ubi Martino compertum est, iam noctis tempore palatium irrupit, spondet si parceretur se cõmunicaturum, dummodo ut & tribuni iam in excidium ecclesiarum ad Hispanias missi retraherentur. Nec mora, intercessit Maximus, indulsit omnia. postera die Felicis episcopi ordinatio parabatur sanctissimi sanè uiri, & planè digni, qui meliore tempore sacerdos fieret. Huius diei communionem Martinus inijt, satius æstimans ad horam cedere, quàm his non consulere, quorum ceruicibus gladius imminebat. Veruntamen summa ui episcopis nitentibus, ut communionem illam subscriptione firmaret, sed extorqueri nõ potuit: postero die se inde proripiens, cum reuertens in uiam mœstus ingemisceret, se uel ad horam noxiæ cõmunioni fuisse permixtum. haud longè à uico, cui nomẽ est Andechanna, quò uastam solitudinem syluarum secreta patiuntur, progressis paululum comitibus, ille subsedit. causam doloris & facti accusante ac defendente inuicem cogitatione perueluẽs, astitit ei repentè angelus: Meritò, inquit, Martine com pungeris, sed aliter exire nequisti. repara uirtutẽ, resume constantiam, ne iam non periculum gloriæ, sed salutis incurreris. Itaq; ab illo tempore satis cauit,

cum illa Itachinæ partis communione misceri: cæterùm cum quosdã ex inergumenis tardius quàm solebat, & gratia minore curaret, subinde nobis cum lachrymis fatebat͂, se propter cõmunionis illius malũ, cui se uel puncto temporis, necessitate, non spiritu, miscuisset, detrimẽtum sentire uirtutis. Sedecim postea uixit annos, nullam synodum adijt, ab omnibus conuentibus se remouit: sed plenè, ut experti sumus, imminutã ad tempus gratiam multiplici mercede reparauit. Vidi præterea ad pseudoforum monasterij ipsius, ad ductum inergumenum, & prius quàm ad limen attingat, fuisse curatum. Testantem quẽdam nuper audiui, cum in Tyrrheno mari cursu illo quo Romam tẽditur, nauigaret, subitò turbinibus exortis, extremũ uitæ omnium fuisse discrimen. In quo cum quidam Aegyptius negociator, nec dum Christianus, magna uoce clamaret, Deus Martini eripe nos: mox tempestatem fuisse sedatam, seq; optatum cursum cum summa placida æquoris quiete tenuisse. Lycontius ex uicarijs, uir fidelis, cum familiam illius lues extrema uexaret, & inauditę calamitatis exemplo per totam domum corpora ægra procumberent, Martini per literas implorauit auxilium. Quo tempore uir beatus rem esse promisit difficilem impetrari. nam spiritu sentiebat, domum illam diuino numine uerberari: tamen non prius destitit septem totos dies, totidemq; noctes orando & ieiunando continuans, quàm id quod exorandum receperat, impetraret. Mox ad eum Lycontius, diuina expertus beneficia peruolauit, nũcians simul et agens gratias, domum suam omni periculo liberatam. Centum etiam argenti libras obtulit, quas uir beatus nec respuit, nec recepit. Sed priusquam pondus illud monasterij limen attingeret, redimẽdis id captiuis cõtinuò deputauit: & cum ei suggereretur à fratribus, ut aliquid ex eo in sumptus monasterij reseruaret, omnibus enim angustum esse uictum, multis deesse uestitum: Nos, inquit, Ecclesia & pascat & uestiat, dummodo nihil nostris usibus quæsisse uideamur. Succurrunt hoc loco illius uiri magna miracula, quæ facilius admirari possumus, quàm referre. Agnoscitis profectò quod dico: multa sunt illius quæ non queunt explicari. Veluti est istud, quod nescio an ita ut gestum est, à nobis possit exponi. Quidam autem cum ad fornaculam illius carbonum copiam reperisset, & admota sibi sellula diuaricatis pedibus super ignem illum nudato inguine resideret, continuò Martinus factam sacro tegmini sensit iniuriã, magna uoce proclamans: Quis, inquit, nudato inguine nostrum incestat habitaculum? Hoc ubi ille frater audiuit, & in conscientia quod increpabatur agnouit: continuò ad nos currit exanimis, pudoremq; suum non sine Martini uirtute est confessus. Quodam itidem die cum in area, quæ parua admodum tabernaculum illius ambiebat, in illo suo (quod nostis omnes) sedili ligneo resedisset, uidit duos dæmones in excelsa illa quæ monasterio supereminet, rupe consistere, inde alacres ac lætos uocem istiusmodi adhortationis emittere: Eia te Bricchio, eia te Bricchio. Credo cernebant miserum eminus propinquantem, conscij quãtam illi rabiem spiritus suscitassent. Nec mora Bricchio furibundus irrupit, ibi plenus insaniæ, euomit in Martinum mille conuicia. obiurgatus enim pridiè ab eo fuerat, cur qui nihilum ante clericatum (quippe in monasterio ab ipso Martino nutritus) habuisset, equos aleret, mancipia compararet. nam illo tempore arguebatur à multis, quòd non solum pueros, sed etiam puellas scitis uultibus coemisset. Quibus rebus infœlicissimus insano felle commotus, & ut credo pręcipuè dæmonũ illorum agitatus instinctu, Martinum ita aggressus est, ut uix manibus tẽperaret: cum quidẽ sanctus uultu placido, mente tranquilla, infœlicis amentiam per milia uerba cohiberet: sed ita in eo nequam spiritus redundabat, ut ne sua quidem illi, quamuis uana admodum mens subesset, trementibus labijs, incertoq; uultu decolore præ furore, rotabat uerba peccati, se asserens sanctiorem: quippe qui à primis annis in mo-

nasterio

A nasterio inter sacras ecclesiæ disciplinas ipso Martino educante creuisset: Martinum uerò & à principio, quod ipse diffiteri non posset, militiæ artibus sorduisse, & nunc per inanes superstitiones & fantasmata uisionum ridicula prorsus inter deliramenta senuisse. Hæc cum multa, atq; alia etiam, quæ reticere melius est, acerbiora uomuisset, egressus tandem furore satiato, quasi qui se penitus uindicasset, rapidus ea qua parte uenerat, recurrebat: cum interea, credo per Martini orationes, fugatis ab illius corde dæmonibus, reductus in pœnitentiam, mox reuertitur, atq; ad Martini se genua prosternit, ueniam poscens, fatetur errorem, nec sine dæmonijs se fuisse. Tandem senior confitetur, non erat apud Martinũ labor iste difficilis, ut ignosceret supplicanti. Tunc & ipsi, & nobis omnibus sanctus exposuit, qualiter illum à dæmonibus uidisset agitari: se conuicijs nõ moueri, quę magis illi à quo essent effusa, nocuissent. Exinde cum idem Bricchio multis apud eum magnisq; criminibus persæpe premeretur, cogi non potuit, ut eum à presbytero submoueret, ne suam perse qui uideretur iniuriam: illud sæpe cõmemorans, si Christus Iudam passus est, cur ego non patiar Bricchionem? Ad hæc Posthumianus: Audiat, inquit, istud exemplum, noster iste de proximo. qui cum sit sapiens, immemor præsentium, & immemor futurorum, si fuerit offensus, insanit, in sua se nõ habens potestate: sæuit in clericos, grassatur in laicos, totumq; terrarũ orbem in suam commouet ultionem: in quam per trienniũ iugiter dimicationem consistens, nec tempore, nec ratione sedatur. Dolenda hominis & miseranda conditio, etiam si hæc sola insanabilis mali peste premeretur. Verùm ista ei patientiæ & tranquillitatis exempla referre sæpius Galle debueras, ut sciret irasci, & sciret B ignoscere: qui si istum ipsum breuiter insertum sermonem meum in se prolatum fortè cognouerit, sciat non magis ore inimici, quàm amici animo me locutum: quia si fieri posset, optarem ut Martino potius episcopo, quàm Phalari tyranno similis diceretur. Sed istum, cuius commemoratio parum suauis est, transeamus, & ad Martinum nostrum Galle redeamus. Tunc ego, cum iam adesse uesperũ occiduo sole sentirem, Dies (inquam) abijt, Posthumiane: surgendum est. simul tam studiosis auditoribus cœna debet. De Martino autem expectare non debes, ut ulla sit meta referendi. latius ille diffunditur, quàm ullo ualeat sermone cõcludi. Ista interim de illo uiro portabis Orienti. Sed dum recurris, diuersasq; regiones, loca, portus, insulas, urbesq; præterlegis, Martini nomen & gloriã sparge per populos. Inprimis memento non prętereire Campaniam, & si maximè cursus in deuio sit, non tamen tibi tanti sint uel magnarum morarum ulla dispendia, quin illic adeas illustrem uirum, ac toto laudatum orbe, Paulinum: illi, quæso te, primum sermonis nostri, quem uel hesterno confecimus, uel hodie diximus, uolumẽ euolue. Illi omnia referes, illi cuncta recitabis, ut mox per illũ sacras uiri laudes Roma cognoscat: sicut primum illum nostrum libellum non per Italiam tantum, sed per totam etiam diffudit Illyricum. Ille Martini non inuidus gloriosarum sanctarumq; in Christo uirtutum, pijssimus existimator, non abnuet præsulem nostrum cum suo Felice componere. inde si fortè ad Africam transfretabis, referes audita Carthagini: licet iampridem, ut ipse dixisti, uirum nouerit, tamẽ nunc præcipuè de eo plura cognoscat, ne solum ibi Cyprianum martyrem suum, quamuis sancto illius sanguine consecrata, miretur. Iam si ad læuum Achaiæ sinum paululum diuexus intraueris, sciat Corinthus, sciant Athenæ, non sapientiorem in Academia Platonem, nec Socratem in carcere fortiorem. fœlicem quidẽ Græciam, quæ meruit audire Apostolum prædicantem: sed nequaquam à Christo Gallias derelictas, quibus donauerit habere Martinum. Cum uerò ad Aegyptum usq; perueneris, quãquam illa suorum sanctorum numerositate & uirtutibus sit superba, tamen non dedignetur audire: quia illi, uel uniuersæ Asiæ, in solo

Martino Europa non cesserit. Cæterùm cum Hyerosolymam inde petiturus, uentis cursuum uela commiseris, negotiũ tibi nostri doloris iniungo, ut si unq̃ illustris illius Ptolemaidis littus accesseris, solicitus inquiras, ubi sit consepultus noster ille Pomponius: nec fastidias uisitare ossa peregrina. Multas illic lachrymas, tam ex affectu tuo, q̃ ex nostris funde uisceribus, ac licet inani munere, solum ipsum flore purpureo, & suauè redolentibus sparge graminibus: dices tamen illi, sed non asperè, non acerbè compatientis alloquio, nõ exprobrantis elogio: Quòd si uel te quondam, uel me semper audire uoluisset, & Martinum magis quàm illũ, quem nominare nolo, fuisset mutatus, nunquam à mea tam crudeliter disparatus, ignoti pulueris regione tegeretur, naufragij sorte prædonis passus in medio mari mortem, & uix in extremo nactus littore sepulturam. Videant hoc opus suum, quicunq; ex illius abscessu mihi nocere uoluerint: uideant gloriam suam, & uel nunc aduersum me grassari desinant uindicati. Hæc cum maximè flebili uoce gemeremus, omnium lachrymis per nostra lamenta commotis, cum magna quidem Martini admiratione, sed non minore ex nostris fletibus dolore discessum est.

FINIS.

APPENDIX

APPENDIX PRAECEDENTIBVS ADIECTA, PER GILBERTVM COGNAtum Nozerenum.

PETRVS GILLIVS ALBIENSIS, OMNI NOMINE REVErendo Guilielmo Boissseto, Cistercienſi abbati, S. D.

A Ntonius Faietus archidiaconus Albienſis, homo integerrimus, oppreſſorum patronus, ſtudioſorum unicus Mecœnas, & qui non aſſentãdo gradum fecit ad dignitates ampliſsimas, quin potius ſine fuco uſq; eo tempeſtiuè nouit dicere uerum, ut non alia ratione ſibi bona fortunæ pepererit, quàm cum ingenuè & uerè epiſcopis Albienſibus boni paſtoris officium exponit, tyrannidem caſtigat, pios uſus memorat, Ludouicum ſuperiorem epiſcopum Albienſem, eis imitandum ante oculos opponit: nec tamen odium ei ueritas (quod ait Terentius) peperit: imò certè & diuitias, & honores non cõtemnendos. nimirum qui tot annos ſummam rerum Albienſium moderatus, ab omnibus hanc laudem retulit, offendiſſe neminem, omnibus profuiſſe: & quod uix ſuſtinendum uel patientiſsimo, uarietatem cauſarum ruſticarum errore inextricabili cõfuſiſsimam, audire adeò moderatè tulit, ut nemo quantumlibet moroſus, non niſi lętus ab eo diſceſſerit unquam. Hoc tamen magis miror, cum eo geſſiſſe inimicitias neminem, qui eius humanitate uictus non libenter ſimultates depoſuerit. Hic itaq;, cuius laudes in aliud tempus reſeruo copioſius explicandas, tam honorificè de te ſemper loquitur, & ſentit, ut nunquam in tui memoriam uenire ſoleat, niſi cum præfatione tuæ uirtutis, cuius unicus eſt admi-
B rator. teq; præcipuum antiquæ religionis obſeruatorem prædicat, literatorũ non minus quàm ipſarum literarum patronum exiſtimat, dignum quem omnes Albienſes omni officio colamus, omni laude uelut unicum decus noſtrũ cumulemus, reuerentia, ſi non debita, certè quanta poſsimus obſeruemus: & eo maximè, quòd cùm omnibus ſtudioſis faues, tum maximè Albiẽſibus. Diuitias uerò & honores quàm minimi facias, ſatis tum oſtendiſti, cum ter quater delectu in Bernardinorum monarchiam uocatus, ter recuſaſti: quam obuijs manibus nemo non acciperet, qui tui diſsimilis eſſet. diſsimiles autem hac ætate omnes reperio, præter paucos, imò pręter unicum Ludouicum Robertetum, ſacelli Palatini Canonicum. Is enim in hac re ægerrimè tibi cederet: quin planè (cum tua uenia dixerim) te ſuperat, dum epiſcopatũ Albienſem, non ter oblatum modò recuſauit, ſed quartò quoq; dum afferret, conſtantius reiecit: non ob aliam cauſam, quàm quia ſibi temperare didicit, dum ſanctum Nicolaum ex profeſſo imitatur, cuius uitam tuo ductu cenſui publicandam: non ob aliud, quàm cuius mores uerè reddis, eoſdem uerè legas, atq; adeò legens, tuos eſſe agnoſcas. Bene uale, & legendo hoc ut doctiſsimo, ita & ſanctiſsimo Simeonis Metaphraſtæ ſcripto oblectare: cuius de aliorum quoque Sanctorum uitis hiſtoria ſi aliquando à bibliotaphis, apud quos deliteſcit, extorqueri, atque in publicum edi poſſet, magnum haud dubiè Reſpublica Chriſtiana inde perceptura eſſet emolumentum.

AD DIVVM NICOLAVM PRAESVLEM C. Vrsini Velij Hymnus.

Diue, quem uasti maris, ac profundæ
Doridos, mundi pater, & potentem
Cærulæ fecit regionis olim,
Oceaniq́;.
Ipse nunc Triton tibi paret uni, &
Sæua tempestas, loca fœta uentis
Iussa non spernunt tua, cui tricuspis
Fuscina cessit.
Stulta Neptuno pelagi uetustas
Ius dedit, donec uemens honores
Sanctior uanos aboleuit ætas
Ennosigæi.
Sæpius salsas miser inter undas
Naufragus, uanum maris inuocauit
Numen: heu nullum tamen hinc leuamen
Sensit, opem'ue.
Sæpe te puppes maris obruendas
Fluctibus, prona tenuisse dextra:
Sæpe præsenti posuisse dicunt
Numine uentos.
Supplices ergo tibi Nicolae
Vota mortales adhibent, precesq́;,
Et tuum nomen reuerenter ætas
Omnis honorat.
Sicca tu nobis Elice per altum,
Et salutaris Cynosura nautis:
Tu locas semper sinuosa portu
Vela secundo.
Huc ades rector maris inquieti:
Nostra felices aditura portus
Cymba, nos uento facili, & secunda
Prouehat aura.

LEONARDI IVSTINIANI PATRICII VENETI, IN BEATI NICOlai Myrensis episcopi uitam, è Græco in Latinum tralatam, ad Laurentium eius fratrem, urbis Venetiarum Patriarcham, PRAEFATIO.



Vm ætatis nostræ ingenia mecum cõsidero, Laurenti frater, ea uidelicet quibus uetus illud & expolitum scribendi genus in cultu est, soleo equidẽ Christianam gentem (si dicere fas est) nõnihil infortunatã putare. Nam cum in illa tot præstantissimi fuerint in omni primaria laude uiri, ut nulla sit cum illis gentilitas comparãda: uix quisquam tamen eiusmodi scriptorum est, qui nõ ipse malit gentiliũ, quàm sanctorum nostrorũ facta literis celebrare. Id autem cur ita fiat, non certè satis intelligo. Nam cum Christianã fidẽ planè profiteamur, eoq́; censeri nomine & felicitati nobis imputemus, & laudi: quid causæ dici potest, cur aliena malimus etiam à pueris decantata, quàm nostra haud satis cognita, gloriose & utiliter illustrare? Nam Metellis, Catonibus, Lycurgis, Epaminundis, cæterorumq́; gentiliũ illustrib. factis penè referta sunt omnia, nec noua indigẽt laude, in quibus exprimẽdis cùm græcè tum latinè summa certauerunt ingenia. At nostrorũ nisi paucorũ admodũ iacet memoria, quorũ præter nomina nihil fermè celebre est. Non enim Crispos aut Xenophontas, aut ex illa cohorte quenq́; uitæ facinorumq́; suorum interpretem habuere. Nam ad nominis celebritatẽ posteritati diutissimè commendandam, quis nesciat, nõ tam referre quibus quisq́; moribus, qua uirtute, quibus rebus gestis antecellat, sed multo maximè quem factorũ & laudũ suarum præconẽ sit habiturus. Vnde Lyricum illud: Vixere fortes ante Agamemnona multi, Ignotiq́; longa nocte, carentq́; uate sacro. Scitè igit. Alexander diuinitatis cupiditate incẽsus, statuas suas ab alio quoq́; fieri q̃ à Lysippo uetuit, quia illius opera ob incõparabilis artis præstantiã immortalia fore putabat. Ita nõ tam res ipsæ scriptorẽ, q̃ scriptor illas celebres atq́; longæuas facit. Quòd si Hieronymũ, aut eloquentẽ alterũ cęteri nostri fuissent cõsecuti, legerent illi profectò eo studio ac uoluptate, qua Paulũ heremitã legimus, & Hilarionem, quorũ uitæ splendor pari ab illo uerborũ luce & uenustate ornatus est. Nẽpe Paulos & Hilariones haberemus innumeros, nõ eis aut æqua cum illis felicitate, aut fortuna, ut scriptorẽ eloquentissimũ nanciscerent: sed uoraginem nescio quam, aut alios indisertos è turba, quorũ si fidei eloquẽtia par fuisset,

A fuiſſet, ſanctorũ noſtrorũ præclara facinora, nõ modò per uulgus, uerùm lõgè lateq; per docta ingenia uolitarent. Et omniũ uirtutum exẽpla peteremus ab eis, quãdoquidẽ mille nos habemus ex noſtris, quos ſingulis gentilib. opponamus. nec uiros modò, ſed & mulierum cateruas proferamus, forti perpeſſas animo quæcunq; ſcriptores priſci paucis in uiris tãtopere laudauerunt. Adde q; externarũ gentium uirtus magna quidẽ ex parte fucata fuit, nec tam uirtus q̃ ſimulachrũ uirtutis & ſpecies appellãda. Nam ſi magnitudinẽ animi, ſi ſapientiam, ſi cõtinentiã, æquitatẽ, liberalitatẽ, cæteraſq; reuera uirtutes quærimus, haud facilè dixerim, in aliĳs illas q̃ in ſanctis noſtris ſplẽdidius eluxiſſe. At ſancti (dicet aliquis) non duxerunt exercitus, nõ acies inſtruxerũt, non claſsibus, non prelĳs, non oppugnationibus deniq; urbiũ prefuerũt. Non eſt omnino id quidẽ, fuiſſe tamen cõcedamus, & hæc eadẽ fateamur præclara putari debere. ſed per Deum immortalẽ cui tandẽ uſui, aut cuiuſmodi hominib. iſta dicũtur? Quotus enim quiſq; legentiũ illa fuerit, qui aut claſsis præfectũ, aut inſtructorem certaminũ, aut urbium oppugnatorẽ futurũ ſe putet? O demẽtiam ſingularem? Ego qui nunq; uiſurus exercitus ſim, quibus artibus acies diſponantur, multo didicerim ſtudio: quo uerò pacto ſuperbiã cõteram, iram extinguã, auaritiam, reliquaſq; animi peſtes proſternã, ex his ſcire neglexerim, qui hoc cõmune omniũ bellandi genus ſcitè percalluerunt? Quid igitur, improbabimus ne ſtudiũ eorum, qui noſtro ſeculo eiuſmodi uigilias uigilarunt, & multorum gentiliũ facta ſcripſerunt? Non auſim id ego quidẽ, neq; unus pluribus temerè bellũ indixerim, & his potiſsimũ, quos mihi uel neceſsitudine ſtudiorũ, uel officiorũ cõmuni interceſsione cõiunctos puto. Ceterùm pertinax affirmarim, præſtitiſſe noſtrorũ q̃ alienas uitas cõſcribere. Aut ſi alienæ ſcribẽdæ fuerint,

B nõ debuiſſe noſtras omitti. Nos itaq; qui dudũ aliorũ inſtitutũ ſecuti, nõnulla gentiliũ facta literarũ monumẽtis mãdauimus, nũc, te hortãte, Laurenti frater, hũc quem laudamus morẽ inibimus. Me etenim quotidie pro tua incredibili pietate admones, ut ſtudia cogitationeſq; meas ad beatam uitam, animiq; immortalitatẽ adipiſcendã potiſsimũ conferã, & poſt longã nauigationẽ aliquando de portu cogitẽ. Nullius aũt in omni re, quæ ad bene beateq; uiuendũ pertineãt, maior mihi debet eſſe auctoritas, q̃ tua, qui preter incõtaminatã uitę integritatẽ ab ineuntib. annis ſuſceptã mihi natura frater es, cura & ætate pater, Dei miſeratione antiſtes. Neq; me uerbo tantũ doces, ſed exẽplo magis, q inter maximas epiſcopatus tui occupationes, & Venetorũ alienigenarũq; quotidianos acceſſus, ſacrarũ literarũ ſtudia, ſcribẽs nõ intermittis, ne libri, quos priuatus plureis edidiſti, teſtent̃, te in negocio ea mentis & cogitationũ poteſtate carere, qua in ocio perpetuò fruebare. Tibi igit̃ morẽ gerens, magni Nicolai uitã ſcribere orſus ſum. Neq; omnia in eum libellũ cõgeſsi, ſed ea tantũ, quæ apud Grecos idoneos, maximè apud Simeonẽ cognomẽto Methaphraſtẽ de illo ſcripta, & eccleſiis probata inuenimus. Nam quæ de ipſo ferunt̃ tum uetera tum noua miracula, neq; numero, neq; magnitudine modũ habẽt. Hũc aũt potiſsimũ exprimendũ tibi elegi, partim quia iocũda ea lectio eſt, & digna certè quę de epiſcopo ab epiſcopo accuratè legat̃: partim ut uiro ſanctiſsimo de Venetis optimè merito, aliquã meę patriæ nomine gratiã reddã. Noſtros em̃ homines et nauigãtes inprimis tãta proſequunt̃ pietate, tãta miſericordia, ut iurè poſt beatiſsimũ Marcum, hunc alterũ noſtra ciuitas ſibi patronũ colat. At cum pro ſuſceptis ab eo muneribus, aliĳ ceras, aliĳ argẽteas ſtatuas ferãt, ego hanc illi lõgè nobiliſsimã ſtatuã dedicabo, quę non modò corporis, cæterùm q̃d multo preſtabilius eſt, animi & uitæ pulcherrima lineamẽta immortaliter exprimat. Nec erit (ut ſpero) inanis hic noſter labor, ceu in ſcribẽdis gentilib. quondam fuit. Nam in eum hoc munus cõtulimus, qui cum inter primos gratiſsimus fuerit, plus poteſt nobis mortuus nũc è cœlo, q̃ uiuens quiſq; in terris prodeſſe.

SIMEONIS METAPHRASTAE IN GESTA SANCTI NICOLAI, COGNOMENTO MAGNI, Myrensis Episcopi, uera historia, è Græco in Latinum uersa, Leonardo Iustiniano Patricio Veneto interprete.

A

CAPVT I.



PATARAM rerum scriptores tradunt urbem fuisse in terra Lycia, nobilem inter primas. Eiq; si cætera defuissent ornamenta, quibus tamen plurimis affluebat, poterat sanè uel hoc uno nobilitari præcipuè, quòd magnum Nicolaum Myrarum episcopum tulit, uirum profectò quem in republica Christiana nemo propè sanctorum omniũ, in omni uirtutum laude facilè anteiret. Nam Pataræ natum illum constat, & claro quidem genere. Mater eius fœmina fuit sanctissima atq; grauis. Patri uerò non tam uitæ splendor, quàm integritas: non tam populi, quàm Dei cultus: nõ tam diuitiæ, quàm eleemosyna fuerunt in precio. Mundi itaq; relictis illecebris, nullum erat illis nisi bonarum actionum studium atq; uoluptas. Hi tanq; lignum plãtatum secus decursus aquarum, in tempore suo speciosissimum edidere fructum, infantem uidelicet hunc, cuius cœlestis indoles, futuræ uirtutis præsagiũ præ se ferret. Illum autẽ primũ mater pariter atq; postremũ tulit, infœcũda posthac cum charissimo cõiuge perseuerans, siue desperãte natura, per illos posse huic similem alterũ in lucem producere: siue, ut puer hic multifariã Baptistæ similem in hoc quoq; cum illo quodãmodo cõueniret. Ille enim infœcundæ matris dissol- B uit uterum, atq; sterilitatẽ, iste fœcundæ matris uterũ obstruxit. Sic itaq; parentum diligentia omnis, studia, & uoluptates in hunc unum diuinæ ornandum, instituendumq; sunt collectæ. ut quem carnaliter genuerant spiritualiter educandum, & omnibus sanctissimarum institutionũ ornamentis excultum, admirabilem cunctis mortalibus redderent.

CAPVT II.

INfantem autẽ hunc quis dubitet in ipso statim natiuitatis exordio, diuino fuisse numine afflatũ, sanctificatumq;: qui non prius uiuere, q̃ Deum uenerari: nõ prius comedere, q̃ ieiunare cœperit? Cõpertum enim habemus, illum cum reliquos dies noctesq; omnes nutricis ubera sugeret crebrò: quarta tamẽ sextaq; feria nisi semel duntaxat, & id uesperi quidẽ, lac uoluisse gustare. Atq; hoc semper certo immotoq; seruauit ordine, ut nullis posset blãditijs, nullo nutricis lenocinio, nulla naturæ necessitate à ieiunio cœpto deflecti. Quãobrem uel improbũ quenq; bonarũ rerum interpretẽ planè fateri oporteat, nõ fortuitu illud, aut intẽperie stomachi factũ esse, sed quasi consulto, & Dei afflante spiritu. O miraculũ singulare, & inter rara omniũ seculorũ spectacula per ecclesias meritò decantatũ, & dignũ uiuendi principiũ, cui tam excellẽs uita succederet. quandoquidẽ crescentibus annis, debebat eius quoq; uirtutibus tum natura tum studio & gratia partis, fieri accessio admiranda.

CAPVT III.

POstea enim q̃ è pueritia excessisset, castissimos mores & disciplinã ab optimis acceptã parẽtibus in melius redigẽs. Ipse quoq; suapte natura & ingenio nõ desinebat, uelut generosa quædã & fertilis gleba, nouos quotidie honestatis & pietatis fructus edere. Inde ętate poscente, ad capiendum animi cultum traditur studio literarum, ubi tum ingenij magnitudine, tum uelocitate discendi breui admodũ æuo, multa ingenuarũ disciplinarũ scientia imbutus, ab omni humanę laudis cura abhorrebat. Aequaliũ uerò sodalitates, cõuiuia,

consuetu-

A consuetudines uitabat omnino, quia in illis cerneret, sicut festiuitatis multum, ita plurimum esse intemperantiæ atque periculi. Mulierum non modò colloquia, uerumetiam conspectum, tanquam iuuenilis animi pestilentissimam labem fugiens, totum se honestati pudicitiæque addixit. Libidinum uerò & carnis incendia, quibus æstuare pleriquе omnes adolescentes solent, quotidiani labores, ieiunia, uigiliæ extinguebant. Talibus instructum artibus, totum sese accepimus ad Christi seruitiũ contulisse. Schola illi erat ac diuersoriũ, Dei templum: ut se dignũ pararet templũ, in quo Deus ipse pernox & perdius habitaret. Neque bonarũ disciplinarũ studia aut legendo, aut audiendo, aut meditando intermittebat. In quib. tantum excelluit, quantũ magno futuro antistiti opus erat. Sed quòd uita recta, doctrinis omnib. longè maximè præstabilior est, eo plus in componendis formandisque moribus nauabat operæ ac laboris, quo iuuenilis fluctuantisque ætatis inconstantiam, senili quadam firmaret grauitate. Quem enim admodum non illud senium laudamus, in quo non emineat par senio & annis modestia: sic etiam solemus iucundè admirari, multaque laude dignam existimare adolescentiam, quæ planè didicerit eiusce ætatis compescere motus, & senectutis grauitatem ac molestiam retinere. Est enim sicut iuuentus in sene turpis, ita pulcherrima quidem in adolescente senectus.

CAPVT IIII.

HAbuit autem Nicolaus auunculum nomine Nicolaum, à quo nunc nostrum, arbitror id nominis usurpasse. Is cum nepotem animaduerteret religioni & sanctimoniæ deditum, mundo se penitus abdicasse: parentes hortatur ut adolescentem sacerdotalibus sacris initiari permittant. Illi in sententiam uenere faciles. Cur enim gratos homines pigeat reddidisse, quod gratis acceperint: & fidelium more debitorum æs alienũ, cum ipsa etiam usura persoluere. Nam in ueteribus memorijs scriptum inuenimus: Nicolai nostri parentes aliquãdiu steriles, & propemodũ de sobole desperantes, multa prece & lachrymis à Deo hunc filiũ impetrasse, atque illum propterea Deo qui dederat, reddidisse libentius. Perhibent autem auunculum sancto afflatum spiritu, de nepote uaticinantem, præcinisse in illo cœlestium donorum redundantiam. Cum enim initiaretur, ad astantes conuersus: Nouum (inquit) fratres terris solem oriri uideo, & humano genere grande solatium cõparat. O gregem felicem, qui hunc sibi pastorem sit habiturus. Hunc enim uidebitis, errantes oues ad pietatis pascua reuocantem: hunc periclitantibus salutem, calamitosis opem, laborantibus præbere quietem. Neque secus atque iste prædixit, omnia euenisse, insequẽs sermo docebit. Nulli autem mortalium admirabile uideri debet, uel nepotis præclara facinora, usque adeò mundum illustratura, sui splendoris uatem aliquem habuisse, uel auunculum prophetandi spiritum meruisse, quem admirandæ uitæ integritas, ecclesiæ iudicio inter cœli sidera collocarit. Nam duos fuisse Nicolaos constat: auunculũ illum, hunc nepotem: sanctos ambos, episcopos ambos, illustres ambos. quanquam longè illustrior quidem nepos est habitus. Is cuius nunc uitam & facta cõscribimus, cuique propterea Magno cognomẽ fuit. Igitur factus sacerdos, morum & uitæ seueritatem pariter cum dignitate augendam putauit: naturæ sapientiam imitatus, quæ arbores ipsas, quo se celsius in cœlum tollunt, eo altius demissis in terram radicibus, firmiores reddit. Sacerdotij autem quis dubitet solidissimas esse radices, integritatẽ uitæ, misericordiam, pietatem, continentiam, sobrietatem, reliquasque uirtutes id genus, quibus potissimum propius ad Deum acceditur. Itaque corpori suo bellum indicit, non quòd illud necaret, aut contereret, sed quòd domitũ, & omni petulantia exutum redigeret in seruitutẽ. Igitur somno & quotidiano cibo, quantum ratio permittebat, detrahit, ieiunijs, nocturnisque uigilijs solito plus indulgens, uino parcissimo utebatur, sæpius aqua sola cõtentus. Veste si

non sordida,ut hypocrita, & uanus ostentator,nullo tamen cōspicua luxu de- A
inceps est usus.Crebrior illi fuit ad delubra aditus. nulla penitus nisi sacrarum literarum lectio.In uultu & gestu modestia maior.Sermo rarior,et grauis qui dem,& qui nihil haberet inanitatis,& fuci,ut his prędītus ornamentis,uideretur in corpore mortali immortalium uitam degere.

CAPVT V.

PEr id autem temporis Nicolaus auunculus templū nobile sub sacræ Sion nomine struit, ei'que pari dignitate monasterium adddit. Cui, cum de præficiendo gubernatore pro rei amplitudine cogitaret, uisum est id negotij nepotis curæ, sapientiæq; committere. Tum ut admirabiles eius uirtutes, usu & exercitatione uegetiores redderet: tum quia nemo erat in prōptu, qui rem illam aut sapientius aut sanctius, aut diligentius gubernaret. Nepotem itaq; præfecit, eiq; plurimos præstantes adiungit monachos: ut uelut in re militari & imperatorem exercitus, & exercitum imperator pari uirtutum cultu & uoluntate haberet. Hoc itaq; munus ita Nicolaus administrauit, ut dignitatem monasterij gubernatoris præstantia facilè superaret.In eoq; perstitit, quoad ipse uisendorum sacrorum locorum gratia in Palæstinam est profectus. quod iter paulopòst plusculis attingemus. Sed me iam uideo de narrationis semita declinasse.Prius enim quàm de monasterio dicerem, erat de parentum interitu & hæreditatis distributione dicendum. quem locum nunc paucis absoluamus. Parentes eius in illius pestilentiæ uastitate,qua Lycia ea tempestate depopulata est, intra triduum morientes, hæredem illum testamento instituunt. Quorum mortem omni officio ac pietate ita est prosecutus, ut nihil omitteret, quod ab amantissimo filio parentibus optimis præstari par sit. Hæreditatem igitur adiens,& non tam possessorem se,quàm hæreditatis dispensatorem re- B
lictum intelligens, cœpit non quo modo patrimonium augeret(id quod pleriq; omnes mortales factitant) cogitare:sed quo pacto patrimonium seminando, uberiorem sibi frugem in cœlo colligeret. Quid enim aliud agat uir constans & sapiens, qui ab ineunte ætate funditus ex animo terrenas eiecerat cupiditates,nisi ut duriore iam ætate contemnat, quod teneris annis animo magno & excelso contempserit:ne uitę præclara exordia,à succedentis ætatis actionibus dissentirent. Itaq; non ad congregandas diuitias, sed ad congestas dispertiendas animum appulit:ut nihil aliud patula manus, quàm egenum & pauperem cogitaret. Cæterùm quemadmodum tellus ipsa omnium longè liberalissima,herbis,frugibus,arboribus'ue sic alimenta atq; uitæ præsidia porrigit, ut nemo quidem omnino id sentiat: ita noster hic egenorum alumnus, clàm quidem, & nullo sciente mortalium, misericordiam suam incredibili studio in pauperes exercebat. Cuius reliquas eleemosynas intelligemus facilius, si hoc unum è pluribus celebre illius factum subijciemus.

CAPVT VI.

FVit Patarę uir genere nobili, qui(ut fert humanæ fœlicitatis fragilitas) ab honoribus in contemptum,à diuitijs in egestatem deciderat.Ei erant tres filiæ,corporis formæq; uenustate, & morum elegantia longè præstātes,uirgines omnes,& quarum ætas(si patris calamitas nō obsistat) nuptias flagitaret. Has inops pater, omni rerum egestate calcatus, non modò uiro tradere, sed ne alere quidem quoquo pacto poterat. neq; spes ulla miserum hominē solabatur, qua quotidie crescentis inopiæ uim perferret. Heu rem dictu fœdam, heu qua mortaliū mentes insuperabilis uis egestatis impellit. Tetrum, atrox, immane facinus,patrem paternę pietatis memorem'ne, an immemorem potius dixerim, exagitat,filiarum decus ac pudicitiam deserentem, ut natis esurientibus non deesset (cœpit enim de illarum uirginitate alienæ prostituenda libidini cogitare) ut tupissimo & flagitioso quæstu uitam percuntis familiæ tueretur.

A tueretur. Iam uesana fames reluctantem patris animum ęgrè perfregerat. Iam crudele & humanis indignum luminibus spectaculũ parabatur. Quid enim tam ualidum est, tamq; munitum, quod necessitas non prosternat? Sed affuit de cœlo miserator Dominus, qui escam daret timentibus se, qui patris in filias inuitam crudelitatem non pateretur: qui uirginum castissimas lachrymas miseratus, à tam fœtido flagitio liberaret. Sed q̃ pacto id facies dulcissime Deus, uniuersę misericordiæ pater & fons, aut quo ministro auxilium tuum oppressæ familiæ porriges? Angelum profectò tute tibi Nicolaum delegisti, quo nemo mortalium esset, qui tua iussa meliori aut studio, aut consilio, aut pietate perficeret. Tua igitur miseratione factum est, ut crudele consiliũ famulus tuus nescio q̃, nisi te uolente, sentiret. cuius animus tum rei atrocitate, tum insita pietate commotus, in auxilium periclitantium totus accingitur. Stimulabant misericordem animum esurientis familiæ lachrymæ. Stimulabat castarum puellarum prostituẽda uirginitas. Stimulabat amantis patris misericordia, qui in pudicitiam inuitus agebat, ne in uentrem crudeliter agere uideretur. Sed seruus tuus, qua ratione Deus impleat præcepta, non uidet. cum enim iubeas misericordes nos esse, uetas tamen sinistram scire quid faciat dextra nostra. Ardet animus misericordiæ faciendæ studio, sed humanum sui beneficij testimonium refugit. quippe qui tibi soli benefactorum gratissime retributor placere conetur. Tantum enim uir Dei ab omni humanæ laudis desiderio abhorrebat, ut quantum cæteri sua maleficia, tantum ipse iste benefacta sua celare studeret. His agitatus stimulis impiger animus, credo te Domine inspirante, intempestæ noctis silentio è strato prosiliens, auri haud mediocre pondus, sacculo bellè insutum, sumit: domo egreditur clanculum, miserandæ familiæ domum tacitus adit, circumspectat sagaciter omnia: animaduertit tandem, luna

B ipsa adiuuante, fenestram apertam paululum: ea cubili inseruiebat, in quo infelix pater membra quieti tradiderat. Tunc Nicolaus pulcherrimã sibi à Deo oblatam occasionem ratus, auro per fenestram immisso, domum se statim proripuit. Manè pater auri comperto miraculo, stupens, cum tanti muneris datorem suspicari non posset, dæmonum eam esse, aut callidi cuiuspiam hominis fallaciam putat, adulterinó que credit se lusum auro. Inde cum aurum digitis contrectaret, iam´que rei agnosceret ueritatem, incredibili lætitia gestiens, lachrymas ubertim effundit. Miratur rem, animo uersat omnia. Et cum humanum benefactorem coniectare non posset, in Deum hoc muneris transferẽs, Quid faciam nunc miser (inquit) ne tanti beneficij ingratus arguar? Certum est peccatum meum diluere, & impio me ac nefario scelere expiare. Filiam, in cuius pudicitiam crudelissimè sæuiebam, à fœdo periculo eruam. Aurum uirginem redimat, quæ meo scelere auri gratia perdenda erat. Hæc itaque secum reputans, primam ex tribus filiam honesto marito locat. Nicolaus non minus dato, quàm ille accepto munere gaudens, ubi uirginem uidet à periculo liberatam: Liberabo (inquit) & reliquas. Aurique tantundem noctu, ut antea, per patentem fenestram immittit. Diluculo pater, cum secundum aurum inuenisset, uix sui compos, humi supplex sese prosternit. Tum ora pectusq; largis irrigans fletibus: Deus, inquit, misericors, esurientium liberalis alumne, fac (quæso) Domine, ut sciam quo ministro tu flagitiorum meorum periculum sustulisti, ut te Domine in illo laudem, te in illo magnificem, te in illo contempler. Domine, qui me iampridem sanguine tuo redemisti, & nunc auro pereuntem familiam redimis, ostende mihi dispensatorem tuum hunc, & angelum profectò in terris, cuius ope ecce secundam quoq; filiam, diabolo crudeliter maritandam, sancto connubio honestabo. Hæc cum dixisset, non prius destitit, quàm alterum quoq; generũ sibi asciuit: nec minore certè gaudio duplicis coniugij celebrati, q̃ spe tertij quoq; propediem celebrandi. Iam enim tantum

tantum sibi de Dei misericordia pollicetur, ut sese putaret tertię quoq; filię do- A
tem tenere manibus. Ita ab inferno ereptus homo, noctes diesq; perpetuos, e-
reptoris sui desiderio æstuabat. statuitq; noctes insomnes per excubias duce-
re, quoad quis'nam esset hic, exploratum haberet. Nec minus admirabilis no-
ster, tertiam quoq; filiam nuptijs tradi cupiebat. Profunda itaq; nocte ueniens
tacito (ut assolet) pede per eandem fenestram tertiam introiecit dotem. Ac
peruigil pater decidentis auri strepitu monitus, quanta potest pedum uelocita
te prosiliens, Nicolaum tandem fugientem assequitur, comprehendit, tenet:
atque illius pedibus aduolutus, redemptorem suum, adiutorem, saluatorem
pereuntium animarum, flens gaudensq; compellat. Nisi enim miserationes
tuas (inquit) misericors excitasset Dominus, dudum iam perierat infelix cum
trib. infelicioribus natis pater. sed clementissimus Dominus per te saluauit nos,
& à crudeli peccati casu liberauit Dominus, suscitãs inopẽ à terra, & de sterco
re erigens pauperem. Talia lachrymantem, beatosq; osculantem pedes, Nico
laus ægrè compescuit. qui cum beneficium suum, quãta potuit humilitate at-
tenuasset, multis tandem adiurationibus, ut rem nulli mortalium patefaceret,
frustra precatus est. Vna igitur hæc ex innumeris propè misericordis homi-
ni huius eleemosynis. Quòd si reliquas quoq; recensere pergemus, quoties
indigentibus opem tulit, quoties pauit esurientes, quoties alieno grauatos æ-
re leuauit, immensi propemodum laboris id fuerit.

CAPVT VII.

POstea uerò quàm perfecta iam & absoluta uiri uirtus, illum maiore Dei familiaritate dignũ efficit, cæpit eum solitudinis cupiditas ingẽs: in eoq; desiderio diutius immoratus, statuit tandem ab omni hominum cœtu sece- B dentem in abditam aliquã eremum sese recondere, ut remotior mundo, Deo fieret propior. Eremus em̃ quietis atq; tranquillitatis animi optima parens & nutrix, comes uerò atq; tranquillitas cogitationum, diuinæq; cõtemplationis fructifera radix, certaq; pronuba cum Deo coniugij spiritualis. Itaq; cum ueteri uisendæ Palæstinæ desiderio teneret̃, ubi Saluator noster ante crucem inter mortales uersatus est, nauim in Aegyptum redituram conscendit, ut inde ad loca sancta profectus, solitudini se deinde dicaret. Sed Palæstina & eremo intermissis, nauigationi ipsi paululũ indulgeamus. Igitur è portu, tranquillo cœlo soluentes, rectà in Aegyptũ enauigant. cum autem docti nautæ nihil ad uersi suspicarentur, quos tamen diuturnus usus futurarum tempestatum præscios solet facere, Nicolaus illis horrẽdas uentorum turbinumq; procellas imminere prænunciat. Etenim uidere se ait, humani generis hostem iratum, nauim stricto gladio ingressum, atq; rudentes, omniaq; simul mali & claui retinacula concidere cupientem, molientemq; nauim quasi rapidis uorticibus circumactam, in profundũ cum uiris ipsis demergere. Vix ea fatus erat, cum derepente, quasi signo dato, uehemens atraq; uis tempestatũ exoritur. Vndiq; horrendo fragore erumpunt turbines, mare uertitur funditùs, tolluntur fluctus in cœlum. Trepidi nautæ subito metu perteriti, ad genua se Nicolai prosternũt. Orant miserere, periclitantib. opem ferat, Dei auxilium pro se imploret, quibus nulla reliqua sit spes salutis. Tunc uir Dei confidere illos iubet, ac breui hoc periculo liberatum iri: modò iactent spem suam in Domino, qui saluos facit sperantes in se. Pòst cum paululum orasset (mirabile dictu) sedantur fluctus, turbines in leuem auram dissoluuntur, lux atram caliginem dissipat, & iam undiq; læta tranquillaq; pereuntibus dies redit. Tum nautæ à lachrymis in gaudium uersi, ex animo gratias cùm Deo, tum admirabili famulo eius habere fatentur: duplici uiri admiratione commoti, quòd & futurum prædixisset periculum, & præsens tam facilè sustulisset. Auxit autem illorum admirationem insequentis quoq; rei miraculum. Conscenderat nauta supremum atten-

A mum attennæ cornu, ut solutos carbasi funiculos religaret. Is dũ incautior descendere pergit, & manus illum falleret, magno lapsu super nauis tabulata corruit. contusum corpus iacet exanime, & sine dubio è uita migrarat. Tum Nicolaus misericordia uehementer motus, defixis in cœlum luminibus, orauit intentius. Inde rediens & primùm cœpit illum lachrymans contrectare. mortuus quasi è leuißimo somno excitatus resurgit: & corpore, ut prius, integro ad obeunda munera nauis redit. Post hæc uir Dei pandere illos uela iubet. Illi toto sinu flantem à tergo Corum accipiunt. nec prius illos felix deseruit aura, quàm Alexandriam adducti sunt. Ibi nautæ peruulgatis, quæ uiderant, miraculis, ciuitatem incredibili huius uiri uisendi studio excitant. Hic bone Deus multa per seruum tuum mirabilia Aegyptijs ostẽdisti. Et erat operæprecium magnalia illa tua Domine uirtutum singula recensere, nisi hoc esset negotij nimis longi. Magnus etenim factus ęgrotantium hominum ad eum concursus, magnus calamitosorum opem petentium, magnus ab immundis spiritibus uexatorum, magnus mœrentium, & infestis fortunæ casibus laborantiũ. Sed quis, donorum largitor Deus, quis inquam æger nõ sanus abscesit? Quis mœrens non lætus? Quis arreptitius nõ mundatus? Sed quid hæc ad te Domine, qui fecisti cœlum & terram in intellectu. Non tuam igitur incõprehensibilis Deus omnipotentiã admiramur: sed ministrum hunc tuum, quem suæ uirtutis merito uiuentem mortuumq; per omnia secula nouis quotidie signis clarescere uoluisti. Hunc iure miramur, hunc uniuersus orbis immortali gloria dignum laudat & extollit. tua tamen hæc laus est Domine, quia sine te laus ista non esset. Sed iam reliquum itineris absoluamus.

B CAPVT VIII.

EX Aegypto itaq; soluens, & in Palæstinam (ut cõstituerat) ueniens, ascendit in Golgotha. ubi pro salute generis humani, Christi patibulũ fuit. Inde cum ad diuinæ crucis lignum uenerandũ incederet, & nox illũ intercepisset, ferunt templi fores tunc clausas uenienti ultro confractis uectibus patuisse. Nec mirum id quidem: quippe cui cœli ipsius patebant portæ. Non enim caruit cumulata mercede ista profectio. uberiorem enim spiritus sancti gratiã, maioraq; deinceps omnium uirtutum atq; signorum dona, perpetuò eum habuisse accepimus. In Palæstina itaq;, quantum par fuit, moratus, in solitudinem sese colligere parat. Cæterùm Dominus, qui ciuitatẽ supra montem positam abscondi uetat, & ardentem lucernã poni sub modio: illi per uisum semel itaq; iterum imperat, ut ad oues quas reliquerat in Sion confestim redeat. Quod ubi diuinum id esse mandatum manifestè deprehendit, se ipsum abnegans, colla impiger diuino iugo submittit. Nauem Alexandrinam conduxit precio, cum qua è Palęstina in Lyciam remearet. Ast eum improbi nautæ dolo fallere aggreßi, suæ propè dederunt pœnas improbitatis. Nam sumpta mercede, cum è portu soluissent, non quò pepegerant, sed Alexandriæ proras obuertunt. Iam erat in cõspectu patria illorum tellus, cum repens exorta procella, clauo, antennaq; confractis, ultimum illis exitium minabatur. Tunc nautæ conscij perfidiæ suæ, ignosci sibi postulant: & supplices, ut deinde pro sua exoret salute, magno flagitant studio. Miram dictu rem, uix illi sermonẽ compleuerant, cum subitò uis omnis tam sæuæ tempestatis compressa resedit: & nauis, nouis surgentibus austris, in Lyciam pulsa applicuit. Descendens itaq; Nicolaus, sese ad monasterium confert. Quod auunculus eius (ut paulo antè dicebamus) sub nomine sacræ Sion, magnis ædificarat sumptibus. Eum fratres incredibili gaudio excipiunt, amplectunt, osculantur, & quasi angelũ à Deo sibi redditũ uenerantur. Hunc sibi locum Nicolaus quasi tranquillũ aliquem portum delegerat, in quo à turbulentis mundi actionibus ad contemplandam futurę uitæ fœlicitatem conuersus, deinceps quieturũ sese sperabat. Sed breuis

admodum ea spes, eaq; quies fuit. Non enim passus est qui omnia sapiẽter gubernat Deus, ut locupletissimus iste omniũ uirtutũ thesaurus humi lateret defossus, ex quo erat futura secula innumeris beneficijs ditaturus. Voluit enim ut magnũ hoc lumen, quod ipse immensa sua accenderat prouidẽtia, super magnum erectumq; candelabrũ, suis radijs uniuersum orbem per secula illustraret. Itaq; dum in secretiorẽ aliquando locũ, sese orandi cõtemplandiq; gratia, uti insueuerat, recepisset, uox eum de cœlo alloquit: Nicolae ad mũdi (inquit) palæstrã tibi redeundũ est, si meam coronã expetis. His uerbis exterrito, cogitantiq; quid'nam uox ista portenderet, iterũ uox eadẽ acrius intonans: Nicolae, inquit, nõ hic est ager, in quo fructũ quem ex te flagito, proferas. Ad homines redi, ut in te nomẽ clarificetur meũ. Tunc hac uoce Nicolaus planè sibi imperatũ à Deo intelligit, ut relicto ocio, ad deferendũ miseris mortalibus, quã possit opẽ, redeat. Hic cum Deo parendũ existimaret, diuq; secum uersasset animo, in patriam'ne, ac inter notos, an alio terrarum orbe sese habitaturus reciperet: fecit tandẽ humanæ laudis odiũ atq; contemptus, ut neglecta Patara & suis, Myras, ubi nemo quispiam illum nouerat, commigraret. A

CAPVT IX.

FOrtè aũt fortuna per eos dies Myrensis pontifex è uita migrarat: cuius rei gratia (quoniã ea ciuitas Lyciæ metropolis erat) prouinciales episcopi, q̃s suffraganeos uocant, frequentes illò conuenerant. Ibi de sufficiendo antistite actũ est. Tum, diuino operante spiritu, incredibilis quædã cupiditas cepit nõ episcopos modò, uerumetiã uniuersum clerũ, ut sanctissimũ atq; ornatiss. aliquem præsulẽ, sedes illa pro sua dignitate, amplitudine atq; gloria consequeretur. Quod, tametsi multi præstantes uiri nominabant, non tamẽ unusquisq; facile ostendebat, in quem huius cõsilij suffragia cõsentirent. Ita cum uaria (ut in conuentibu hominũ fit) studia eorũ essent, uariæq; sententię: placuit tandẽ precibus, omniq; supplicationũ genere orari Deũ, ut reuelaret, quis'nam esset huic obeũdo muneri deligendus. Magno studio diutius oratũ est, nec ieiunia etiã, nec pleraq; piet tis opera defuerũt. Tandẽ de cœlo Dñs nõ tam precantium meritis, aut sedis dignitate, q̃ huius immẽsi luminis patefaciẽdi gratia uoces eorũ exaudiuit: pręficiendũq; antistitẽ uni ex suffraganeis episcopis, uenerando senio, & uita præstabili reuelauit, hoc pacto. Huic enim antelucanã cũ cęteris episcopis orationẽ faciẽti, apparuisse quendã ferunt, habitu augustiore q̃ humano: eiq; imperasse, ut ab oratiõe confestim ad templi excubias se conferret, & quem primùm in templũ uenientẽ deprehendisset, illũ esse, ad quem diuino cõsilio episcopatus & ecclesiæ gubernacula deferant, hominiq; Nicolao nomẽ esse. Hæc iste cum cæteris episcopis nunciasset, uisum est omnib. ita fieri, quemadmodũ episcopo sanctissimo reuelatũ fuerat. At ne qua posset humana suspicio, Dei uoluntatẽ labefactare, omnisq; tolleret huius rei in fraudẽ nunciandæ occasio: decretũ est, ut nemo quisq; omnino de tẽplo ante rei finẽ egrederet. Tum omnib ad orationẽ cõuersis, hic unus ad exequẽda Dei mandata pro templi forib. excubat. Habebat suspensos omnes (ut est humanus animus solicitus futurorũ) huius tantæ rei diuiniq; iudicij expectatio. At Nicolaus media nocte ad confitendũ tibi clementissime Deus de more surrexerat, ignarus certè uoluntatis tuæ, cui tamẽ se totũ addixerat. Et cum in tuis laudib. (ut solebat) nocturna silẽtia absumpsisset, anteq; primos radios rutilãs aurora diffunderet, ortũq; solis ægris mortalib. nunciaret, in templũ te inspirãte Dñe, securus ire pergit. Quò cũ primus omniũ aduenisset, explorator iste diuinorũ iudiciorũ, ingredienti Nicolao tẽpli uestibulũ: Siste gradũ, inquit, fili mi. Dic, quęso qs es, quo'ue nomine uociteris? Tũ uas istud electiõis nil tale suspicans, mansuetè, uerecundeq;: Peccator, inquit, sum, & seruus inutilis, nomine Nicolaus. Tum ille uultus et morũ grauitatẽ, uerborumq; modestiã conspicatus, B

& uiri

A & uiri præterea nomē sibi cœlitus designatū, non dubitauit hunc illū esse, quē diuina uisio futurū episcopū prædixisset. Nō erat enim nescius, in quos soleat Deus respicere: in mansuetos uidelicet, & humiles corde. Itaq; incredibili plenus gaudio, sicut qui inuenit spolia multa, aut in absconditū agri thesaurū incidit: Sequere me, inquit, fili mi. & apprehensum dextera, ad reliquos introducit episcopos. Illi audita re, nouum episcopū non humano certè, sed planè diuino suffragio declaratū, insolita quadā ueneratione excipiunt, uenerantur, Deoq; laudem & gloriā decantantes, in mediū templi statuunt, non tam reluctantem, q̃ noui huius uelut prodigij stupore uix compotem sui. His cōtinuò promulgatis (quid enim est ocyus fama rerū, præsertim admirabiliū) ad tantæ rei spectaculū innumerabilis propè cōfluit multitudo. Tum surgēs episcopus ille, qui uisum habuerat, docet q̃ chari habendi sunt, quàm'ue à populis honorandi rectores animarū: illi præsertim, à quib. iustè, sanctè, humaneq; guberna rentur: nihilq; propemodū felicius esse illa ciuitate, cui istiusmodi antistitē habere cōtigisset: propterea lætari oportere Myrenensem populū, & Deo perq; maximas habere gratias, qui eum esset præsulē cōsecutus, à quo planè sperare liceat quicquid ab optimo atq; sanctiss. pontifice expectari par sit. Neminem enim dubitare oportere, hunc uirū esse omniū uirtutū arcam atq; thesaurū, & iucundissimū spiritus sancti diuersoriū, qui nō humano cōsilio, non episcoporum suffragijs, nō cleri aut populi electione, sed sola Dei miseratione sit pontifex declaratus. Inde omnib. quemadmodū euenerant, accuratè expositis, abire illos læto animo iubet, & gratias unumquenq; Deo pro immortali ac inæstimabili beneficio reddere, se cum cæteris episcopis ad unctionē nouicij pastoris iturū, quem spiritus sancti digitis inunctū manifestè iam perspiciant. Cum
B dicendi episcopus finē fecisset, uniuersus hominū cœtus in lætitiā, lacrymasq; profusus, discedit. Synodus frequens ad noui præsulis unctionē conuenit. A quo magno tandem labore impetratū est, ut se pateretur inungi, tum magistratus magnitudine, tū uiriū suarū (ut ipse putabat) imbecillitate deterritū: quanq; Dei hoc esse imperiū multifariā planè cognouerat. Quo igitur die Myrensem thronū conscendit, secum ait: Hic dies Nicolae, hic locus mores alios affert: iam non tibi, sed alijs est uiuendū, quandoquidē alijs uiuere, hoc est profectò sibi ipsi perq; maximè uiuere. Iste cū sibi uideretur cleri populiq; uitia partim corrigēda, partim tollenda esse: nō soli Deo, ut antè, sed hominibus quoq; uitā omnē suam palàm faciendā esse putauit, ut illi exēplo sui facerēt, quod precio, aut imperio, aut ratiōe fortassis facere noluissent. Erant eius pristini mores (ut iam expressimus) absolutæ uirtutis & formę, atq; accurata quadā castigatione compositi. At quoniā alia est priuati hominis ratio, alia magistratū gerētis, uitam moresq; pro magistratus dignitate transformandos esse putauit. Igitur in omni corporis cultu maiore q̃ antè incuria et negligentia fuit. Nihil erat in eo uenustū, nihil elegans, nihil accuratū, pręter mores, uiuendiq; disciplinā. Vestis plus solito uilis atque neglecta, in qua nullus esset omnino nitor aut fastus, sed castigatæ potius humilitatis, & modestiæ significatio. nec enim alio quouis pacto poterat sapientius aut facilius sacerdotū in uestitu luxuriem amputare. Nam quis tam impudens fuerit, qui priuatus preciosam & nitidam uestē non erubescat, cum magistratū amplissimū uiderit uulgariter & negligenter indutū? Ego præterea sic arbitror indumentorū splendorē hunc, & plus q̃ regium luxū, quo nostri antistites nunc utuntur, aut nullis ecclesiasticis, aut his solummodo magistratib. conuenire, quibus nulla excellens uirtus autoritatē uendicet, aut uenerationē: ut quod propria luce non possunt, externo fulgorę oculos uulgi perstringant. At in quo honestates uniuersæ ac modestię eluceat species, maior certè gloria est, atq; hominū admiratio ex ueste uulgari. Semel edebat quotidie, & uesperi quidem, ut publicis negocijs, quæ pro magistratus

amplitudine magna erant, multaq; diem liberius cõmodaret. Nec cœna tamẽ publico uacabat munere, quandoquidẽ tricliniũ eius suo cõsilio aut ope indigentib. patebat semp, & cœna sæpius pro negociorũ opportunitate intercidebatur. Cibus erat eiusmodi q ad ieiunitatẽ & abstinentiã q̃ ad saturitatẽ potius inuitaret. Carnes ab ineunte ætate ita dimisit, ut illas nunq̃ in omni reliqua uita resumpserit. Nõ plus uno ferculo cœnauit unq̃, nisi hospitũ gratia, quorũ dignitas aut affluentiorẽ escã, aut delicatiorẽ expeteret. Nunq̃ sine sacrorum librorũ lectione cœnatus est. Post epulas uerò grauis aliquis sermo sanctißimo atq; doctiß. conuentu dignus inducebat. Nam sacerdotes aliq̃t eruditiõe et uita probatos perpetuos sibi cõuiuas delegit, à quib. suauiore aliquo animi cibo aleret. A' mensa in cubile semisatur sese recipiẽs, totus in cœlestiũ contemplationum campũ diffundebat, & animũ diurnis alienisq; curis distractũ, nocturna meditatione collectũ refouebat. Cumq; inter has delicias aliquantũ noctis absumpsisset, membra tandẽ humi demissa, somno tantũ indulgebat, quantũ ad perferendũ diei labores sat putabat. Inde surgens, socios aduocabat, quibus cũ antelucana oratiõe resumpta, inter psalmos et hymnos aurora expectabat: tum unà cum sole in templũ prodiẽs, diuina exoluebat officia. A quib. ad pascendũ curandũq; gregẽ, reliquũ lucis accõmodabat. O antistitẽ admirandũ, & ab ecclesia meritò Magnũ cognominatũ, qui utramq; uitã ita cõplexus est, & nunq̃ à diuinarũ rerũ contemplatiõe negociũ, aut à negocio contemplatio læderetur.

CAPVT X.

VT aũt suorũ morbi facilius sanarent, medicos ad eam rem prẽstanteis magno studio undiq; cõquisiuit. Nam primum omnium id curauit, ut unaquęq; ex suis ecclesia eius generis rectorẽ haberet, à quo exẽplo atq; doctrina atq; studio uitia populi tollerentur, praui corrigerent mores, uirtutũ atq; religionis cultus induceretur: ijs medicis utebatur, ab his discebat quotidie, si quid insigne in animis corporibus'ue uspiã locorũ suorũ esset, quod suum auxiliũ aut præsentiã flagitaret. Incredibile autẽ est, quanto studio & charitate opem suam quoquo modo laborantibus impartiebat. Nõ labores ulli hominẽ fatigabant, nõ sumptus deerat, q̃ oppressos aliqua siue corporis siue animi mole leuaret: animo grauius laboranti medendo erat impiger iste, & longo, si oportebat, confecto itinere accurrebat. Iacebat quispiã ęgroto corpore pauper et egenus, nunq̃ quantũ necesse fuerat rerũ & pecuniarũ in hominis auxiliũ defuit. Non enim à Myrensibus tantũ, uerùm & à uicinis urbibus, haud parũ argenti in eleemosynas dispertiẽdi quotidie ferebat. Quod si necessitas aliqua occurrisset maior q̃ ut ei posset prẽsenti pecunia subueniri, à diuite aliq̃ misericorde quos multos habebat in promptu, pecuniam uel mutuò uel dono accipiebat. Nam prẽter necessaria corporis operimẽta et supellectilẽ tenui uita peropportuna, nihil ei reliquũ erat, quod uel pignori uel uenũ posset dari. Nam etiam quos legebat libros, mutuò petebantur. Ita semper uoluntariã paupertatẽ omnibus diuitijs facilè antetulit. Hoc aũt elegans in eo atq; præcipuũ fuit, q cum perfacilis eius ad omnes, & omniũ item ad eum accessus esset, amplitudinẽ tamen & dignitatẽ magistratus ita retinuit, ut dignus ꝓ sua grauitate uideretur, qui nõ modò Lyciã, sed multas quoq; prouincias gubernaret. Habebant Myræ nobiles quasdã matronas, uita, moribus & religione græstantes, quæ se totas ad misericordiæ contulerant studia. Is Nicolaus (quoniã sexus iste ad eiusmodi obeunda munera uidetur impigrior) quasi exploratoribus & ministris utebatur: quibus uinctis, ægrotantibus, egenis & indigentibus omnib. opem ferret. Nec ei deerant graues aliquot ciues, à quibus disceret, si quid in ciuitate fieret tum publicè, tum priuatim, quod sua, suiq; magistratus cognoscere interesset, ut ea cogitatiõe posset aut nascentib. malis occurrere, aut iam natis remedium adhibere. Haud multo aũt postea q̃ episcopatũ iniuit, prouincialem

habuit

A habuit synodū. In qua pleraq; multa, tum ad Dei templorumq; cultū, tum ad uitam moresq; cleri decreta præclarè & sapienter instituit, partim uetera corrigendo, antiquandóue, partim noua condendo, quib. uniuersa prouincia Lycia uteret. Atq; quotannis prouincialia cōcilia, quoad uixit, Cal. septēb. conuenere. In quib. de institutis ac disciplina cleri, deq; omni ecclesiarum statu accuratissimè agebatur: nec improbis censuræ ac pœnæ deerant, nec bonis faces, quibus ad meliorem uitam accenderentur. Initio autē magistratus sui ferunt, cum exoluendi officij, debitiq; reddendi magnitudinē formidaret, eum lacrymis & gemitu Deum sæpius intentissimè deprecatum, ut ab se intolerabilem hanc molem tolleret. Nam cum hinc animaduerteret de singulis sibi subiectis, qui innumerabiles propè erant, sibi reddendum esse rationem, illinc uires suas, quanq; erāt magnæ ualidæq;, nihil ꝓ sua humilitate existimaret, in desperationem satisfactionis adductus, animo incredibiliter angebatur: atq; sæpius ob id, cum uberes lacrymas effudisset, uocem tandē audiuit de cœlo, in hæc ferè uerba: Ne timeas Nicolae, ut à me, mea negocia fideliter gerēs, ingratè destituaris. Hac uoce maximè recreatus, & spem suā omnē in Deū conijciēs, opem sibi à Deo pollicebatur: sed ita pollicebatur, ut omnia tamen à seipso petenda putaret, quæcunq; opera & cōsilio præstare potuisset. Sciebat enim Deū eos nō iuuare solitū, qui seipsi negligēter deseruissent. Itaq; uires suas omnes tum animi tum corporis, ad gerendū id negocij explicauit: quas cū (ut dicebamus) imbecillas existimaret, duos sibi quasi consiliarios adiungit: Paulum uidelicet Rhodium, & Theodorū Ascalonitā, uiros in omni Græcia celebres, & quibus explorata uirtus atq; doctrina, & diuturnus præterea rerum usus autoritatem pepererat. Horum fide atq; cōsilio priuatim publiceq; plurimū utebatur,
B à quib. ita sciebat se diligi, ut nihil illi magis in eo cuperent, q̃ ut Deo placeret q̃ maximè. Ad eorum itaq; sententiam quasi ad fidele aliquod speculum proprios ornabat mores, & ad magistratum aptos accommodabat. In obeundis insuper episcopatus negocijs, si q̇d paulo difficilius iudicandum agendúm ue accidisset, hos sibi continuò adhibebat, cum quibus de re ipsa statueretur.

CAPVT XI.

INterea uetus humani generis hostis ira, crescentis Christianæ religionis feroces animos Diocletiani, Maximianiq; solito atrocius instigat, crudelioremq; q̃ antea persecutionē parat. Veniunt itaq; ab imperatore edicta in omnes qui Christianā fidem profiterent: quibus carceres, tormenta, uincula, postremò truculenta mors indicebatur. Hæc cum Myris publicè legerentur, aderant pariter imperatorij carnifices, Christianis nō obtēperantib. extrema omnia minitantes. At contrà Nicolaus pastor intrepidus, acerrimusq; Christiani gregis propugnator, fidelibus omnib. clypeum sese præstat: & Christi fidem, quanto potest ardore, ubiq; intonat, liberi profectò atq; sanctissimi pastoris officio fungens. Tum urbis præfecti ægrè ferentes contemni ab eo regia mandata: illi, nisi desistat, decernunt supplicia. At Nicolaus (perquàm erat enim martyrij cupidus) contemptis minis, acrior tum insurgens, tandem uinctus in longinquas custodias abducitur: in quas & Christiani multi ex uarijs ciuitatibus erant coniecti. Vbi non parum æui omnibus incōmodis captiuitatis affectus, tanta mentis constantia ac firmitate fuit, ut eum inter delicias uitam degere arbitreris. Nec exemplo modò, uerumetiā assiduis cohortationibus imbecilliores adiuuabat socios. Et uelut agricola bonus teneras plantas religionis, pietatis riuulis irrigabat, ut eorū radices in fertili stabiliq; solo defigeret. Robustiora uerò pectora ad martyrium inflammare, ardorem illis & spiritū addere, q̃ speciosa esset in conspectu Domini mors sanctorū eius disserere & prædicare quotidie: nilq; omittere, quo illi celso firmoq; animo breuem hanc, miseramq; uitam, pro beata illa & immortali contemnerent, non cessabat.

CAPVT XII.

A

INterea uerò benignus Dominus de cœlo suũ populũ miseratus, qui solem post tenebras, & post tẽpestates tranquillitatẽ solet seruis suis inducere, dissipare ꝓtinus, ac perdere crudelia sceptra parat, ac sui nominis inimicos de medio tollere: Diocletianos scilicet, & Maximianos, & quotquot cũ eis suo populo impiè præfuerunt. Erigit autẽ cornu salutis plebi suæ, & cœlesti crucis signo Constantinũ, Constantij & Helenę filium aduocat ad Romanũ imperiũ. Ille nõ ignarus, quis nam hic esset, à quo cœlitus uocaretur, omnẽ spem suam in eum conijciens, Maxentio confestim exacto, dignitatẽ nominis Christiani in propriæ maiestatis soliũ exaltauit, uertitq; priorũ lætitiam imperatorũ in luctum. Tum per orbẽ edicta profert, quib. iubet idola & gentiũ delubra euerti, solui eos qui pro Christi nomine uincti essent, instaurari Christianorum sacra, templa refici, & pristinũ ornatũ resumere. His Constantini edictis ubiq; promulgatis, Christi confessores soluti, unusquisq; in patriã suam redit. Sicq; Myrensis populus pontificẽ suum recipiunt, martyrem profectò uoluntate ac desiderio, atq; incruentũ athletã & bellatorẽ. A quo cũ cœlitus collata sibi dona miris modis exercerentur, tanta creuit apud populũ de illius uirtute opinio, ut iam planè miraculo omnib. esset. Hic cum uideret dæmonũ delubra quædã, nonnullasq; gentiliũ aras adhuc superstites, non exiguam impiorũ ac uarij generis hominum multitudinẽ ad eas cõfluere: atq; id mali serpere quotidie latius. Incredibili ardore accensus insurgit. Et undique Dei uerbum prædicans, ubi idolorum aram quampiam conspexisset, funditus euertebat. Nulli parcens, neminem metuens. Nihil nisi de Dei gloria, hominumq; salute solicitus. Sic itaq; omni dęmonum cultu eiecto, puram gregi suo tranquillitatem & requiem comparauit. B

CAPVT XIII.

HAec cum Christi miles, imò imperator & dux, aduersus principes tenebrarum nõ minus fœliciter q̃ fortiter auderet, cepit continuò illũ libido, quatenus ne ab ipso Dianę templo abstineret, facinus siquidẽ desiderandũ potius q̃ sperandũ. Erat enim ædes hæc admirabili pulchritudine, & magnitudine singulari, & quæ à Myrensi populo inter primaria urbis ornamenta præcipuè coleretur. In hanc igitur cum robustissima iuuenũ manu impetũ faciens, non solo illam ut cæteras æquasse contentus, fundamẽta quoq; radicitus euulsa disiecit, nullo prorsus ciuiũ obsistente. Horrenda res erat, profligatorum dęmonum audire ululatus immurmurantiũ, terribiliq; stridore inclamantium, nunc se per iniuriam è sedibus proprijs eijci atq; fugari.

CAPVT XIIII.

HIc itaq; triumphus armis eius & militiæ aduersus infideles finẽ fecit. Nõ aũt animo corporeq; in alienũ auxiliũ exercẽdo, aut mirabilib. faciẽdis: quæ quoniã multa sunt, nõ omnia iccirco silentio patiemur obrui, & obliuione, sed strictim paucula attingemus: si prius ostenderimus qualẽ se ipse præstitit in illo celebri & omniũ nobilissimo Christianorũ conuẽtu, qui iterũ Niceæ est habitus. Constantino igitur, qui primus Christianorũ cultũ in uniuersam suam ditionẽ induxit, Romanũ imperiũ gubernante, Iulius, qui summus tunc erat pontifex, nõ modò Constantinũ, uerumetiã cæteros omnes quib. pręerat imperator, ad orthodoxę rectæq; fidei ritũ & disciplinã assiduè inflammabat. Et cum Arrianus error haud paruam orbis partem occupasset, pontifex tandem effecit, ut suo imperatorisq; iussu, uniuersale Christicolarum concilium Nicæam conuocaretur, ubi dogmata incorruptæ fidei Christianorũ comitiorum firmarentur autoritate, pariterq; ut Arrius Arrianæq; stultitiæ sectatores, damnati è repub. Christiana abigerent. Ei consilio affuerunt trecenti decem & octo episcopi: inter quos Nicolaus nõ minor doctrina q̃ uita, neq; sermone,

A mone, & opere in refellendis Arrianis fallacijs iudicatus est. Heresim illã acutissima ingenia tuebant, & uiri omni doctrinarũ cultu & elegantijs expoliti: quos cõtra nõ modò disputationibus & lingua, uerùm multo maximè supplicationibus, et assiduè ad Deũ precib. Nicolaus pugnabat. Ita cũ illorũ tandem argutias et errores ipse cũ cæteris ueritatis defensorib. dissoluisset, canonemq; ipse & reliqui synodi patres orthodoxæ fidei præscripsissent, homousion uidelicet, hoc est, consubstantialẽ patri & æqualẽ credendũ esse Christũ, resarcita scissura ecclesiæ. Inde discedens, ad propriũ gregem regressus est: cui neq; doctrina, neq; exemplo, neq; assidua exhortatione defuit, quo magis omnes ad uirtutẽ, ad mores, ad animi cultũ, ad pietatẽ religionemq; perpetuò cõcitaret.

CAPVT XV.

ACcidit aũt ea tempestate, ut terrã Lyciam ualida uexaret fames, tantaq; Myris, alibiq; tritici egestas esset, ut iam ad interitũ hominũ res spectaret. Tum Nicolaus ad horrea Dei, hoc est orationẽ confugit. Per id aũt temporis mercator quidã in terra Sicilia magnã frumenti uim in nauim intulerat, exportandi in Hispaniã, dandiq; uenum causa. Huic noctu dormienti Nicolai simulacrum sese per uisum offert. Imperat ut Myras triticũ statim tẽpore aduehat, ex eo grande precium relaturus, fidemq; uerbis, tribus datis aureis, facit. Excitatus ille, cum aureos propè, & cubile clausum inuenissent, admonitũ se diuino numine ratus, Myras sine mora frumentum uehit, preciumq; accipit quod dormienti sibi spopõderat Nicolaus. Eo pacto Myrę sæuientis iam inediæ uim repulere. Ita cum mercator rem omnem ut sibi euenerat, cunctis palàm fecisset, Myrenses suum præsulem maiori deinceps quàm hominem uene-
B rari par sit, honore & laude sunt prosecuti.

CAPVT XVI.

EA tempestate Constantino nunciatum est ab nonnullis rerũ nouarũ cupidis, seditionẽ haud negligendã in superiori Phrygia excitatã. Tunc Constantinus tres ad eos reprimendos motus legatos mittit: Nepotianũ uidelicet, Vrsum & Herpilionẽ. Hi celerè cum armis ad negociũ sibi datũ profecti, Andriaciama appulere: id erat in terra Lycia oppidum, subiectũ Myrẽsibus. Ibi milites aliquandiu aduersa maris tempestate detenti, emendorũ ciborũ gratia in terram egressi: tandem (ut est eiusmodi genus hominũ rapax, & alieni appetens) ad prædã incolarũ sese uertunt, multa rapiũt per uim, plurima temerè deuastant. Quorũ improbitas cum indies augeretur, uicit tandẽ incolarũ patientiam effrenata licentia militum. Igitur agrũ omnem armat iniuria, seditio & tumultus exoritur, & iam in mutuam cædẽ utrinq; ruebatur: cũ Nicolaus (is enim rem perspiciens) citato pede ad locũ uenerat, adesse nunciatur. Tum oppidũ omne, necnon & ipsi imperatoris legati ac milites (tanta erat in omni Lycia Nicolai autoritas atq; nomẽ) depositis armis, uenientem episcopũ, obuiam progressi, incredibili quadã ueneratione ita excipiunt, ut nullũ penitus tumultus aut irarũ uestigiũ appareret. Nicolaus rem sedatam animaduertẽs, benignè legatos congressus, in urbem honorificè perhumaneq; inductos, hospitatus est. Dum illi sę placatis uentis ad nauigandũ expediũt, adsunt Myrenses aliquot anxij flentesq;. Hi ad sancti uiri pedes prouoluti, celeritatẽ & auxilium conclamant, cõtra nequissimi hominis uim atq; iniuriã. Eustachiũ enim præfectũ urbis auro uictũ, tres innocentissimos ciues capite damnasse, ciuitatem omnẽ in luctu esse, unã reliquã superesse in Nicolao spem: qui si affuisset, ille nunq; tam immane facinus in animũ induxisset. opus esse maturato: ni citò accurrerit, de capite & fortunis insontiũ actũ esse. Hæc illi cũ flentes lamentarent. uir Dei diuineq; misericordię imitator, rei crudelitate uehemẽter percitus, iter arripit. Cõstantiniq; legatos cõtra pręfecti uim, si oporteat, sibi comites et adiutores adiungit. Itaq; cũ in locũ, cui Leo nomẽ est, aduolasset, obuios quosdam

quosdã rogat, si quid de tribus his damnatis ciuibus exploratũ haberet. Illi reliquisse eos aiunt in Castoris & Pollucis campo tractos ut mactarent. Tum Nicolaus ad locũ uelox cõtendit, ut illorũ praeueniat necẽ. Iam miseros illos crudelis carnifex tyranni iussu ad portam loci pertraxerat, ubi capite damnatos plecti mos erat. Quò Nicolaus incredibili ardore flagrans cum irrupisset, uidet magnam mortalium uim undiq; circumfusam, & tres (miserum dictu) manus post terga uinctos, & lumina linteolo uelatos, nuda colla carnificis securi praebentes. O miserum spectaculum, & indignum profectò quod humanos suae immanitatis testes haberet. Iam carnifex securim erexerat, & furenti similis truculentos oculos in miseras ceruices defixerat, nihil aliud quàm crudelitatem atq; cruorem gestu, uultu, foedaq; uoce significans. At diuinus hic noster, ut primùm pia lumina nefario iniecit spectaculo, non tumultuans quidẽ, aut temerarius, sed grauiter admodum, & cum seueritate carnificem compellat: Quid agis scelestè? securim contine: simulq; accedens intrepidus, & fiduciae plenus cum regia quadam autoritate, securim è manibus extortam abijcit: tribus damnatis lumina & manus reddit, bonoq; animo esse iubet. Haec cum ita fierent, nemo tamen quisquã ausus est ex omni apparitorũ turba, nõ modò Nicolao obsistere, sed ne in eum quidẽ uel attollere oculos: tanta erat morib. authoritas, gratia atq; maiestas, tantaq; de illius uirtute omnium mortaliũ existimatio. Rei praeterea indignitas, illis (ut arbitror) manus & linguam ademerat. Tum tres illi sanctissimi uiri beneficio in lucem restituti, quanta poterant uoce cum lacrymis beneficiũ extollebant: simulq; uniuersus campus, in quem facti misericordia ciuitatem propè omnem conciuerat, in eius laudes resonabat. Inter haec praefectus urbis cum aduenisset, ei Nicolaus neque obuiam ire, neq; uenientem inspicere passus est. Tum ille siue sceleris sui conscientia, siue poenae metu (si Constantinus factum rescíscat) in poenitentiam uersus, episcopum benignè cõgreditur. Ille repulsum seuera increpat uoce, affirmat hanc se publicam iniuriam non passurum, imploraturumq; non modò ultoris Dei, uerumetiam Constantini iustitiam in eum qui auro corruptus, magistratum sibi traditum foedè & crudeliter administrasset. Cumq; illi extrema minaretur supplicia, praefectus uehementius sibi timens, iam non uerbis modò, uerùm & lacrymis supplex sibi ueniam postulat, omniq; poenitentiae significatione Nicolaum sibi conciliare studet, in Simonidem & Eudoxium Myrensiũ principes iniuriȩ culpã falso transferens. Tũ incredibile est, quã ea res charũ omnib. hunc uirũ reddiderit, ut in eius laudes fusa multitudine confestim ea res tota Lycia celebraretur.

CAPVT XVII.

SEd iam Constantini legati confecta re, abeundũ rati, Nicolai benedictionem efflagitant, pulcherrimũ tutissimumq; itineris sui uiaticum. Ea accepta, benignè dimissi, proficiscuntur in Phrygiam: ubi cum motus illos sapienter cõpescuissent, Byzantiũ ad imperatorẽ regressi, honorificè & perhumanè excipiunt, nouis honorib. atq; donis aucti: quippe quorũ opera atq; consilio id incendij tutè matureq; extinctũ esset. Iamq; inter primos Cõstantino chari, & caeteris omnib. illustres & cõspicui habebant. Caeterùm hanc eorũ felicitatẽ non diutius pertulit, laudũ semper & gloriae hostis inuidia. ij enim quibus erat cum tribus istis de honore contentio, Byzantij praetorẽ clàm adeunt, conficta in illos crimina afferũt: quod scilicet illi pecunia uicti, in autores seditionis nõ animaduertissent, seminaq; eiusce mali reliquissent, breui maius periculũ paritura. Caeterùm accusationẽ hanc per se infirmam atq; suspectam, grandi pecunia praetori data communiunt. Praetor corruptus ad Constantinum omnia defert, comperta se habere horum peccata affirmans. Tum opinionem imperatoris de legatorum fide & integritate uicit suspicio, quae regum animos facilè occupat ac dominatur. Praetori itaque ab imperatore datur potestas,

A testas, Nepotianum, Vrsum, Herpilionem, huius accusationis ignaros, uinclis & custodia coercendi. Tum prætor se satis accusatoribus fecisse arbitratus, quòd illos coercuisset, pariter intelligẽs ficta illa cõtra insontes crimina fuisse, neq; ad quęstiones, neq; ad crimina quouis pacto discutienda accedit. Sic ergo cum aliquantulum æui effluxisset, ueriti accusatores, ne si uincti inopinatò dissoluerentur, periculũ patratæ fraudis in suam redũdaret ceruicem, ad prætorem redeunt: eum perq; multo cõcitant studio, ut negotium rerum intermissum resumat, efficiatq; ut illi factorũ suorum pœnas luant. Neq; sibi neq; prætori conducere, ut illi liberati acceptam iniuriam ulciscantur. Prętor & ipse sibi pro auro ab accusatoribus sumpto metuens, ad imperatorem redit. Vultu, gestu, oculis se malæ rei nũcium uenire dissimulat. Tum ubi fandi copia data est, legatos ait nondum odiũ suum satis expleuisse, ex his quæ contra imperij maiestatem gessissent in Phrygia. A quibus tãtum aberat primorum flagitiorum pœnitentia, ut etiam uincti & custoditi, noua nõ desinant pericula moliri, quibus nisi occurratur anteq; ueniant, frustra cum uenerint occursurũ. Cum itaq; suam fraudem prætor lachrymis cõtexisset, Imperator uera atq; comperta sibi afferri putans, simulq; motus, tum ira ob illorum ingratitudinẽ, tum metu sui periculi, mortem reis in crastinum decernit. Erat custos carceris uir tum humanitate præditus, tum ueteri cõsuetudine cum tribus his legatis cõiunctus, quorum calamitatem ægrè admodum & molliter semper tulerat. Ad eum igitur cum tristis crastinæ cædis nuncius aduenisset, exclamãs: Me miserum (inquit) & hominum longè infœlicissimum, quem tam funesti ludi spectatorem fortuna delegit. Quàm noluissem unquam hos carceres conspexisse. Quàm pręstabat, in ultimis terrarum finibus nunc abesse. His uocibus custos omnem com-
B pleuerat carcerem, neq; largi fletus lamentis deerant. At tres illi, quibus uitæ factorumq; innocentia dudum & mortis & pœnæ metum ademerat, ad subitum nuncium cõsternati, Quæ nos (inquiũt) aduersa fortuna in hoc miseriarum atq; calamitatis impulit? Quæ tanta in nos falsa suspicio potuit, ut insontes sceleratorum hominum supplicio damnaremur? Tum amicis, cognatisq; qui aderant, frustra imploratis. Quandoquidem (aiunt) nihil præsidij innocentibus in terris est, Deum ipsum integritatis nostræ testem, & iniuriæ atq; necis ultorem inuocamus. Inter hæc Dei miseratione effectũ est, ut Nepotianus in memoriã Nicolai ueniret: iamq; uersaret animo quo pacto ille damnatis Myrensibus succurrisset, qua ui atq; misericordia eos ab interitu uẽdicasset. Hæc cum socijs in memoriã reuocasset: Et quid (inquit) spei nostræ saluti superest, nisi ut hunc ipsum innocentię nostræ patronũ ex animo imploremus, qui pulchrè didicit insontes ab omni mortis periculo liberare? Tum & duo reliqui ad orationem lachrymis & mente conuersi, sanctissimi uiri patrocinium inuocant. Exaudiuit eos autem Dominus de excelso sancto suo, & de cœlo in terram aspexit. Audiuitq; gemitus cõpeditorũ mirabilis Dominus in sancto suo, cuius nõ est passus frustra patrociniũ implorari. uoluit eñ, ut disceret reges & omnes populi, principes, & omnes iudices terræ, regum regem in cœlis esse, qui non spernat iniurias pauperum, qui soluat iniustè cõpeditos, & elisos erigat. Noctu enim per quietem imperatori Nicolaus apparuit ore profectò sicuti uenerãdo, ita et terribili formidolosoq;, atq; illi imminens: Surge cõfestim imperator (inquit) & Nepotianum, Vrsum, & Herpilionem uinculis & custodia solue. Falsò enim & per inuidiam accusati sunt, & iniuria abs te damnati. Id nisi feceris, intolerabile tibi bellum indico, & fœdam insuper stragem, turpissimumq; tibi domuiq; tuæ interitũ, uerus Dei præco nuncio. Tum imperator rei nouitate perculsus, miratusq; (ut sæpe in somnis solet) cum uiri maiestatem & uerba, tum quòd intẽpesta nocte in regiã, regisq; penetrasset cubile: Et quis tu es (inquit) qui hęc mihi denuncias & minaris? At ille, Nicolaus sum, Myra-

rum Dei miseratione antistes. quo dicto, ab eo euanuit. Et Allabio prætori tūc A
quoq; dormiēti sese per uisum offert, eodē oris habitu, ijsdemq; uerbis, quibus Constantinum terruerat. Tum Constantinum somnij terrore excitatum, secumq; tum minas horrendas, tum minantis speciem reputantē, pauor nō mediocris occupat, idq; uisum minimè negligendū ducit. Eodē pauore, eademq; animi cogitatione cum teneret prætor, ab imperatore adueniunt nuncij, qui uisa ab eo per quietem accuratè exponant. Tum prætor metu adaucto, ad imperatorem confestim uenit: quæ uidisset, quæq; audisset, quantum potest, uerissimè explicat. Ita cum singula utriusq; somnij conuenirent, & uelut ab eodem imperante, quasi signo dato, in utraq; cubicula irruptum esset, tādem uisum est reos ipsos è uinculis accersiri. Qui cum coràm constitissent, rogantur, num disciplinā magicam didicissent. Cum negarent illi, & studia eorū omnibus manifesta esse contenderent: Rex, num (inquit) de interpretandis, aut inducendis somnijs exploratum habetis aliquid? cum illi negarent, Cōstantinus se per uim (quandoquidem uolūtariè non licet) ueritatem ab illis extorturum minatur. Illi regis iustitia implorata, neq; magicam, neq; ullam somniorum disciplinam usquam attigisse affirmant. Se à parentibus ab ineunte ętate ita educatos, institutosq; ut nihil didicerint, nisi imperatorem uenerari, illum colere, illum rebus anteferre omnibus, quas mortalium animus solet concupiscere. Hoc institutum ita constanter & perpetuò tenuisse, ut nihil nisi pro augenda imperij maiestate dixerint, fecerintue. si secus compertum habuerit, nulla se prorsus misericordia dignos putet. At si nōnihil quandoq; tuēdi extollendiq; Romani imperij causa fecerint, si uitam sæpenumero minimi pro illius dignitate æstimarunt: si data sibi ab eo negotia, castè integreq; gesserunt, iam non præmia, quibus amplissimis eiuscemodi facinora donari solent, sed fama tan- B
tum, nomenq; ut sibi restituatur suum, supplices postulare. His uerbis, cum uultus gestus, lachrymæ oculis obortæ fidem facerent, cœpit Cōstantinus de illorū innocentia cogitare, & suæ pœnitere sentētiæ: quippe qui Dei iustitiam formidaret: uereretur q; ne si ipse innocētes damnaret, nocēs ipse diuino iudicio damnaret. Iam itaq; benignus illos inspicit, benignus alloquitur, ut uultus uerbaq; pœnitentiā animi sui facilè indicarent. Tum illi paulo fidentius Constantinum intuiti, Nicolai simulacrū continuò uident asśidētis imperatori, & nutu sibi ueniam & misericordiā pollicētis. Tum Nepotianus, & duo reliqui deinceps uehemētiore animi exultatione permoti, sublatis in cœlū oculis conclamant: Deus misericors, Deus Nicolai, qui tres innoxios olim Myris ab interitu liberasti, libera innocentes sperātes in te, ne angelus hic tuus frustra uideat nostrum patrociniū suscepisse. Miratus hunc sermonē Cōstantinus, quid sibi hæc uerba uelint, rogat: quiue hic Nicolaus sit, quos ue tres ab interitu liberarit. Tunc Nepotianus ordine exponit omnia, & quid ipsi Myris uidissent, & quo pacto in uinculis illius auxilium implorassent, quem ponè asśidentē conspexerint. Constantinus (ut par erat) miraculo rei commotus, neq; immemor domesticæ clementiæ ac lenitatis, quam à maioribus acceptā magno ipse semper studio auxerat, utroq; somnio cum istorum narratione collata, solui confestim tres uinctos iubet, & pristinę dignitati restitui. atq; ad illos cōuersus, Abite ad eum (inquit) qui me de fortunis & capite uestro solicitus territat dormiētem, & gratiā illi reddite, eiq; meo nomine nunciate, quid sui gratia fecerim. Hæc cum dixisset, euangelium aureis literis proferri iubet, aureumq; turibulum, gemmis & arte insigne, & duo præterea puro ex auro candelabra: ea omnia imperat ut Nicolao offerant, quibus inter sacrificandum utatur, suę pietatis perpetuum monumentum. His, alijsq; admirabilibus uiri factis, eousq; nomen eius diffusum est, ut iam uel remotas orbis terrarum plagas attingeret, esset q; calamitosis & periclitātibus certisśima spes atq; profugium, quibus ille

uocatus

A uocatus deesset nunquam. Qua uerò misericordia atque pietate nauigantes olim è faucibus mortis extraxerit, operæprecium arbitror enarrare.

CAPVT XVIII.

FErunt enim nautas quosdam horrenda disiectos tempestate, furentique pelago propè absorptos, Nicolai quem nunquam uiderant, auxilium inuocasse. Audierant enim quàm multos sæpe è summis periculis liberasset. Itaque iam non manibus fidere, non clauo, non uiribus ullis, aut arte nauigandi: sed toti in sanctissimi uiri inuocationem proiecti, cōtra procellarum rabiem, hoc quasi tutissimo scuto sese tueri, illum inuocare, illi manus tendere, illi tota mentis cogitatione inniti. Tum hic noster, impiger humanarum calamitatum adiutor, inclinante iam naui, & pelagus imbibente, oculis omnium manifestus, Ecce (inquit) adsum quem inuocatis, opem, si sperabitis, allaturus. In Deo confidite, cuius ego minister adueni. simulque clauo, cernentibus cunctis, arrepto, nauim erigit, gubernatque. Inde mare minaciter increpans, fluctus confestim sæuientesque procellas placat, ut nautæ dicerēt, Quis est hic, quia mare & uenti obediunt ei: & ipse Christi promissis fidem faceret, dicētis: Amen dico uobis, qui credit in me, signa quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Ita cum procellarum omnis illa superbia resedisset, eisque placidam reddidisset nauigationem, ex oculis eorum euanuit. At nautæ ut primùm illos optata tellus excepit, Myras quæ stadia uiginti à mare aberant, rectà contendunt, saluatoris sui uisendi cupiditate incensi. Vbi cum sciscitantes didicissent beatū hunc in templo cum reliquo clero diuina officia exoluētem, templum ipsi anxij petunt. Erat sanctissimus hic noster sacerdotum choro immixtus, nihilque habebat insigne, quod à cæteris secerneret. In quem simulatque nautæ oculos conie-
B cerunt, quasi bacchantes per confertam turbam ad illum irrumpunt, prostratique: Hic est (inquiunt) hic est, cui uitam planè debemus: hic est cuius ope ab interitu erepti sumus: hic est qui inuocatus ut parens, misericors laborātibus præstò fuit. His uocibus cum in se circūfusos Myrenses conuertissent, rem omnem ut ab initio gesta fuerat, edixerunt. At Nicolaus ora ingenuo quodam rubore suffusus: Date (inquit) gloriam Deo filij, ego peccator sum, & seruus profectò inutilis, ipse est qui facit mirabilia magna solus. Inde illos seorsum euocatos, cum placida quadam seueritate admonet, ut post acceptam corporis salutem, animi quoque salutē non negligāt. Habebat enim ex spiritu sancto, quem in illum Deus ubertim effuderat, ut alieni cognosceret cordis arcana. Ex quo nautas istos sciebat peccatis quibusdam & diabolo esse obnoxios. Cognoscite igitur (inquit) cognoscite filij errata uestra, & corda motusque uestros in tutiorem portum traducite, Deumque horrendum iudicem formidate. Estis enim (ut inquit Paulus) Dei templum: qui uerò Dei templum corruperit, ut corrumpat & destruat illum Dominus, æquum est. Ego (ut dicitis) uestræ corporalis salutis adiutor, spiritualis nunc periculi nuncius uenio. Et cum post hæc secretiora quædam illorum peccata proferret, eos iusta admiratione & pœnitentia repletos dimisit. O medicum expetendum, & omnium mortalium linguis per secula celebrandum, qui cum corpora omni periculo liberaret, animos quoque sanctificare non neglexisset: ut totum hominem sanum redderet, eius nullam omnino partem incuratam prætermisit. Quam ob rem uerè putandum est, Deum ipsum, hoc tantum terrarum cœlique ornamentum suis plasmasse digitis, & inter primas suas delicias habuisse: dedisseque animo illi profectò cœlesti, habitaculum pari omnium elegantiarum ornatu præditum. Sic enim inter ueterum memorias literis græcis mandatum inuenimus: beatissimum hunc, cœlesti quadam oris & uultus uenustate fuisse, moribusque senili ac uenerāda grauitate iucundis, & ueluti sanctificationem quandam & gratiam ex se spirantibus, in cuius intuitu ea esset uniuersæ honestatis species & exemplum, ut sibi

congressos, aspectu solo à uitijs ad uirtutẽ facilè reuocaret. Si quem autem nactus esset ulla animi molestia laborantẽ, nunquam non abundè consolatũ atque lenitum ab se misisset. Tradunt præterea ex eius uultu uelut coruscantia fulgura micare solita, faciemque super humanũ eluxisse splendorem. Sermo erat admirabili quodam lenocinio & suauitate suffusus, grauis, modestus, & in sententiam facile etiam reluctantes trahens. Cõpertum enim habemus, multos illum de ueritatis curriculo declinantes, & in hæreticam foueam delapsos, ad catholicæ fidei semitam reuocasse, ut in opere atque sermone iustè sit habitus efficax. A

CAPVT XIX.

HIc itaque tantis præditus ornamẽtis, sic inter mortales uersatus est, ut cœlo semper & immortalitate omniũ consensu dignissimus uideret. Qui cum diutius quasi liliũ intra Myrenses hortos iucũdissimè redoleuisset, & ueluti unguentũ fragrans diuinarũ uirtutũ odorẽ atque suauitatẽ ex se spirasset: tandem dierũ sanctorũ plenus, in uiridẽ senectutẽ incidit. Iamque cum cõmuni hominum lege litandũ esset naturæ, in breuẽ, eamque leuẽ ægritudinẽ incidit. Ita cum intelligeret hinc sibi migrandũ esse, beatus iste superioris Hierusalẽ ueteri desiderio flagrãs, in hymnos & gratiarum actiones totus diffundit: omnique lętitiæ significatione ualedicto, in cœlũ, quod sibi apertũ cernebat, euolat: longeuã illic & sempiternã acturus uitã, angelorũ splẽdoribus cõsors, diuinæque pulchritudinis perpetuus contẽplator. At uenerabile corpus singulare orbis terrarum ornamentũ, episcoporũ uniuersique cleri & populi laudib. et lacrymis decoratũ, humat in templũ, quod Myris maximũ atque pulcherrimũ ea tẽpestate fuit.

CAPVT XX.

EX purissimis autẽ illis et redolentibus mẽbris, per anteacta secula in hunc usque diem nectareus distillat liquor, certissima spiritualiũ ac corporalium ægritudinum medicina. Eius itaque fama, cum ad remotissimas quoque prouincias subitò penetrasset, ad eius uenerabilẽ tumulũ incredibilis continuò factus est hominum ex omni plaga concursus. Neque illis, multorum licet dierum itinera, uisendi busti desiderium adimebant, ut & sacro ungerentur liquore, & tumuli ipsius complexu & ueneratione consecrarentur. B

CAPVT XXI

SEd antequam finem faciamus, primũ saltem eius post mortẽ admirandũ in nautas facinus exponamus: reliqua, quoniã propè innumerabilia sunt, & hominum linguis undique celebrata, prætermittamus. Cõpertum habemus quosdam amplexandi tumuli desiderio, à Tanai hostio soluisse, ut Myras cõtenderent. Cum autẽ in nauim sarcinas & uiaticũ intulissent, inuidus ille dæmõ, qui in eo Dianę colebat templo, quod pauloantè dicebamus à Nicolao deiectum, huius nauigationis causa cognita, ad impediendos homines, si posit, sese dolo & fraude exornat. Nondũ enim exciderat animo ædis illius à fundamentis euersio: non uiolenta, ignominiosaque cùm sui, tum ministrorũ suorum è Myris expulsio: non cultus hominũ ad se confluentiũ sibi ademptus. hæ faces ad ultionem dæmonẽ inflammabant, præter insitã nocendi libidinẽ, & alienæ uirtutis odiũ immortale, quo in expulsorẽ suum iam toto illustrẽ orbe flagrabat. Igitur mulieris formam induit, uas olei plenũ humero gestantis. Et nauim conscendens, se ait magno teneri desiderio eiusce tumuli adorãdi: sed imbecillam corpore, stomachoque maris & nauseæ crudelitatem non posse preferre, missuram se (quando proficisci nõ licet) oleum illud quo tumuli lampades accẽdant. Rogat itaque, ut oleum ipsi suo nomine, sanctissimo monumento offerant. Illi facilè persuasi, quippe quibus nulla inerat suspicio fraudis, dolium accipiũt. Erat in eo profanũ nescio quid diabolica execratũ arte, & dignum profectò, quod à dæmone nocendi causa præberet. Soluentes ergo, cum diem unum prosperè sulcassent mare, cœpit insequens aurora Zephyros in prorã mittere: & noctes

diesque

A diesq; deinceps plurimos sic pertinaciter aduersi erãt, ut nautæ tædio diuturnę procellæ, infecto itinere de reditu cogitarẽt. Iamq; proras obuerterant, cum in fatigatus hic noster omniũ laborantiũ adiutor, lembo se redeuntib. offert. Quò uiri tęditis (inquit) quid cõstitutũ iter deseritis? uestrũ est uiri uentos in puppim cõuertere, & aduersæ nauigationis tollere impedimenta. Diabolica hæc falla-cia est. Nõ enim fœmina doliũ, sed infernus uobis dæmõ cõmendauit. liberate nauim hac peste, et uas in mare abijcite, erũtq; deinceps omnia uobis secunda. Nauigãtes imperãtis ueneratione permoti (inerat em̃ homini diuina quędam maiestas) uas ipsum in pelagus repentè cõtorquent, ex quo tetra quædã exi-liẽs flãma, fumo et caligine aẽrẽ totũ obnubilat, intolerabiliq; fœtore cõplet o-mnia, tãtoq; stridore uas ipsum mari excipit, ut è damnatorũ officinis exisse ne mo ambigeret. Tum Nicolaus cum sese, quisnã esset, patefecisset, ex oculis eo-rum euanuit. Inde nunq; constituto itineri clementes auræ defuere.

CAPVT XXII.

HAec sunt sanctißime pater pietatis tuæ à Deo collata præmia: hę sunt la-borum retributiones, hæ certaminum tuorum coronæ, ad te in hoc mun do delatæ. Nam quæ apud immortales spiritus es cõsecutus, illa eiusmodi sunt quæ nec ullo corporis sensu, neq; ulla mentis cogitatione percipiãtur. Ego ue-rò minimè dubitauerim te fortißimum martyrem & incruentũ appellare bel-latorem. Siquidem non tam mors ipsa per se & cruoris effusio, q̃ moriẽdi pro Christi nomine ardor efficit. Nam Christiani nominis sæuos oppugnatores (quãdoquidem corpore uolens non potuisti) uita, moribus, doctrina, oratio-ne deniq; contriuisti, piè credentibus ualidißimum auxilium præstitisti, ulti-ma minantes supplicia contempsisti, uincula lętus subijsti: nihilq; præter carni-
B ficis crudelitatẽ tuo debuisse martyrio, intrepidus affirmarim. Sed tua uita beatißime pater, Deus rerum sapientißimus dispensator, plus q̃ morte dele-ctatus est, ut te genus humanum q̃ diutißimè, clementißimo, & super omnes impigerrimo frueretur patrono in terris. Tuq; rogatus de diabolo, pro innu-meris ciuibus Christianis ab te saluatis, gloriosißimè triumphares cum Chri-sto in gloria, per immortalia secula seculorum. Amen.

FINIS.

VITA S. ANTONII DESCRIPTA PER ATHA-*nasium, ex Græco uerò translata per Euagrium Presbyterum.*



ANtonius nobilibus religiosisq; parentibus natus, ex Aegypto o-riundus fuit, tanta suorum & sua nutritus cura, ut nihil aliud preter parentes domumq; cognosceret. Et cum iam puer esset, non se lite-ris erudiri, non ineptis infantiũ iungi passus est fabulis: sed Dei de-siderio flagrans secundũ quod scriptũ est, innocenter habitabat domi. Ad Ec-clesiam quoq; cum parentibus sæpe cõueniens, nec infantũ lasciuias, nec pue-rorum negligentiam sectabatur: sed tantũ ea quæ legebantur auscultans, utili-tatem præceptorũ uitę institutione seruabat. non suis, ut solet illa ętas, incurio-sus pro uarijs & delicatis cibis unq; tædio fuit, non escæ mollioris blandimenta sectatus est: his solum quæ dabantur, cõtentus, nihil amplius requisiuit. *Studia pue-ritiæ.* *Mores.*

Post mortem autem parẽtum, annorum circiter decem & octo seu uiginti, cum sorore admodum paruula derelictus est, & domus & sororis honestã cu-ram gerebat. Nec dum uerò sex fluxerant menses, quibus ad Ecclesiã, ut sole-bat accurrens, recordabatur quomodo & apostoli omnibus spretis, secuti fuis-sent Saluatorẽ: & multi, ut legitur in actibus Apostolorũ, facultatibus suis uen-ditis, precia ad pedes eorum detulissent egentibus, partienda, quæ ue aut quan ta spes ijsdem reposita esset in cœlis. Talia secum uoluens, intrauit Ecclesiam: & accidit, ut tunc Euangelium legeretur, in quo Dominus dicit ad diuitem: *Adole-scentia.*

Si uis perfectus esse, uade, uende omnia tua quæcunque habes, & da pauperibus, & ueni & sequere me, & habebis thesaurum in cœlo. Quo audito, quasi diuinitus huiusmodi ante memoriam concepisset, & ueluti propter se hæc esset scriptura recitata, ad se Dominicum traxit imperium: statimque egressus possessionem quam habebat dimisit. Rure autem erant trecenti iugeres, & ualde optimi, quos uicinis largitus est, ne in aliquo aut sibi aut sorori molestia gigneretur. Cætera uerò quæ in mobilibus possidebat, uniuersa uendidit: & aggregato non exiguo precio, indigētibus dedit: paruis ob sororem reseruatis, quæ & sexu & ætate uidebatur infirmior. A

Antonius dimittit partim bona, partim uendens dat pauperibus.

Rursus autem Ecclesiam ingressus, cum audisset Dominus in Euangelio dicentem, Nolite cogitare de crastino: relictam quoque portionē pauperibus distribuit, neque se uersari passus est domi, sed sorore fidelibus ac notis uirginibus commendata, ut ad earum nutriretur exemplū: ipse iam omnibus seculi uinculis liber, asperum atque arduum arripuit institutum. Nec dum autem tam crebra erant in Aegypto monasteria, neque omnino quisque auiam solitudinem nouerat: & quicunque in Christi seruitute sibimetipsi prodesse cupiebat, non longè à sua uillula separatus instituebatur.

Vita monastica qualis tēpore Antonij.

Erat igitur in agello uicino senex quidam, uitam solitariam à prima sectatus ætate, hunc Antonius cum uidisset, ęmulatus est ad bonum. Et primò quidem incipiens etiam ipse in locis paululum à uillula remotioribus manebat, exinde autē si quem uigilantē in hoc studio compererat, procedens quærebat ut apis prudentissima, nec ad habitaculū suum antè remeabat, nisi eius quem cupiebat, frueretur aspectibus: et sic tanque munere mellis accepto, abibat ad sua tali ibidē institutus exordio. Cumque per dies singulos ita animum roboraret, ut nec opum paternarum, nec suorum meminisset affinium, omne etiam desiderium & solicitudinē erga id quod cœperat, exerceret, operabat manibus suis, sciens scriptū esse: Qui non operatur, non manducet. Mercedem sanè operis sui precio panis excepto, egentibus largiebatur. Orabat frequēter, quippe qui didicerat quòd oporteret sine intermissione Dominum rogare. B

Antonius non mendicando, sed labore manuum quærit uictum. Orationi uacat.

Auditioni etiam scripturarum ita studium cōmendabat, ut nihil ex eius animo laberetur, sed uniuersa Domini pręcepta custodiens, memoriam pro libris haberet. Sic suam uitam instituens, ab uniuersis fratribus puro diligebat affectu, & omnibus ad quos spiritali studio discendi pergebat, obediens proprias singulorum gratias hauriebat. huius continentiam, iucunditatem illius sectabatur: istius lenitatem, illius uigilias, alterius legendi ęmulabat industriam. Istum ieiunantem, illum humi quiescentem mirabatur. Alterius patientiam, alterius mansuetudinem prædicabat. Omnium quoque uicariam erga se retinens charitatem, atque uniuersis uirtutū partibus irrigatus, ad sedem propriam regrediebatur. Ibi secum uniuersa pertractans, omnium in se bona nitebatur exprimere. Neque uerò aduersum coęuos aliquādo mouebatur, sed ea tantum flamma egregio uiro crescebat in pectore, ne secundus cuique in prædictis operibus inueniretur. Et hoc ita faciebat, ut cum omnes gloria anteiret omnibus, tamen carus esset. Nam & uicini monachi ad quos sæpe ueniebat, Antonium uidentes, deicolam nuncupabant: indultisque naturæ uocabulis, quidam ut filium, alij ut fratrem diligebant.

Antonius intētus studijs rerum sacrarum. Exercitia Antonij.

Dum hæc gereret Antonius, quibus omnium in se prouocaret affectum, inimicus nominis Christiani, diabolus, impatienter ferens tantas in adolescente uirtutes, ueteranis eum aggressus est fraudibus. & primùm quidē tentans, si quo modo posset ab arrepto eum instituto detrahere. Immittebat ei memoriam possessionū, sororis defensionē, generis nobilitatē, amorē rerum, fluxam seculi gloriā, escę uariam delectationē, & reliqua uitæ remissioris blandimēta, postremò uirtutis arduum finem, & maximum perueniendi laborem, necnon

Certamina Antonij aduersus satanam.

corporis

A corporis fragilitatem, suggerebat & ętatis spacia prolixa, prorsus maximam ei cogitationum caliginem suscitabat, uolens eum à recto proposito reuocare. Postq̃ autem diabolus orationibus eius ad Deum per passionis fidem se intellexit elidi, consueta aduersum omnes adolescentes arma arripiens, nocturnis eum inquietabat illecebris. Per dies etiam tam apertis in eum telis irruebat, ut nullus ambigeret, quin Antonius contra diabolum dimicaret. Nam & ille cogitationes sordidas conabatur inserere, & hic eas oratu submouebat assiduo. Ille titillabat sensus naturali carnis ardore, hic uigilijs & ieiunijs corpus omne uallabat. Ille per noctes in pulchræ mulieris uertebatur ornatũ, nulla omittens figmenta lasciuiæ, hic ultrices gehẽnæ flãmas, & dolorẽ uermis recordans, ingestæ sibi libidini opponebat. Ille lubricũ adolescentiæ iter & ad ruinam facilè proponebat: hic æterna futuri iudicij tormenta cõsiderans, illęsam animæ puritatem, per tentamẽta seruabat. Ista autẽ omnia ad cõfusionẽ diaboli fiebant. Qui enim similem se Deo fieri posse existimabat, nũc ab adolescente ut miserrimus uincebatur: & qui contra carnem & sanguinẽ sæuiebat, ab homine qui carnem portabat, elisus est. Adiuuabat enim seruum suum Dominus, qui nostri gratia carnẽ suscipiens, uictoriã corpori contra diabolum largitus est, ut singulis ita certantibus Apostolicũ liceret proferre sermonem, nõ ego autem, sed gratia Dei mecum. Postremò cum nec hoc argumẽto destruere posset Antonium draco deterrimus, & uideret se semper ab eius cogitationibus superari, secundũ quod scriptum est, stridens dentibus & exululãs, qualis est meritò, talis apparebat & uultu, puer horridus atq; niger, ad eius se genua prouolues, humana uoce deflebat dicẽs: Multos seduxi, plurimos decepi: nũc autem ut à cæteris sanctis, ita & tuo sum labore prostratus. Quem cum interrogasset An- *Christus adest certantibus.*

B tonius, quisnam esset, qui talia loqueretur, ait: Ego sum fornicationis amicus, ego multimoda turpitudinis aduersum adolescentes arma suscepi, hinc & spiritus fornicationis uocor. Quantos pudicè uiuere disponẽtes fefelli? quot tenuiter incipientes ad sordes pristinas redire persuasi? Ego sum propter quem Propheta lapsos increpat, dicẽs: Spiritu fornicationis seducti estis, et reuera per me illi fuerãt supplãtati. Ego sum, qui teipsum sæpe tẽtaui, et semper repulsus sum. Cum hoc Christi miles audisset, gratias agens Deo, & largiore aduersus inimicum cõfortatus audacia, ait: Multũ ergo despicabilis, multumq; cõtemptus es, nam & obscuritas tua & ætas, infirmarũ signa sunt rerũ. Nulla mihi iam de te cura est. Dominus mihi auxiliator est, & ego exultabo super inimicos meos. Et statim ad uocẽ canentis phantasma quod uidebatur, euanuit. Hæc autẽ Antonij cõtra diabolum fuit prima uictoria: imò uirtus in Antonio saluatoris, qui peccatũ in carne condẽnauit, ut iustificatio legis in nobis cõpleretur, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Sed neq; Antonio uincendi securitatem dedit unus triumphus, nec diaboli semel fractæ defecere uires. Nam & iste ut leo rugiens quærebat aditum, per quem posset irrumpere: & ille scripturarum doctus eloquio, non ignorabat multas esse dæmonum captiones. Propter quod solerti propositum labore seruabat, cõsiderans quia posset sathanas, in carnis colluctatione superatus, nouarũ aduersus se artium machinas commouere. Idcirco magis ac magis subiugabat corpus suum, ne uincens alia, in alijs uinceretur. *Spiritus fornicationis.* *Certamen perpetuum Antonij contra sathanam.*

Disponens igitur duriori se uitæ lege constringere, cum omnes infatigabilem adolescentis mirarentur instantiã, sanctum toleranter ferebat laborẽ, quia uoluntariæ seruitutis, longo in Dei opere studio, consuetudinẽ in naturã uertebat. Inediæ autem & uigiliarũ intantum patiens erat, ut plus faceret q̃ ab ullo per illum posse fieri crederetur. Pernoctabat in oratione sæpissimè, edebat semel in die, post solis occasum. Nonnunq̃ biduo triduoq; sic permanens, ut uix quarta demum die cibum uellet accipere. Sumebat uerò panem & salem, *Exercitia Antonij in domando corpore.*

potumq;

potumq; aquæ paruulũ, de carnibus uerò & uino tacere melius puto, q̃ quicq; dicere, cum ne apud plurimos quidem monachorũ istiusmodi escæ in usu habeantur. Quieti aũt sic membra concedens, ut iunco contexto atq; cilicio uteretur. Nonnunq; etiam super nudam humum iacens, sine stramine permanebat, unguenta penitus repudians. Dicebat enim minimè posse utẽtium, & pręcipuè iuuenũ corpora roborari, si olei essent perunctione mollita: oportere uerò asperos carni labores imperare, secundũ Apostoli pręceptũ dicentis, Quando infirmor, tũc fortior sum. Asserebatq; sensum animi sic posse reuiuiscere, si corporis fuissent impetus fatigati. Vnde nec temporũ longitudine laborũ merita pensabat, sed amore & famulatu spõtaneo semper tanq; in principijs cõstitutus, ad profectũ diuini metus desideriũ concitabat. Nouisq; cupiens augere pręterita, suprà memorati Doctoris sermonũ recordabatur, qui ait: Præterita obliuiscens, & in futurum conualescens. Meminerat quoq; Heliæ prophetæ dicentis: Viuit Dominus, cui adsto hodie ante ipsum. & differebat cur hodie esset appositum, quia non cõputabat Helias præteritum tempus, sed tanq; quotidie in certamine constitutus, talem se præbere cupiebat, qualem sciebat dignum Dei esse conspectibus, purum corde, & paratum obedire uolũtati eius. Igitur sanctus Antonius secum reputans oportere Dei famulum ex instituto magni Heliæ exemplum capere, & ad illud speculum uitam suam debere componere, ad sepulchra longè à uilla constituta secesit, uni de cognatis mãdans, ut statutis diebus sibi alimenta deferret. Et cum in una memoria supradictus frater eum clausisset, solus ibidẽ morabatur. Metuens ergo diabolus, ne accessu temporis heremum quoq; habitari faceret, ita eum aggregatis satellitibus suis, uaria cæde lacerauit, ut doloris magnitudo, & motum auferret & uocem. Nam & ipse postea referebat uulnera fuisse tam grauia, ut uniuersa hominum tormenta superarent: sed Dei prouidentia, quę nunquam in se sperantibus deest, conseruauit eum. Alio die is quem suprà diximus frater, aduenit cibos deferens quos ei deferre consueuerat, atque eum iacentem in terra semimortuum, fractis forib. inuenit. Quem impositum humeris, ad uillulæ domicilium reportauit. Quo audito, ingens uicinorum atque affinium multitudo concurrens, tristi in medio posito funeri debitum reddebat officium. Et iam media noctis parte transgressa, cum iam opportunus et gratus peruigiles omnium oculos uicerat sopor, Antonius anima paulum redeunte, suspirans eleuauit caput: cæteris uerò alta quiete prostratis, eum à quo delatus fuerat uigilare conspexit: eumq; nutu aduocãs, obsecrauit ut nullo penitus excitato ad pristinũ se referret habitaculũ. Relatus ergo iuxta consuetudinem, solus iterum permanebat, et stare quidem propter recentes plagas non poterat: orans uerò prostratus, post orationẽ clara uoce dicebat: Ecce adsum ego Antonius, non fugio uestra certamina, etiamsi maiora faciatis. nullus me separabit à charitate Christi. Psallebatq; dicens: Si cõsistant aduersum me castra, nõ timebit cor meũ. Talia eo dicente, bonorum hostis diabolus ammiratus, quòd post tot uerbera ausus fuisset reuerti, cõgregatis canibus suis, & proprio furore se lanians, Videtis ait, quia nec spiritu fornicationis, nec corporis doloribus superatus, tam audacter lacesit. Omnia arma corripite, acrius nobis impugnandus est, sentiat, sentiat, debet scire quos prouocet. Dixit, & adhortãtis uocẽ audientiũ turba cõsensit, quia innumeras & diuersas habet diabolus artes nocendi. Sonitus igitur repentinus increpuit. ita ut loco funditus agitato, & parietibus patefactis, multifaria dæmonũ exinde turba se funderet. nam & bestiarũ & serpentum formas induentes, omnem protinus locum repleuere fantasijs leonum, taurorum, luporum, aspidum, serpentiũ, scorpionum, necnon & pardorũ, atq; ursorũ. hæc singula secundum suam fremebant naturam. Rugiebat leo occidere uolens, taurus mugitu & cornibus minabatur, serpentes sibilo personabant, luporum

Phãtasmata dæmonum.

impetus

A impetus inhiabat, pardus discolor auctoris sui calliditates uarias indicabat. Truces omniũ uultus, et uocis horridę dirus auditus. Antonius flagellatus atq; cõfossus sentiebat quidẽ asperiores corporis dolores, sed interius durabat mente peruigili. Et licet gemitũ uulnera carnis exprimerẽt, sensu tamẽ idẽ manẽs, quasi de inimicis luderet, loquebat: Si uiriũ aliquid haberetis, sufficeret unus ad præliũ. Sed quoniã Domino uos eneruante frangimini, multitudine tentatis inferre terrores, cum hoc ipsum infirmitatis indiciũ sit, q̃d irrationabilium formas induitis bestiarum. Rursumq; cõfidens, aiebat: Si quid ualetis, si uobis in me potestatẽ Dominus dedit, ecce prȩstò sum, deuorate: si uerò nõ potestis, cur frustra nitimini? Signum enim crucis & fides ad Dominũ, inexpugnabilis nobis murus est. Multa contra sanctum Antonium minantes fremebant dentibus suis, quòd nullus eorũ tentamenta sequeretur effectus, sed maximè econtrario gigneretur illusio. Non oblitus Iesus colluctationis serui sui, eidem protector factus est. deniq; cum eleuaret oculos, uidit desuper culmen aperiri, & deductis tenebris radiũ ad se lucis influere. Post cuius splendoris aduentũ, nec dæmonum aliquis apparuit, & corporis dolor extemplò deletus est: ædificium quoq; quod pauloante dissolutum fuerat, instauratum est. Ilico præsentiã Domini intellexit Antonius, & ex imo pectore trahens longa suspiria ad uisionem quæ ei apparuerat, loquebatur dicens: Vbi eras bone Iesu, ubi eras? Quare non à principio affuisti, ut sanares uulnera mea? Et uox ad eum facta est: Antoni hic eram, sed expectabam uidere certamen tuum. Nunc autem quia dimicando uiriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi, & faciam te in omni orbe nominari. His auditis, exurgens in tãtum roboratus orabat, ut intelligeret plus se recepisse tunc uirium, quàm antè perdiderat.

Fides murus fidelium.

Protector in se sperantium Deus.

B Erat autem tunc Antonius annorum trigintaquinq;. Exhinc cum uoluntati promptæ merita religiosa succrescerent, uadens ad supradictũ senẽ, precabat ut in deserto pariter habitarent. Causante illo senile æuũ, & rei nouitatẽ, solus cõtendit ad montẽ: & heremi adhuc monachis ignotæ uitæ, rupto metu uiam conatus est pandere. Sed nec tunc cessauit malignus aduersarius. nam impedire eius propositũ uolens, argenteũ discum in itinere proiecit. Quo uiso, Antonius callidi artificis cognouit astutiã: stansq; intrepidus, & discum toruis intuens oculis, doli auctorẽ in phantasmate obiurgabat argenti, talia secũ reputans: Vnde hic in deserto discus? auiũ hoc iter est, nulla sunt uestigia cõmeantium, lapsus de sarcina præ magnitudine latère nõ potuit: sed & qui perdiderat, reuersus, ob solitudinẽ locorũ, inuenisset profectò quod ruerat. Hoc artificium diabole tuum est, nõ impedies uoluntatẽ meam, argentũ tuum tecum sit in perditionem. Hoc illo dicẽte, discus ut fumus à facie ignis euanuit. Dehinc non ut antè in phantasmate, sed ingentẽ auri massam in itinere conspexit. Verùm hanc utrum diabolus attulerit, an ad Antonium comprobandũ, quia nec ueris opibus inescaretur, uirtus cœlestis ostenderit, ignoratur. hoc tantũ agnouimus, quia quod uisum est, aurũ fuit. At ille magnitudinẽ admiratus radiantis metalli, rapido cursu, quasi quoddã uitaret incẽdium, ad montem usq; perrexit. ibi flumine transuadato, inuenit castellum desertũ, plenum ob tempus & solitudinem uenenatorũ animalium, in quo se constituens nouus hospes habitauit. Statimq; ad eius aduentũ ingens turba serpẽtium, quasi persecutorem passa, profugit. At ille, obstructo lapidibus introitu, panes mẽsium sex, ut Thebeis mos est, secum recondens (nam crebrò per annum incorrupti durare solent) nec non & exiguum habens aquȩ solitarius perdurabat, nusq; inde procedens, nunq; aliquem suscipiens: in tantum, ut cum bis in anno per tectum desuper panes acciperet, nullum cum deferentibus haberet alloquium.

Antonius 35. ætatis anno secedit in heremum.

Sathanæ illusiones.

Multis igitur uidendi eum desiderio & studio requirẽdi, ante ostiũ eius pernoctantibus, audiebant ut uulgi uoces aduersum Antoniũ, tumultusq; dicentium:

tium: Quid te nostris ingeris habitaculis? Quid tibi & deserto? Abscede à finibus alienis, nō potes nostras insidias sustinere. Et primò quidē qui foris erant, existimabāt aliquos homines scalis positis introisse, ibiq; cōtendere. Postq; autem per cauernā introspicientes nullū uiderūt, dæmones cōtra eum intellexerunt cōtendere: & nimio metu perterriti, Antonij auxiliū flagitabant. At ille ostio propinquans ad cōsolandos fratres ne timerent: atq; ut inde recederent, precabat, trepidantibusq; asserebat à dæmonibus incuti metū: Signate uos, inquiens, & abite securi, istosq; semetipsos finite deludere. Itaq; illis reuerētibus, hic remanebat illæsus, nec unq; in certamine lassabat. Accedentiū eū augmenta profectuū uel debilitas repugnantiū, maximum cōtentioni leuamen addiderat, tum & animo constantiā suggerebat. Rursusq; ad heremum uenientibus turbis, quidam mortuū eum se existimauerant reperturos, ille autem psallebat intrinsecus: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiāt qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus deficiāt, ut liquescit cera à facie ignis, ita pereant peccatores à facie Dei. Et iterum: Omnes gentes circundederunt me, & in nomine Domini uindicaui in eis. Sic Antonius annis uiginti solitariè transactis, atque ab hominum segregatus aspectibus perdurauit. cum ergo multorum & propositum imitari cupientium, & notorum multitudo ad eum concurreret, necnon & patientium infinita se caterua glomeraret, tandem penè iam per uim foribus euulsis, quasi ex aliquo cœlesti aditu consecratus apparuit. obstupuerunt uniuersi, & oris gratiam & corporis dignitatem quod nec per quietem intumuerat, nec ieiunijs dæmonumq; certamine faciem eius pallor obsederat, sed econtrario quasi nihil id tēporis egisset, antiquus mēbrorum decor perseuerauerat, pro tam mira quæ in illo animi puritas fuit. Nunq; hilaritate nimia resolutus in risum est, nunq; recordatione peccati tristitia ora contraxit, nō magnis stupentiū se eleuatus est laudibus. Nihil in illo indecens solitudo, nihil asperū quotidiana cum hostib. bella cōtulerant, sed temperata mens æquali ad cuncta ferebatur examine.

Antonius contemnit satanæ illusiones.

Antonius 55. annorū prodit in publicū cū in heremo uixisset 20. annis.

Modestia Antonij.

Plurimos igitur ab immundis spiritibus & infirmitatibus uarijs, Dei gratia, per Antoniū liberauit. Sermo eius sale cōditus, cōsolabat mœstos, docebat inscios, cōcordabat iratos, omnibus suadens nihil amore Christi anteponēdum. Proponebatq; ante oculos bonorū, magnitudinē futurorū: & Dei clemētiam et beneficia retexebat indulta, q proprio filio suo nō pepercerit, sed pro nostra omniū salute eum tradiderit. Nec mora, plura audientiū corda ad humanarū rerum contemptū, hæc eius suasit oratio, & habitādæ heremi istud eius exordium fuit. Quid sanè & in Arsenoytarū oppido gestū sit, nō transibo silentio. Nam cum fratres uellet inuisere, & riuulū Nili, qui crocodilis & multis sæuis fluminis bestijs plenus erat, transuadare esset necesse, tam cum comitibus suis transiuit illęsus, ꝙ inde redibat incolumis: rursusq; in pristinis laborib. perseuerans, multos magisterio suo fratres cōfirmauit, ita ut breui tēpore plurima fierent monasteria: nouos antiquosq; monachos pro ætate uel tempore, paterno moderabat affectu. Quadā autē die cum sanctus Antonius cōgregatis fratribus rogaret, ut eis institutoria largiret præcepta, quibus cum Prophetica fiducia exaltans uocē aiebat: Ad omnē quidem mandatorū disciplinā, scripturas posse sufficere: sed et hoc optimū fore, si mutuis se inuicē fratres sermonib. consolarent. Et uos ergo, inquit, ut patri referte quæ nostis: & ego quę per longam ætatē cōsecutus sum, quasi filijs indicabo. Hoc sit autem primū cunctis in commune mandatū, nullū in arrepti propositi uigorē lacessere, sed quasi incipientem augere semper debere q̃d cœperit: præsertim cū humanę uitæ spacia, ęternitati comparata, breuissima sint. Ita exorsus paululum siluit, & ammiratus Dei nimiā largitatē, rursus adiecit, dicens: In præsenti hac uita æqualia sunt, p rerū cōmutatione cōmercia, nec maiora recipit ab emēte q uendit. Promissio autem

Antonij cōciones.

Scripturā non sua aut aliorū exempla proponit fratribus Antonius.

Antonij prolixa cancio.

A autem uitæ sempiternæ, uili precio cōparatur. Scriptū est enim: Dies uitæ nostræ septuaginta anni, aut ut multum octoginta: quicquid reliquū est, labor & dolor est. Quando ergo octoginta aut cētum, ut multum, annis laborantes, in Dei opere uixerimus, nō pari tempore regnaturi sumus in futuro, sed pro annis prædictis omnium nobis seculorū regna tribuentur. Non terram hæreditabimus, sed cœlū: corpus quoque corruptū relinquentes, idipsum cum incorruptione recipiemus. Ergo filioli non uos aut tædiū defatiget, aut uanæ gloriæ delectet ambitio. non sunt enim condignę passiones huius temporis ad superuenturam gloriam quæ reuelabitur in nobis. Nemo cum despexerit mūdum, reliquisse se arbitretur ingentia. quia omnis terra ad infinitatem comparata cœlorum, breuis ac parua est. Si ergo nec uniuerso orbi renūciantes, dignum aliquid habitaculis possumus compensare cœlestibus, se unusquisque consideret, & statim intelligit paruis iugeribus agri & parietibus, uel modica auri portione contempta, nec gloriari se debere, quasi magna dimiserit: nec tædere, quasi parua sit recepturus. Vt enim contemnit aliquis unam æream drachmam, ad drachmas centum aureas conquirendas: ita etiam qui totius orbis Dominium dereliquit, centuplum de melioribus præmijs in sublimi sede recipiet. Ad summum illud perspicere debemus, quòd & si nostras uelimus retentare diuitias, lege mortis ab ipsis diuellimur inuiti, ut in libro Ecclesiastes scriptum est. Cur ergo non facimus de necessitate uirtutem? Cur non ad lucranda regna cœlestia ultrò relinquimus, quod lucis istius fine perdendum est? Nihil eorū curæ sit Christianis, quę secū auferre nō possunt. illud potius debemus expetere, quod nos ducat ad cœlū, sapientiā scilicet & castitatē, iu-
B stitiam & uirtutē, sensum peruigilē, pauperū curam, fidē in Christo robustam, animū iræ uictorē, hospitalitatē. Hęc sectantes, mansionē nobis in terra quietorum secundū Euangeliū præparabimus. Cōsideremus Domini esse nos famulos, & seruitutē debere ei à quo creati sumus. Vt enim seruus pręteriti gratia famulatus, præsens aut futurū non contēnit imperiū, nec audet asserere quod ex labore transacto, instantis operis habere debeat libertatē, sed iugi studio (ut in Euangelio scriptū est) eandem semper exhibet seruitutem, ut & Domino placere posit, & ne metum lucret & uerbera: sic & nos diuinis congruit parere pręceptis, sciētes quòd æquus ille retributor in quo quenque inuenerit, in eo sit iudicaturus, quod prophetica per Ezechielem uoce testat: Nam & infœlix Iudas propter unius noctis impietatē omni pręteriti temporis labore priuatus est. Idcirco tenendus est continuus instituti rigor, habentib. Deum auxiliatorem sicut scriptum est, quia omni proponenti bonum, Deus cooperat. Ad inertiam autem calcandam, Apostoli præcepta replicemus, quib. se mori quotidie testabatur: similiter & nos humanæ conditionis uitam ancipitē retractantes, non peccabimus. Cum enim & excitati mane à somno ad uesperā nos peruenire dubitemus, & quieti corpora concedētes, de lucis non confidamus aduentu, & ubique naturæ ac uitæ incertæ memores, Dei nos intelligamus prouidentia gubernari. Hoc modo nō delinquemus, aut aliqua fragili cupiditate raptabimur. Sed nec irascemur quidem aduersus aliquem, nec terrenos congregare thesauros ambiemus: quin potius metu quotidiani recessus, & seiungendi corporis iugi expectatione, omnia caduca calcabimus. Cessabit mulierū amor, libidinis extinguet incendiū, inuicē nobis debita nostra donabimus, ante oculos semper habentes ultimæ retributionis aduentū: quia maior formido iudicij & pœnarum timor horridus simul & lubricę carnis incentiua dissoluit, & ruentem animam quasi ex aliqua rupe sustentat. Ideoque precor, ut ad finem propositi boni, omni labore tendamus. Nemo post tergum respiciens Lot imitetur uxorem, præsertim cum Dominus dixerit in Euangelio, nullū ponentē manus super aratrum, & respicientem retrorsum, dignum esse regno cœlorū,

Respicere retrorsum. respicere autem retrorsum, nihil aliud est quam in eo pœnitere quod cœperis, & A
mundanis rursus desiderijs obligari. Nolite quæso uirtutis tanquam impossibile nomen pauere, nec peregrinum uobis aut procul positum uideatur hoc studium, quod ex nostro Dei gratia præcedente pendet arbitrio, huius operis homini inserta natura est, & eiusmodi res est, quæ nostram tantũ expectat uoluntatem.

Contra peregrinationes. Græci studia transmarina sectentur, & in alieno orbe constitutos, inanium literarum quærant magistros: nobis uerò nulla proficiscendi, nulla transfretandi fluctus necessitas imminet. in omni sede terrarum constituta sunt regna cœlorum. Vnde & Dominus in Euangelio ait: Regnũ Dei intra uos est, uirtusque in nobis est: mentem tantum requirit humanam.

Cui enim dubium est, quia naturalis animæ puritas, si nulla fuerit extrinsecus sorde polluta, fons sit & origo uirtutũ? Bonam necesse est eam esse, quam creauerit bonus auctor. Quod si fortè cunctabimur, audiamus Iesum filiũ Naue populo dicentẽ: Rectum facite cor uestrum ad Dominũ Deum Israel. Nec Ioannes dissonã tulit de uirtute sententiã, prædicãs, Rectas facite uias uestras. Siquidem hoc est rectam esse animã, cum eius principalis integritas nulla uitiorum labe maculatur: si naturam mutauerit, peruersa tunc dicit: si cõditio seruetur, & uirtus est. Animam nostram cõmendauit nobis Deus, seruemus depositum quale accepimus. nemo causari potest extrinsecus situm, quod in se nascitur. facturã suam qui fecit, agnoscat: opus suum inueniat ut creauit. Sufficit nobis naturalis ornatus, ne deturpes homo, quod tibi largitio diuina cõcessit. Opera Dei immutare uelle, polluere est. Illud etiã sollicitè prouidere debemus, ut tyrannicam iræ superemus insaniam, quia scriptum est: Iracundia uiri

Contra iram. iustitiã Dei non operatur. Et iterum: Desideriũ concupiscens parit peccatum: quo perfecto, mors gignitur. Diuinę uocis præceptũ est, ut iugi custodia tueatur animum, quia exercitatos ad supplantandũ habemus inimicos, dæmones scilicet, contra quos nobis secundum Apostolicam contestationem pugna sine intermissione est. Ait enim: Non est uobis colluctatio aduersus carnem & sanguinẽ, sed aduersus principatus & potestates huius mundi, aduersus spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Ingens eorũ turba per istum uolitat aërem, non procul à nobis hostium caterua discurrit. Et diuersitatẽ quidem eorum, nõ est meæ paruitatis exponere, sed hãc maioribus cõcedo rationẽ. Quod autem in promptu est, & ignorare non expedit, dolos scilicet eorũ aduersum nos cõpositos breuiter indicabo. hoc primum mentibus debemus affigere, nihil Deum fecisse quod malũ est, nec ab eius institutione dæmonũ cœpisse initiũ. Peruer- B

Deum non esse autorem mali. sitas ista non naturæ, sed uoluntatis est uitium. Boni etenim utpote à Deo conditi, ex proprio mentis arbitrio ad terras ruere de cœlis: ibique in cœni sordibus uolutati, gentilitatis impias instruxere culturas. Et nunc de nobis torquentur inuidia, atque uniuersa mala commouere non cessant, ne pristinis eorum sedibus succedamus.

Varij insultus dæmonum. Diuersa autem eorum et partita nequitia est. Quidam enim ad summũ nocendi uerticẽ peruenere: alij ex cõparatione peiorum uidentur esse leuiores, atque omnes pro possibilitate uirium diuisi, contra singulas causas sumpsere certamina. Idcirco nobis munus necessarium est spirituũ discernendorum à Domino petere, ut possimus tam fraudes eorum quam studia præuidentes, aduersus disparem pugnam unum Dominicæ crucis eleuare uexillũ. Hoc munere Paulus accepto, docebat, dicens: Non enim eius ignoramus astutias. Ad cuius exemplum etiam nos oportet ex his quæ passi sumus mutuis inuicem instruere sermonibus. Hostile illis contra omnes Christianos, maximè uerò contra monachos & uirgines Christi, odium est. Coram semitis laqueos prætendunt, eorum mentes impijs atque obscœnis cogitationibus nituntur euertere: sed nihil uobis in hoc terroris incutiant. Fidelibus enim orationibus atque ieiunijs ad

A Dominum confugientibus, statim corruunt: nec tamen si paululũ cessauerint, plenam putetis esse uictoriam. Solent etiam saucij grauius assurgere, & mutata arte pugnandi cum in cogitatione nihil egerint, pauoribus terrent, assumentes nunc mulierum, nunc bestiarum & serpentiũ formas, nec nõ ingẽtia quædam corpora, & usq; ad tectum domus porrectum caput; infinitas species & militum cateruas.

Dæmonum improbitas in oppugnãdis pijs.

Quæ omnia ad primum quoq; crucis signum euanescunt. His quoq; agnitis fallaciarũ modis incipiunt præsagare, & futurorum dierum euentus uelle prædicere. Cumq; & in his cõtempti fuerint, ipsum iam suæ nequitiæ principem ac totius mali summitatẽ ad subsidiũ sui certaminis uocãt. Crebrò deniq; Antonius talem à se uisum diabolum asserebat, qualem & Iob beatus, Domino reuelante cognouerat. Oculi eius tanq; luciferi, & ex ore eius procedunt lampades incensæ. Crines quoq; incendijs sparguntur, & ex naribus eius fumus egreditur, quasi fornacis æstuãtis ardore carbonũ. Anima eius ut pruna, flãma uerò ex ore eius glomerat: cum huiusmodi terroribus uisus est dæmonum princeps, inquit Antonius, & ingentia sæpe, ut dixi, promittens impietis suæ defurit lingua magniloqua, de qua Dominus triumphauit ad Iob, dicens: Arbitratur enim ferrum ut paleas, æramentũ ut lignum putridũ, maria ut terram: tartari profundũ tanq; captiuum æstimabat, abyssum ut deambulatorium. Per Prophetam quoq; increpat, dicens: Persequens cõprehendam, & omnem orbem terrarum manu mea ut nidum obtinebo, & ut oua derelicta auferam. Sic iniquus funereas euomens uoces, bene uiuentiũ aliquos frequenter illaqueat, sed nos nec eius pollicitationibus credere, nec minas formidare debemus: fallit enim frequenter, nihilq; uerũ promittit. Nam si nõ mendacia

Horrenda satanæ species nihil aliud quàm umbra.

B cũcta loqueret, quomodo talia & tam infinita promittẽs, hamo crucis ut draco aduncatus à Domino est, & capistro ligatus ut iumentũ, & quasi mancipiũ fugitiuũ uinctus circulo, & armilla labia perforatus, nullũ omnino fideliũ deuorare permittitur. Nunc miserabilis ut passer ad ludũ irretitus à Christo est, nunc comites suos quasi scorpiones & serpentes calcaneo Christianorũ substratus gemit. Ille qui uniuersa maria à se deleta plaudebat, ille qui orbẽ terrarum manu sua tenere pollicebatur, ecce à nobis uincitur, ecce me aduersum se prohibere non potest disputantem. Contemnenda est, filioli, penitus cum manibus uerbis superba iactatio. Fulgur ille qui lucere se simulat, non ueri splendor est luminis, sed quibus arsurus est indicat flammas. Nam dicto citius recedens, suarum secum refert simulacra pœnarum.

Christus uictor satanæ.

Solent etiã cum modulatione nonnunq; apparentes psallere. proh nefas ad huc & impuro ore sacra scripturarum eloquia meditant frequenter legẽtibus nobis, quasi echo ad extrema uerba respondent. Dormiẽtes quoq; excitant ad orandum, ut totius noctis somnũ eripiant. plerosq; etiam in monachorũ nobilium habitu coercent, & pristina quib. conscij sunt peccata imputãt. sed spernẽdæ sunt eorũ increpationes & admonitiones ieiunãdi, uigiliarũ quoq; fraudulenta suggestio. Ob id enim familiares nobis species assumunt, ut affinitate uirtutum nocentes facilius uirus interserant, & innocẽtes quosq; per speciem honestatis elidant. Impossibile postea durumq; hoc studiũ prædicant, ut dum onerosum esse uidetur quod cœptũ est, ex desperatione tędiũ, & ex tædio succedat ignauia. Idcirco Propheta missus à Domino, luctuosa denuncians, sublimi uoce dicebat: Væ illi qui potat proximũ suum subuersione turbida. Huiusmodi enim exhortamẽta, deprauatoria sunt itineris quod ducit ad cœlũ. Id circo cum uenisset Dñs ad terras. & uera de eo dæmones inuiti prędicarẽt (uerè enim dicebãt: Tu es Christus, filius Dei uiui) uociferantiũ ora claudebat, q uinctas hominũ linguas soluebat, ne cum præconio ueri, peruersitatis uenena miscerent; & ut nos eius exẽplo, etiã si ꝓfutura suaderẽt, in nullo his cõmoda-

Satan tractans sacras literas.

remus assensum, quia profectò non congruit post libertatem à Domino con- A
cessam, & scripturarum pręcepta uitalia, à diabolo uiuendi capere consilia: qui suum deferens ordinem, sacrum Christi temerauit imperium.

Propterea etiã Dominus eum de scripturis loquentẽ, iubebat tacere, quia peccatori dicit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Omnia dæmones simulant, colloquũtur sæpe cum fratribus, sæpe cum turba incõditos excitant sonitus. Manus applaudunt, sibilant, insipiẽter cachinnant, ut uel in pũcto peccati Christianum pectus introeant. Cumq; ab uniuersis fuerint repulsi, ad extremũ debilitatẽ suam lamentatione testant. Et Dominus quidẽ quasi Deus & suæ cõscius maiestatis obmutescere his imperabat: nos autẽ uestigijs sanctorũ inhęrentes, eandẽ gradiamur uiam, qui memoratas subtilius fallacias peruidentes canebant. Cum consisteret aduersum me peccator, obmutui & humiliatus sum, et silui à bonis. Et iterũ: Ego uerò tanq; surdus nõ audiebã, & tanq; mutus nõ aperiens os suum, factus sum ut homo non audiens. Christus silentiũ imperauit, ut nos diabolo nihil credamus, & uincimus. Si orare cõpellunt, si ieiunia suadent, nõ ex eorũ nos moni tis, sed ex nostra cõsuetudine dirigamus. Deniq; etiã si irruentes mortẽ nobis intentare uideantur, irridendi potius sunt q; timẽdi: quia cum sint debiles, minantur cũcta, nec faciunt. Hæc quidẽ de istis tam transitoriè dixisse me memini: attamẽ eadẽ nunc explicanda sunt latius, quia non mediocrẽ affert repetitio cautelam. Adueniente Domino destructus est inimicus, & omne penitus eius robur elãguit. Propter quod pristinæ uirtutis memor, quasi tyrannus iam senescens, cum ruisse se uideat, in perniciẽ grassatur humanam, nec tamẽ potest firmum Deo pectus cogitationũ & cæterarum fraudum arte peruertere. Nam luce clarius est, quin aduersarij nostri cum nec humana carne sint septi, B
ut causari ualeant, idcirco nos à se nõ posse superari, quia clauso ostio introire nõ ualeãt. Et reuera si fuissent hoc fragili corpore colligati, obseruato introitu hisdem negaret accessus. Cum autẽ, ut diximus, hoc impedimẽto sint liberi, & obstructa penetrent, atq; in omni licenter uolitent aẽre, manifestũ est, ob eneruationẽ eorũ permanere Ecclesiæ corpus illęsum. Deniq; satellites impij cum principe suo diabolo, quem Saluator in Euangelio homicidã & patrem malitię ab initio fuisse firmat, nobis aduersum se dimicantibus fortiter nullo modo cessissent, si potestas eorũ nõ fuisset ablata. Nam si mentior, cur nobis satanas parcis, qui ubiq; discurris? Cur qui nullo clauderis loco, aduersum te uiuẽtium & disputantium nõ potes labefacere constantiã? Sed fortasse nos diligis, quos quotidie conaris obruere: aut credibile est, te esse bonitatis magistrũ, & fauere magis optimis, q; nocere. Et quid tam charũ tibi potest esse q; lædere, maximè eos qui tuis sceleribus uiriliter repugnãt, secundũ quod scriptũ est: Quia abominatio est pietas peccatori? Quis tam fœcũdũ ad malitiã possidet pectus? Quis tam meditatas implere conat insidias? Scimus te impurissimum cadauer. Scimus quia idcirco uiuimus Christiani, & cõtra te nobis est secura cõgressio, qa infirmatus es à Domino. Ideo de tuis cõfoderis iaculis, quia minationẽ tuam non sequit effectus. Quòd si fallimur, cur cum terrore simulato, cur cum magnitudine corporũ, nostram aggrederis fidem? Si uoluntatẽ sequeret possibilitas, tantum tibi uelle sufficiat. Is enim potentiæ mos est, nõ extranea fallaciæ argumento cõquirere, sed sua uirtute cõplere quod cupiat. At nunc dum theatrali mutatione formarũ, quasi rudem infantiã scenica niteris simulatione deludere, exhaustas uires manifestius probas. Nunquid nam uerus ille angelus contra Asyrios missus à Domino, aut populorum eguit societate, aut sonitus quæsiuit aut plausus: & non potius tacitam exercens potestatem, centum octogintaquinq; milia hostium sermone uelocius iuxta iubentis Domini prostrauit imperium?

Christus uictor satanæ.

Ecclesia stat contra furorem satanæ.

Indicia deuicti à Christo satanæ.

Vos ergo

A Vos ergo cum fragiles sitis uiribus, perpetuus uos cõsequitur interitus. An dicet aliquis: Cur diabolus egrediens beati Iob omnem in ruinam impulit domum? Cur eius opibus penitus dissipatis, parietum quoque fundamenta subuertens unum numerosę sobolis coaceruauit sepulchrũ? Cur ipsum ad extremum diri uulneris nouitate percussit? Qui hoc opponit, audiat è diuerso, non diabolum potuisse hoc, sed Dominũ, à quo potestas aduersum nos dupliciter datur: uel ad gloriã, si probamur: uel ad pœnam, si delinquimus. Quin potius ex hoc animaduerterat, nec cõtra unum quidem hominẽ, diabolum quicquam potuisse, si non potestatem accepisset à Domino. Nullus enim quod suę ditionis est, ab alio deprecatur. Sed quid Iob memoro? quem nec expetitum potuit uincere: nec contra iumenta quidem eius, & contra oues, nec contra sues sine cõcessu Dei proprium robur exercuit, sicut in Euangelio scriptũ est: Dęmones autem rogabant eum, dicentes: Si eijcis nos, mitte nos in gregem porcorum. Quomodo igitur qui porcorum expetunt mortes, imaginem Dei, hominẽ, & tam charum cõditori animal, suo ualebũt iure peruertere? Magna dilectissimi aduersus dæmones arma sunt, uita syncera, & intemerata ad Deum fides. Credite mihi experto, pertimescit satanas rectè uiuentiũ uigilias, orationes, ieiunia, mansuetudinẽ, uolũtariam paupertatẽ, uanæ glorię contemptũ, humilitatem, misericordiam, irę dominatum, & præcipuè purum erga Christum amorem. Nouit teterrimus coluber, ex præcepto Domini, sub iustorum se iacere uestigijs, qui ait: Ecce dedi uobis potestatẽ calcare super serpentes & scorpiones, & super omnem uirtutẽ inimici. Sin autem & diuinationẽ se habere simulantes, uenturos fratres nunciauerint, & affuerint quos uenire prædixerant, nec sic fides est cõmodanda mendacibus. Ob id enim præcessere uenientes, ut credu-

Vnde satan habeat potestatẽ grassandi in pios.

Arma contra dæmones.

B litas sibi paret̃ ex nũcio, & postea aditus ex credulitate fallaciæ. Verùm in hoc nullum Christiano debet esse miraculũ, cum non tantũ qui leuitate naturę per cuncta discurrunt, ualeant peruenire gradiẽtes, sed homines quoque equorum uelocitate pręuecti nunciant affuturos. Non enim ea quæ nondum fieri cœpta sunt referunt, quia Dominus solus conscius est futurorũ: sed quorũ conspiciunt in actu initiũ, eorum sibi tanquam fures apud ignaros uendicant notionẽ. Nam quãtos nunc putatis, qui possunt uelocitate puerili istũ cœptũ, nostrosque contra se sermones ante relatum alicuius hic positi, longè manentib. indicare. Quod uobis perspicuũ fieri potest exẽplis. Si quis à Thebaide, aut alicuius regionis oppido cœperit proficisci, & hunc dæmones in itinere uiderint ambulantem, pernicitate memorata possunt pręd icere uenientẽ. Ita & de Nili inundatione solẽni, cum multas in Aethiopia uiderint pluuias, è quib. fluuius intumescens ultra alueum effluere consueuit, præcurrentes ad Aegyptũ nunciant amnis aduentũ. Hoc autem & homines si illis celeritatis esset tanta natura, facilè nunciarent. Vt enim speculator beati Dauid ad uerticẽ loci celsioris ascendens, prior quam hi, qui in terra erant prospiciens uenientes, non quędam incerta de futuris, sed de his qui uenire cœperant, nunciabat: sic & dęmones cura peruigili omnia considerãtes, rapido cursu sibi inuicẽ nunciant. Sed si fortè contigerit, ut Dei nutu ad finem cœpta nõ ueniant, hoc est, si aut uiator è media regrediat̃ uia, aut suspensis nubibus aquæ ad altum cœli cardinẽ deferant̃, tunc decipientium unà cum credentib. error aperit̃. Hęc gentilitatis fuere principia, his pręsagatorum dolis apud delubra dæmonum quondam credebantur oracula, quę aduentu Domini nostri Iesu Christi indicto silẽtio obmutuerũt, suosque perdidere captiuos. Quis rogo medicum, ex obseruatione morborum cum animæ æstuantis incendium de uenarum pulsu leui digitorum scrutat̃ attactu, diuinam arbitratur habere notitiam? Quis gubernatorem nauigationis suæ uiam inter cœli sidera requirentem, maiestatis omine uenerat̃? Quis agricolam de aridis æstatis feruoribus, aut de hyemali aquarũ largitate, uel frigore disputantem

Satan quomodo futura prænunciet.

Vnde idololatria orta.

Contra prædictiones et prophetias. disputantem non potius experitia laudat, quàm Dei consecrat nomine? Verùm ut concedamus paulisper, si uera dæmones nunciarent, respondete mihi, quis fructus est nosse uenientia? Nunquid aut sciens hæc aliquando laudatus, aut punitus est nesciens? In hoc unusquisque sibi pręparat, seu tormēta, seu gloriam, si uel negligat scripturarū mandata, uel faciat. Nullus ob id nostrûm hanc arripuit uitam, ut habeat præscientiā futurorū: sed ut præceptis Domini obediens, amicus incipiat esse de seruo. Curandum est non præscire quæ ueniūt, sed implere quæ iussa sunt: nec institutionibus bonis hanc flagitare mercedem, cum magis debeamus uictoriam cōtra diabolum ab auxiliatore Domino postulare. Sed si fortè aliquis hoc libenter assumit, ut futura cognoscat, habeat purum cor, quia credo animam Deo seruientē, si in ea perseuerauerit integritate, qua renata est, plus scire posse quàm dæmones. Talis erat anima Helisæi quę alijs incognitas uirtutes uidebat. Nunc iam cæteras uobis dæmonum explicabo fallacias. Solent nocte uenientes angelos Dei se fingere, laudare studium, mirari perseuerantiā, futura præmia polliceri. Quos cum uideritis, tam uos quàm domos uestras crucis armate signaculo, & confestim dissoluētur in nihilum, quia metuunt illud trophęum, in quo saluator aëreas expoliens uirtutes, eas fecit ostentui. Solent etiam uarijs saltationibus membra torquere, & nostris procaciter offerre se uisibus, ut mentem pauore, & corpus horrore concutiant. Sed & in hoc fides Deo tuta fugat eos quasi infirma ludibria. Non est autē difficilis bonorum spirituū malorumque discretio, quæ sic Deo tribuēte panditur. *Quomodo mali à bonis spiritib. discernēdi.* Sanctorum angelorū amabilis & tranquillus aspectus est, quia non contendunt, neque clamant, neque aliquis audit uocem eorum: uerùm tacitè leniterque properantes, gaudium, exultationem, fiduciam peccatoribus infundūt. Siquidem cum illis est Dominus, qui est fons & origo lætitiæ. Tunc mens nostra nō turbida, sed lenis & placida angelorū luce radiat: tunc anima cœlestiū pręmiorum auiditate flagrās, è fracto si posset humani corporis domicilio, & membris exonerata mortalibus, cum his quos uidet abire, festinat ad cœlum. Horum tanta benignitas est, ut si quis pro conditione fragilitatis humanæ miro fuerit eorum fulgore perterritus, omnē cōtinuò ex corde auferant metum. Ita Gabriel cum Zachariæ loqueretur in templo, & angeli cum diuinum uirginis partū pastoribus nunciarent, & qui Dominici corporis agebant excubias, securis uidentium se mentibus ostendentes, ne metuerent imperabant. Metus enim nō tantum ex pauore animi, quantum ex magnarū rerum sæpe concutitur aspectu.

Apparitiones satanæ quomodo cognoscēdæ Pessimorū uerò uultus truces, sonitus horrendi, sordidi cogitatus, plausus motusque indisciplinatorū adolescentum uel latronū, è quibus confestim timor animæ sensibus torpor incutitur, odium Christianorum, monachorū mœror, tædium suorum recordatio, & metus mortis, cupido nequitiæ, lassitudo uirtutis, cordis hebetatio. Si igitur post timorem horrore concepto successerit gaudium, & ad Deum fiducia, atque ineffabilis charitas, uenisse sciamus auxilium: quia securitas animę, pręsentis maiestatis indiciū est. Sic nanque & Abrahā patriarcha uidēs Deum, gauisus est. & Ioannes cum Mariā superuenisse sentiret, quæ in sacri uētris hospitio uniuersitatis gestabat parentē, exultauit, necdum natus in gaudiū. Si autē incussa formido permanserit, hostis est qui uidet, quoniam nec refouere nouit, ut Gabriel pauentē uirginem ne timeat, iubet, & sicuti pastores nuncio cōsolati sunt: quinimo pauorē duplicat, & usque ad profundam impietatis foueam, ut sibi homines prosternant, impellit. Exinde misera gentilitas Dominicæ interdictionis ignara, falso dæmones deos opinata est. Christianorū autem populos his fallacijs irretiri non passus est Dominus, qui diabolū in Euangelio audacter sibi principatum omnium præsumentem repulit, dicens: Vade retrò sathanas. Scriptum est enim: Dominū Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Horum uerborum etiam nobis licentia est tributa, quia

A quia idcirco locutus est talia, ut similitudo tentamentorum autoris nostri fran gerentur eloquijs.

Illud quoq;, mi charissimi, ammoneo, ut uitæ magis sit uobis quàm signorũ solicitudo. Nullus ex uobis hęc faciens, aut ipse superbia intumescat, aut despi ciat eos qui facerę non possunt. Conuersationẽ magis scrutamini singulorum, in hac & imitari uos quæ perfecta sunt, conuenit, & implere quę desunt. Nam signa facere, non est nostrę paruitatis: sed Domini potestatis, qui ad discipulos gloriantes in Euangelio ait: Ne gaudeatis, quia dęmones uobis subiecti sunt, sed q; nomina uestra scripta sunt in cœlis. Nominum enim in libro uitæ cõscri ptio, testimoniũ est uirtutis & meriti: expulsio autem satanæ, largitio saluatoris est. Vnde his qui non in uitæ laboribus, sed in prodigijs exultabant, dicentibus, Nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in tuo nomine uirtutes multas fecimus? respondebit Dominus: Amen dico uobis, non noui uos. Discedite à me operarij iniquitatis. Non enim nouit Dominus uias impiopiorum. hoc ergo magnopere postulemus, ut donum spirituum discernendorum mereamur accipere, quo secundum sententiam scripturarum omni spiritui non credamus. *Contra miraculorum uirtutem.*

Volueram quidem iam finire sermonem, & silentio premere quæcunque meæ acciderant paruitati: sed ne putetis me frustrà commemorasse, quæ euenire nõ possent: idcirco licet insipiens fiam, tamen Dominus, qui secretę mentis est inspector, nouit non me causa iactantiæ, sed uestri gratia profectus hoc facere, pauca replicabo de plurimis. Quotiens me nimijs laudibus efferre conati sunt, cum à me in nomine Domini maledicta reciperent? Quotiens augmenta Nili fluminis futura dixerunt, cum à me audirent, & hoc ad uestram quid pertinet curam? Quotiens minitantes ut milites armati scorpionibus, equis, beluis, & uarijs serpentibus circundederunt me, & domum in qua erã, repleuerunt? Cum ego econtra psallerem, hi in curribus, & hi in equis, nos au tem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur, & statim misericordia Christi fugabantur. Quodam autẽ tempore cum ingenti luce uenientes dixerunt, Venimus Antoni, nostrũ tibi præbere fulgorẽ. Et ego clausis oculis, quia lucem diaboli dedignabar aspicere, orabam, & dicto citius impiorum lumen extinguebatur. Post menses autem paucos, cum me coram psallerẽt, & de scri pturis sibimet sermocinarentur, tanquam surdus non audiebam. Commouerunt aliquando monasterium, & ego mente immobili Dominum deprecabar. Sæpe strepitus, sæpe saltationes, sæpe sibilos ingesserunt, & me psallente, sonus eorum in uoces flebiles uertebantur. *Satanæ machinationes aduersus Antonium uariæ.*

B

Credite, mi filioli, quod dicturus sum. Vidi aliquando diabolũ celsum corpore, qui se Dei uirtutem & prouidentiam ausus est dicere, & ait ad me: Quid uis ut à me tibi donetur, Antoni. At ego spectaculum maximum in os eius ingeminans, totũ me in eum Christi nomine armatus ingessi. & statim ille procerus aspectu, inter medias manus exoleuit. Ieiunãti etiã mihi uisus est ut monachus, & panes offerẽs, his sermonibus suadebat ut uescerer, & huic aliquid indulgerem corpusculo. Et tu, inquit, homo es, & humana fragilitate circundaris, labor paululum cõquiescat, ne ægritudo surrepat. Illicò luridam faciem serpentis agnoui: & cum ad consueta Christi munimenta confugerem, tanquam per fenestram fumus laberetur, euanuit. Auri quoq; decipulam mihi in deserto frequenter tetendit: quod ideo offerebat, ut aut uisu irretiret me, aut tactu uapularet me. Nam sæpe me à dæmonibus non denego uerberatum. Canebam autem sic, Nullus me separabit à charitate Christi. Ad cuius uocis auditum in se inuicẽ defurentes, non meo, sed Domini fugabantur imperio, qui ait, Vidi satanam quasi fulgur cadentem de cœlo. Hæc ergo, filioli, apostolici memor eloquij in me transformaui, ut propositum uestrum nec dæmonum

terror, nec aliqua lassitudo dissolueret. Sed quoniam ob uestram utilitatem A multa memorando insipiens factus sum, huius rei uobis impertiri cupio notionem: quam ueram esse, nullus ambigat audientium. Pulsauit aliquando dæmon monasterij ostium. egrediens uideo hominem enormi sublimitate porrectum caput usque ad cœlum. Cum ad hoc, quis nam esset, inquirerem, ait, Ego sum satanas. Et ego: Quid, inquam, hic quæris? Respondit: Cur mihi frustra imputant monachi? Cur mihi Christianorũ populi maledicunt? Et ego, Iuste faciunt. Tuis enim frequenter molestantur insidijs. At ille ait: Nihil ego facio, sed ipsi se inuicẽ turbant. Nam ego miserabilis factus sum. Rogo: Nõne legisti, quia defecerũt inimici framea in finem, & ciuitates eorum destruxisti. Nullum iam habeo locum, nullam possideo ciuitatem, iam mihi nulla sunt arma. Per omnes nationes, cunctasque prouincias, Christi personat nomẽ, solitudines ipsæ monachorum stipantur choris. Ipsi se quæso tueantur, & me sine causa non lacerent. Tunc ego Dei gratiam cum alacritate miratus, sic ad eum locutus sum: Non tuæ ueritati, quæ nulla est, tam nouam & tam inauditam ascribo sententiam. Nam cum fallaciæ caput sis, hoc sine mendacio coactus es confiteri. uere enim Iesus tuas funditus surripuit uires: & honore nudatus angelico, uolutaris in sordibus. Vixdum uerba compleueram, & ille sublimis saluatoris nominatione deiectus est. Quæ ergo iam, ô filioli, poterit residere cunctatio? Quæ trepidatio manebit ulterius? Quis uos eorũ turbo poterit conuellere? Securæ sint animę singulorum, non sibi fingant uanas cogitationes, uana discrimina, nõ aliquis timeat à diabolo sublatũ ad pręcipitia se posse deferri. Pellatur omnis anxietas. Dominus enim qui nostros prostrauit inimicos, manens ut promisit in nobis, à uarijs nos satanæ muniuit incursibus. En ipse B diabolus, qui huiusmodi cum suis satellitib. exercet astutias, nihil se posse contra Christianos fatetur. Iam curæ Christianorum & monachorum sit, ne per eorum inertiam uires dæmonibus præbeantur. Nam quales nos & nostras repererint cogitationes, tales se nobis præstare consueuerunt. Et si quod in pectoribus malæ mentis & pauoris semen inuenerint, quasi latrones qui deserta obsident loca, cœptos cumulant timores: & crudeliter imminentes, infelicem puniunt animam. Si autem alacres fuerimus in Domino, et futurorum bonorum cupido nos succenderit, si semper omnia manibus Dei cõmittamus, nullus dæmonum ad expugnandum ualebit accedere: magis autem cum munita in Christo corda conspexerint, confusi reuertuntur. Ita & Iob firmatũ in Domino diabolus refugit: & infelicissimum Iudam expoliatum fide, uinculis captiuitatis innexuit. Vna est enim ratio uincendi inimicum lætitia spiritualis, & animæ Dominum semper cogitantis iugis recordatio, quæ dæmonum ludos quasi fumum expellens, persequetur aduersarios potius, quàm timebit. Non est enim nescius satanas ignium futurorum, & æstuantis gehennæ copiosa nouit incendia. Sed ut mea iam claudatur oratio, illud in finem commemoro: Cum aliqua se uobis obtulerit uisio, audacter requirite quis sit ille, & unde uenerit: ac sine mora, si sanctorum fuerit reuelatio, angelica cõsolatione timor uertetur in gaudiũ. Si uerò diaboli fuerit oblata tentatio, fidelis animæ percunctationibus euanescet. quia maximum est securitatis indicium, interrogare quis nam est, & unde. Sic & Naue filius auxiliatorem suum interrogando cognouit. nec Danielem percunctantem latere potuit inimicus.

Satan fatetur suas uires debilitatas per Christum.

Postquam Antonius dicẽdi finem fecit, lætantib. cunctis in alijs uirtutis cupido exardescebat, in alijs infirma refouebaẽ fides, ex aliorum mentib. falsæ opinones pellebantur, ex aliorũ sensibus inanium terrorum pellebatur accensio: simulque cum iam dæmonum insidias contemnerent, mirabanẽ in Antonio tantam gratiam spirituum discernendorũ, quam Domino tribuente perceperat. Erant igitur in monte monasteria tanquam tabernacula plenis diuinis choris psallentium

Profectus ex Antonij oratione.

A lentium, legentium, orantium, tantumq́ ieiunandi & uigiliarũ ardorem cunctorum mẽtibus sermo eius afflauerat, ut futuræ spei auiditate, ad charitatem mutuam & misericordias indigentibus exhibendas, iugi studio laborarent; qui infinitam regionem quandam, & oppidum à mundana conuersatione seiunctum, plenum pietatis atq; iustitiæ uidebantur incolere. Quis tantum monachorum agmen aspiciens, uirilem illum concordiæ cœtum cernens, in quo nullus nocens, nulla detractio susurronis, sed multitudo abstinentium & certamen officium erat, nõ in hãc statim erumperet uocem: Quàm bonæ domus tuę Iacob, tabernacula tua Israel? tanquam nemora obumbrantia, tanquã paradisus super fluuios, tanquam tabernacula, quæ fixa sunt à Domino, tanquam cedri circa aquas?

Dum hæc ita geruntur, quibus indies beatæ uitæ studium cresceret: Antonius mansionem in cœlo positam recordans, & pręsentis uitę despiciens inanitatem, quasi parua essent quęcunq; iam gesserat, separatus à fratribus instituebatur. Cumq; eum siue cibũ, siue somnum indulgere corpusculo, aut alias naturæ necessitates cogeret humana cõditio, miro afficiebatur pudore, quòd tantam animæ libertatem, modici carnis termini cohercerent. nam frequenter cum fratribus sedens, à cibo qui fuerat appositus, memoria escæ spiritualis abstrahebatur. Edebat tamen, utpote homo sæpe solus, sæpe cum fratribus. Et cum hæc mira, ut prædixi, ageret, cum confusione animæ adhibendam magnopere corpori diligentiã persuadebat dicens: Nec corpus esse penitus enecandum, ne operatio cõtra uoluntatem creatoris dissolueretur: & ob id omne studium animę conferendum, ne uitijs superata corporis, ad æternas inferni tenebras truderetur: quinimo indultũ sibi propter alteros in carne imperium B uindicans, domicilium suum, ut Apostolus, ad tertium cœlum subleuaret. Asserebat hoc à Saluatore præceptũ, in quo ait, Nolite solliciti esse corpori quid uestiamini, & ne quæsieritis quid manducetis, aut quid bibatis, quia hæc gentes quærunt: uester autem pater nouit, quòd indigetis his omnibus. Quærite ergo primùm regnum Dei, & iusticiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis.

Habendum honorem corpori.

His rebus transactis, cum persecutio impijssima Maximiani furore uesano uastaret ecclesiam, sanctis martyribus Alexandriam perductis, relicto & ipse monasterio, secutus est futuras Christi uictimas, dicẽsq;: Pergamus ad gloriosos fratrum triumphos, ut aut ipsi congrediamur, aut spectemus alios præliantes. Et amore quidem iam martyr erat: sed cum tradere se ultrò non ualeret, & sociari confessoribus in metallis uel in carceribus constitutis, magna cum cura & libertate ingredientes ad iudicem exhortabatur, ne terrore impiorum subacti, Dominum negarent. Iamq; sententia coronatos exultans, quasi ipse uicisset, usq; ad locum felicis sanguinis prosequebatur. Quamobrem motus iudex ob Antonij sociorumq; eius constantiã, præcepit nullum penitùs monachorum aut obseruare iudicium, aut in ciuitate uersari. Et cæteris quidem omnibus in illa die placuit abscondi. Antonius autẽ impauidus, neglecto persecutoris imperio, lauit ependyten, id est scapulare suum. Et alia die stãs in quodam eminenti loco, candente præcinctus ueste, pręcedentẽ iudicem suo prouocabat aspectu, flagrans cupiditate martyrij: ostendebatq; nobis, cõtemptorem pœnarum & mortis in Christianis animũ perseuerare debere, intantum, ut contristaretur, quia uolenti pati pro Dei nomine martyrium non dabatur. Sed Dominus, qui suo gregi parabat magistrum, seruauit Antonium, ut instituti, sicuti factum est, monachorum, non solùm oratione eius, sed & cõspectibus firmaretur. Nunq; tamen à confessorum uestigijs separatus est: quia maxima circa eos cura & charitatis uinculo colligatus, magis carcerem patiebatur exclusus. Postq; autem persecutionis turbo defluxerat, & beato episcopo Petro iam ob martyrij gloriam coronato, ad pristinũ monasterium regressus est,

Confessio Antonij, eiusq; constãtia in persecutione.

quotidianum fidei ac conscientiæ martyrium merebatur, acrioribus se ieiunijs A uigilijsq; conficiens, uestimento cilicino intrinsecus, desuper pelliceo utebatur: nunquam corpus lauans, nunquam à pedibus sordes abluẽs, nisi cum per aquas transire necessitas compulisset. Nullus deniq; Antonij corpus nudum, antequam moreretur, unquam uidit.

Quodam autem tempore cum ab omniũ se amouisset oculis, & clauso monasterio neminem omnino susciperet, Martianus militum præpositus, cuius filia immundi spiritus infestationibus quatiebatur, pulsans ostium, obsecrabat ut suo pignori subueniret, & exiens Deum pro filia deprecaretur. Tunc ille aperire quidem minimè uoluit. prospiciens uerò desuper ait: O homo, quid meum poscis auxilium? Mortalis & ego sum, & tuæ socius fragilitatis. Si autẽ credis in Christum cui deseruio, uade, & secundum fidem tuam ora Deum, & sanabitur filia tua. Confestim ille credens abijt, & inuocato IESV, filiam reduxit incolumẽ. Multa & alia mirabilia per illum Dominus operatus est: & meritò. qui enim promisit in Euangelio: Petite, & dabitur uobis, inuento qui eius gratiam meretur, accipere suam potentiam non negauit. Nam plures uexatorum ante monasterium eius clauso introitu dormientes, fidelibus per eum ad Christum precib. curabantur. Hæc illi multitudo uenientium, desideratam solitudinem auferens tædio fuit. Metuens itaq;, ne signorũ copiosa cõcessio, aut suos animos extolleret, aut alios plus de se quàm uidebant in ipso cogeret æstimare, ad superiorem Thebaidem pergere cogitauit, ubi nullus eum agnosceret. Et à fratrib. acceptis panibus, sedebat super fluminis ripam, transitũ nauis obseruans. Illo talia cogitante, uox ad eum desuper facta est dicens: Antoni quò pergis, & quare? At ille intrepidè, quasi consuetam uocem loquentis agnosceret, respondit: Quoniam non sinunt me quiescere populi, idcirco ad superiorem Thebaidem ire optimum duxi, quia ea exigor, quæ uirtutem meæ pusillanimitatis excedunt. Et uox ad illum ait: Si ad Thebaidem uadas, & ad pastoralia, ut cogitas, pergas, maiorem ac duplicem sustinebis laborem. Si au- B tem uerè quiescere cupis, uade nunc ad interius desertum. Cumq; Antonius diceret, Et quis mihi locum auium poterit ostendere? ignarus enim sum locorum. Confestim ei uox quæ loquebatur, Sarracenos indicauit, qui mercandi gratia, ad Aegyptum uenire consueuerant. his appropinquans Antonius, rogauit ut se pariter adducerent in desertum. Nullus obnisus est, sed tanquam à Deo missum comitem suscipientes, amplexi sunt eius societatem. Tribus autem diebus & noctibus itinere confecto, inuenit montem ualde excelsum, ad cuius radices fons aquæ dulcis labebatur. Et campus haud magnus totum ambiens montem, qui palmis perpaucis, & his neglectis, consitus erat. Hunc Antonius locum quasi à Deo sibi offerretur, amplexus est. Is enim erat, quem sibi ad fluminis ripam sedenti qui loquebatur ostenderat. Et primò quidem accipiens à comitibus panes, solus remansit in monte, nullo alio cum eodem conuersante. Quasi propriam enim domum agnoscẽs, habebat locum illum. Sarraceni quoq; uidentes eius fiduciam, optato per eum transitu, panes eidem cum lætitia deferebant: necnon palmarum, licet mediocri, attamen aliquanto solatio refouebatur.

Exinde cum fratres agnito loco tanquã ad patrẽ filij, solicitè alimẽta transmitterent, uidens Antonius, quòd ob suum refrigeriũ, multis onerosus labor indicerẽ: & parcens etiam in hoc monachis, rogauit unum de aduenientibus, ut sarculum sibi bis acutũ cum frumento deferret. Quib. allatis, circuiens montem haud grandẽ, culturæ aptum, reperit locũ, ad quem deriuata aqua desuper poterat influere. Ibiq; seminauit, atq; exinde annuũ sibi panem laborans, gaudebat quòd sine cuiusquã molestia ex proprijs manib. uiueret in deserto. Sed cum rursus etiam illuc quidã uenire cœpissent, misertus est lassitudini eorum,

A & holus in paruo terrę cespite coluit, ut post asperũ iter aliquando uenientes, solatio refouerentur (hoc fratrum fuit refrigerium) & paruulam messem, quã bestiæ, quæ propter aquam illuc adueniebant, depastæ sunt. è quibus unã apprehendens, dixit omnibus: Cur me læditis, nihil à me læsæ? Abite, & in nomine Domini, ne huc appropietis ulterius. Quis non credat, post hanc denunciationem quasi timentes, nunquam illuc bestias propinquasse? Sic Antoniũ impenetrabilia montium & deserti intestina captantem, orationibus etiã dedito, introeuntes fratres magnis uix precibus extorserunt, ut oliuas & legumẽ & oleum, quod post menses aliquot ministrabant, dignaretur accipere, & seni li modicum laxaret ætati. Proh nephas, quantas ibi conuersans expertus est luctas? uere, secundum quod scriptum est, nõ illi aduersus carnem et sanguinẽ fuisse colluctationẽ, sed aduersum principatus & potestates, ab his qui ad eum ingrediebantur agnouimus. Illic enim tumultus & uoces populi, armorumque sonitus prorsus plenum montem dæmonum multitudine se uidisse referebant: ipsum etiam quasi contra inimicos palàm resistentem, & fortiter colluctantem. Qui tamen & aduenientes suo refouebat hortatu, & flexis genibus armisque orationum, omnem sathanæ prosternebat exercitũ. Admiratione planè dignum est, in tam immani solitudine unũ hominem, nec dæmonum quotidianas expauisse congressiones, nec tantarum bestiarum quadrupedum siue reptilium diuersæ cessisse feritati. Iustè Dauid cecinit: Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion non commouebitur in æternum. Immobilem & tranquillam retinens animi firmitatem, & dæmones fugabat: & feras, sicut scriptũ est, secum pacificabat. Sed & diabolus, ut suprà dictus Propheta ait, obseruãs eum, frẽdebat dentibus suis, & ille Saluatoris auxilio, ab uniuersis tutus perseuerabat insidijs. Quadam ergo nocte cum peruigili cura obsecraret Dominũ, tantos in monasterium eius bestiarum greges coaceruauit, ut omnes heremi

Antonij certamen contra satanæ copias in eremo.

B beluas circum se aspiceret. Quæ cum rictu oris morsum corpori minitarẽt, intellexit hostis astutias, dixitque: Si à Domino in me uobis est tributa licẽtia, deuorate concessum: si autem dæmonum huc uenistis impulsu, quantocyus abite, quia Christi famulus sum. ita factum est: & cum iubentis uoce omnis bestiarum multitudo quasi maiestatis uerbere cæderetur, aufugit.

Antonius uerbo fugat bestias.

Non multi post hæc fluxerant dies, & alia oritur cum eodem hoste certatio. Operante illo (nam semper, ut uenientib. pro his quæ sibi detulerãt, aliquod munusculum rependeret, laborabat) traxit quidam sportellæ quam texebat triciam, siue funiculum. Ad cuius motum exurgens, uidit bestiam pubetenus humanam faciem præferentem, quæ exinde in asinam finiebatur. Post cuius aspectum uexillum crucis in fronte sua pingens, hoc tantum ait: Christi seruus sum, si ad me missa es, non fugio. Nullum in medio spacium, & statim informe prodigium dicto ocyus cum satellitum turba fugit: & in medio cursu ruens, extinctum est. Ista autem explosi mors atque enecatio prodigij, dæmonum erat communis interitus, qui omni studio laborantes, Antonium à deserto deducere non ualuerunt. Mirandis plus miranda succedunt.

Non grande post ista tempus excesserat, & tantarum uictoriarum homo fratrum precibus uincitur. A monachis enim rogatus, ut eos dignaretur inuisere, unà cum his profectus est, impositis camelo aqua & panibus, quia nusquam præter monasterij locũ, ex quo exhauserãt, potalis aqua per arentem uiã reperiebat. Verùm in medio itinere, bibendi subsidia defecerunt. Ardor nimius, æstus intolerabilis, mortẽ cuncta minitant. Circũeunt, et quærunt saltẽ collectam pluuijs lacunã: nihil prorsus remedij, nihil occurrit penitùs ad salutẽ. Camelus quasi periturus, & ipse æstuãs dimitttitur, æstuãs pectus exurit, & sitis desperatione feruescit. Mouit senem fratrũ commune discrimen, & uehementissimè cõtristatus ingemuit. Dehinc ad solita precum auxilia cõfugiens, pau-

Antonius per preces impetrat fontem.

Iulum ab eis secessit: ibique genibus fixis, supplices manus tetēdit ad Dominū. A
Nec mora, & ad primas rogantis lachrymas, in orationis loco, fons ebulliens erupit: ibique extincta siti, & arentia membra refecta sunt, & plenis utribus inuentum potant camelum. Ita enim casu euenerat, ut camelus errans per eremum, dum funiculum trahit in quodam lapide, eiusdem alligatione funiculi teneretur. Tandem confecto itinere, ad monachos qui inuitauerāt, peruenit. Tunc uerò quasi patri omnes obuiam currunt, & honorifico salutatu in oscula eius & amplexus certatim ruunt. Proposito ferueti gaudet Antonius: & lætantibus de aduentu suo cunctis, quasi xenia de monte portans, spiritualia impartitur alimenta. Laudat ueterum studia, hortatur nouorum: sororem quoque iam uetulam uirginem uidens, & aliarum puellarum magistram, mira exultatione sustollitur. Exinde quasi diu abesset ab eremo, rursum festinauit ad montem, plurimis iam ad illum uenientibus, cum etiam uexati à dęmonibus malo necessitatis coacti auderēt deserta penetrare: quos ille consolans, & monachis in commune præcipiens, aiebat: Credite in Iesum fideliter, mentem à malis cogitationibus, carnem ab immundicijs seruate puram: & iuxta eloquia diuina, Ne seducamini in saturitate uentris. Odite uanam gloriā, orate sępissime, psallite uespere & mane & meridie, & mandata scripturarum reuoluite. Recordamini gestorum quę sancti quique fecerunt, ut exempli memoria animam incitet ad uirtutem, refrenet à uitijs. Suadebat etiam, iugi meditatione retinēdum Apostoli sermonem, quo ait, Sol non occidat super iracundiam uestrā. Non tantùm autem super iracundiā solem occidere non debere interpretabatur, sed & super omnia delicta hominum: ne peccatorum unque nostrorum, aut in nocte luna, aut in die sol testes abscederēt. illius quoque admonebat pręcepti, quod dicit: Dijudicate uosmetipsos, & probate, ut rationem diei noctisque faciētes, B
si in se delictum deprehendissent, peccare desisterent: sin autē nullus error decepisset, perseuerantes instarent potius incœpto, quàm arrogantia tumidi aut alios contemnerent, aut sibi iustitiā uendicarent: iuxta supradicti doctoris eloquium, dicētis, Nolite iudicare ante tempus, magis debere eos Christo, cui soli occulta patent, reseruare iudicium. Multas esse, ut scriptum est, uias, quæ uidentur hominibus iustæ, sed fines earum ad profundum respicere inferni. Sępe nostra nō posse nos intelligere peccata, sæpe falli in oratione gestorū: aliud esse Dei cuncta cernentis iudicium, qui nō ex superficie corporū, sed ex mentium iudicat arcanis: æquum autem esse nos nobis compati, & inuicem onera nostra portare, ut concesso examine saluatori proprias conscientias nosmet ipsos dijudicantes intueremur. Nec non præcipiebat, magnam esse uirtutis uiam, si singuli uel obseruarent quid gererent, uel uniuersas mentium cogitationes fratribus referrent. Non enim posse aliquē peccare, cum relaturus esset ad alium quæcunque peccasset, & subire pudorē in publicum turpia proferendi. Denique nullum peccantem coram alio peccare, etiamsi peccet, tamen testem uitare peccati: mentiri magis & negare, & uetus delictum nouo inficiendi augere delicta.

Orditur à fide Antonius, ac postea fructus fidei enumerat.

Igitur quasi sub oculis agentes nostris, & cogitatu confundimur, & actu, si omnia referenda faciamus: multo autem magis, si peccata nostra fideliter describentes, digeramus in ordinem. Tunc uerò annotatio delictorum fratrum uidebitur oculis, tunc timebimus peccati maculas, cōscientiæ ipsi nos arguent apices. Et quomodo meretricibus membra miscentes, confunduntur ad præsentiam cæterorū: ita & nos erubescemus ad literarū scripturas. hæc agamus, hanc uirtutis gradiamur uiam: & corpora mentibus subiugantes, perniciosas diaboli conteramus insidias. Talibus sermonibus, hortamentisque, & uenietes ad se monachos incitabat ad studium, & patientibus cōdolebat: pluresque eorum Dominus per Antonium liberauit.

A Nunquam tamen aut de incolumitate curatorum est inflatus ad gloriã, aut contristatus de obsessis adhuc corporibus murmurauit. Magis autem eodem semper animo & uultu manens, gratias Deo referebat, suadens occupatis, ut correptionem qua uexabantur, patientius ferrent. Non enim Antonij, aut cuiusquam hominum omnino hanc esse medicinam, sed Dei solius, qui & quibus uellet, & quo uellet tempore, daret sanitatem. Ita consolatione sua & uexatos æquanimiter ferre tentationem, & iam liberatos non sibi, sed Deo gratias referre docebat.

Antonius nõ superbit ex dono curationũ infirmitatum.

Fronto autem quidam uir ex Palæstinis (qui infestissimo dæmonio uexabatur. Nam & linguam eius laniabat dentibus, et oculorum nitebatur lumen extinguere) perrexit ad montem: rogabatq; beatum senem, ut pro se Dominum rogaret. orauit Antonius, dixitq; ad eum: Vade, & curaberis. Illo incredulo sibi, & uiolenter ibidem contra præceptum remoranti, eadem geminabat Antonius, dicens: Hic curari non poteris, egredere: & calcata Aegypto, statim te misericordia Christi consequetur. Tandem credidit, & profectus est: ac uisa Aegypto secundum promissionẽ senis, quam ei Dominus oranti reuelauerat, infestatio cessauit inimici.

Fronto liberatus à satana precibus Antonij.

Virgo uerò quædam, quæ à Tripolitanæ regionis ciuitate deuenerat, inauditis ac flebilibus morbis laborabat. Etenim narium purgamẽta, oculorum lacrymæ, aurium putridus humor in terram cadens, confestim in uermes uertebatur. Augebat calamitatẽ, corpus paralysi dissolutũ, oculos quoq; peruersos contra naturam habens. Hanc parentes eius deferentes, cum ad Antoniũ monachos ire didicissent, credentes in Domino, qui pertinacem sanguinis fluxũ
B in Euangelio tactu fimbriæ stare præceperat, rogauerunt ut miserabilem filiæ comitatum susciperent. Illis renitentibus, eum usq; ad Antonium perduxere, remansere parentes foris cum filia debili, apud beatum confessorem & monachum Paphnutium: qui effossis pro Christo oculis sub Maximiano persecutore, tali dehonestamẽto corporis plurimum gloriabatur. Peruenerunt igitur ad Antonium monachi: cumq; de morbo puellæ referre disponerent, relationem eorum senis sermo preuenit, & omnem debilitatis & itineris, usq; ad sanctum Paphnutiũ, causam, quasi ipse interfuisset, exposuit. Rogãtibus autem eum monachis, ut parentibus cum filia permitteretur ingressus, nõ concessit, sed ait: Ite, & inuenietis puellam, si non est mortua, curatam. Et adiecit: Nullus debet ad meam humilitatem peruenire, quia largitio curationum non est humanæ miseriæ, sed Iesu Christi misericordiæ, quæ ubiq; in se credentibus præstare consueuit auxilium. Quamobrem & illa pro qua petitis, suis precibus liberata est. Et cum ad Dominũ orarem ego, mihi præsentia sanitatis eius indulta est. Dixit, & uerba eius puellæ incolumitas secuta est. Nam exeuntes forãs ad beatum Paphnutium, & filiam sospitem, & parentes lætos repererũt.

Non multum aũt post istos dies, cum duobus fratrib. introeuntibus ad Antonium aqua in itinere defecisset, & uno siti mortuo, alter iaceret in terra mortem expectans: Antonius sedens in monte, celeriter ad se duos monachos uocauit, qui fortè ibidem sunt reperti. & festinatò præcepit, ut lagenã aquæ assumentes, inuaderent iter, quod ducit ad Aegyptũ, dixitq;: Vnus è fratribus huc aduenientibus modò migrauit ad Dominũ: alter, si non cucurreritis, addetur. Hoc enim mihi nunc oranti reuelatum est. Sic ait, & iuxta præceptũ eius monachi festinantes, extinctum corpus inueniunt: terraq; id operientes, alterum refocillatum suo iunxerunt comitatui.

Aliud miraculum.

Erat autem spacium itineris unius diei. Fortasse aliquis hoc quærat, cur nõ anteq; moreretur, Antonius dixerit. incongruo prorsus Christianis argumento utitur, quia non Antonij, sed Dei fuit iudicium: quia & de recedẽte, quam uoluit sententiam, tulit, & de sitiente reuelare dignatus est. hoc tantum in

Antonio

Antonio mirabile eſt,quod in mōte remotiſsimo ſedens,corde peruigili cun- A
cta procul poſita Domino iudicante,cognoſceret.

Antonius cognoſcit Ammonem, quanquam procul exiſtentem nullo referente mortuum.

Aliquo rurſus in tēpore cum ſederet in monte, & oculos ſubitò tetendiſſet in cœlū,uidit neſcio quam animam lætantibus in eius occurſu angelis,ad cœlum pergere. Cuius ſpectaculi nouitate ſtupefactus, beatum dixit ſanctorum chorū,orauitq; ut ſibi rei præſentis agnitio panderetur. Et ſtatim uox ad eum facta eſt,inquiens,Iſtam eſſe Ammonis monachi animam, qui Nitriæ morabatur.Erat autem Ammon uir grandæuus, qui perſeueranter à pueritia uſq; ad ſenectutem in ſanctitate uixerat. Itinere quoq; dierum tredecim ſpacio à Nitria locus in quo ſedebat Antonius, diuidebatur. Videntes autē eum monachi,admirantem qui uenerāt, deprecati ſunt, ut cauſam hilaritatis ediceret.

Miraculum de Ammone per fluuiū tranſpoſito.

Quibus ait: Modò Ammon quieuiſſe,quem propter frequentem eius ad Antonium commeatum,& propter celeritatem indultorum ei à Domino ſignorum optimè nouerant: de quibus etiam hoc unum dicendum eſt: Neceſſe ei fuit aliquando flumen nomine Licum ſubitis aquis inundatum tranſuadare, rogauitq; Theodorum,qui cum ipſo erat,ut paululum à ſuo ſepararetur aſpectu,ne nuditatem corporis inuicem uterq; cōſpicerent. Receſsit Theodorus.

Nihilominus ille ſeipſum cum nudare uellet, erubuit. Cogitantem autem eum in alteram ripam uirtus diuina tranſpoſuit. Rurſusq; Theodorus uir, & ipſe Deo deuotus tranſiens ad ſenem,mirari cœpit,quòd tam uelociter fluuiū tranſuadaſſet. Cumq; nihil humoris in pedibus,nihil in ueſtib. eius aquæ conſpiceret,rogauit eum ut tam incredibilem translationē quaſi filio pater exponeret.Nolente illo dicere quæ acciderant, amplexus eſt pedes eius, iurauitq; non ſe dimiſſurum,priuſquam ſibi id quod celabat,referret. Videns ergo ſenex contentioſe uincere uolentem fratrem,exegit uiciſsim ab eo, ut nulli hoc ante ſuam mortem indicaret, atq; ita confeſſus eſt, ſe ſubitò in alteram ripam fuiſſe tranſpoſitum,neq; omnino undis impreſsiſſe ueſtigia: Dominici corporis hoc tantummodo priuilegium aſſerens, & eorum quibus ipſe ut apoſtolo Petro donauerat,ut aquarum lenitate humanum corpus inſiſteret. Hæc autē Theodorus præmiſſo tempore non dixit, poſt eius mortem retulit. Monachi ergo quibus dixerat Antonius de morte Ammon,notauerūt diem:& uenientibus de Nitria fratribus,poſt dies triginta ſciſcitantes,reppererūt illo die illaq; hora dormiſſe Ammon,qua animam eius ferri ſenex uiderat.utriq; igitur puritatem mentis in Antonio mirati ſunt,quomodo rei tam longè geſtę ſtatim ad eum fuiſſet perlata cognitio. B

Archelaus quoq; comes,cum eum inueniſſet in exteriori monte, rogauit ut oraret pro Policracia Publij filia, quæ in Laodicia erat, admirabili & Chriſto dedita uirgine.Patiebatur enim peſsimos ſtomachi & lateris dolores,quos ieiunijs,nimijs uigilijs cōtraxerat,& erat penitus toto debilis corpore. Orauitq; Antonius,& diem q̄ oratio fuerat facta, annotauit Archelaus. Redit in Laodiciam, et inuenit uirginē incolumem. Percunctatus diem ſanitatis,repperit tempus medelæ,cum annotatione congruere.Et omnes admirati ſunt,agnoſcentes eo tempore illam à Domino fuiſſe à dolorib.liberatam,quo orans Antonius pro ipſa,bonitatem ſaluatoris inuocauerat.

Sæpe etiam ad ſe uenientium turbarum,antè dies & menſes.& cauſas prędixit,& tempora. Nam quoſdam uidendi eum tantum deſideriū, alios imbecillitas,nonnullos obſeſſa à dæmonibus corpora pertrahebant,nemo tamē unquam uexationem aut detrimentū laborioſi itineris conqueſtus eſt. regrediebantur omnes ſpiritali cibo pleni. At ille præcipiebat, non ſuæ laudi hanc admirationem ab eis applicari debere, ſed Domini qui ſui notionem hominib. pro capacitate mortalitatis indulſerit.

Quodam autem tempore cum exiſſet ad exteriora monaſteria, & rogatus
eſſet

A esset à fratribus, ut in naui quadã, cum monachis proficiscẽtibus oraret, ascendit, & solus ex omnibus odorem sensit teterrimũ, asserebant cuncti pisciũ salsorum & caricarum in naui positarum hunc esse putorem. At ille alterius rei fœtorem se sentire affirmauit. Adhuc loquente illo, adolescens quidam possessus à dæmone, qui procedens iuxta carinam se nauis absconderat, repentè exclamauit. Quo statim per Antonium in nomine Domini Iesu Christi curato, intellexere uniuersi diaboli illum fuisse putorem.

Alius quoq; ad eum uir inter suos nobilis dæmoniosus adducitur, tãta oppressus insania, ut non sciret se esse apud Antonium, nec non & corporis sui superflua comederet. Quãobrem rogatus senex ab his qui eum adduxerant, ut pro illo Dominũ oraret, intantũ iuuenis miserię cõdoluit, ut tota nocte peruigilans cum eo, aduersus patientis insaniã laboraret. Sed cum iam lucesceret, & obsessus impetu in Antonium facto, uehementer eum impulisset, irasci cœperunt, qui eum adduxerant, cur seni fecisset iniuriã. Quibus Antonius ait: Nolite alienam culpam iuueni misero asscribere, furor iste obsidentis est, non possesi. Idcirco autem in hanc prorupit dolens hostis audaciam, quia Dominus ad aridam regionem ire eum iussit, & expulsi sathanæ indicium, iste aduersum me impetus fuit. Nulla post uerba mora, & adolescens recepto sensu, & gratias agens Deo, & locum ubi esset agnouit, & toto Antonium complexans deosculatus est affectu.

Innumera & alia istiusmodi signa sunt, quæ monachorum concordi sæpe relatione cognouimus. Verùm non tantum his adhibendus est stupor, quia multo plus quæ sequuntur conditionem nostræ fragilitatis excedũt. Hora circiter nona, cum ante cibum orare cœpisset, raptum se sensit in spiritu, & ab an-gelis in sublime ferri. prohibentibus transitum aëreis dæmonibus, cœperunt angeli contradicentes requirere, quæ esset causa retinendi nullis existentibus in Antonio criminibus. Illis uerò ab exordio natiuitatis replicare peccata nitentibus, calumniosa angeli ora clauserunt, dicentes: Non debere eos à natiuitate eius delicta narrare, quæ iam Christi essent bonitate sopita: si qua autem scirent ex eo tempore quo factus est monachus, & Deo se cõsecrasset, licerēt proferri. Accusabant dæmones multa procaciter mentientes: & cum deessent probamẽta fallacibus, liber Antonio cõscensus aperit. Et statim rediens in se, in eo loco in quo stare cœperat, hoc se rursum uidit esse quo fuerat. Tunc uerò oblitus escæ ex illa hora noctem gemitu ac lamentatione transegit, reputans secũ humanorũ hostium multitudinẽ & colluctationẽ tanti exercitus & laboriosum per aërem iter ad cœlum, & hoc Apostoli dictum, quo ait: Nõ est uobis colluctatio aduersus carnẽ, sed aduersum principes potestatis huius aëris. Quis sciens aëreas potestates ob id semper tẽtare, luctari, & cõtendere, ne nobis liber transitus esset ad cœlum, hortabatur monens: Assumite arma Dei, ut possitis resistere in die mala, ut nihil mali habens, quod de uobis dicere possit inimicus cõfundatur. nos autẽ Apostolici sermonis recordemur dicentis: Siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit. Et Paulus quidẽ usq; ad cœlum tertiũ raptus est, ibiq; auditis uerbis ineffabilibus descendit. Antonius autem usq; ad aërẽ sublatus, post colluctationẽ liber cõscensus apparebat. Habebat etiam istiusmodi donum. Si cuius rei sedens in monte, ignarus fuisset, & eius secum inquireret notionẽ, oranti ei à Domino reuelabatur, & erat secundum quod scriptum est, à Deo doctus.

Deniq; cum à fratribus haberetur iste tractatus, & ab eo sedulè sciscitarent, quemadmodum se post corporis sarcinam, anima gereret, qui ue ei locus post exitũ concederetur, proxima nocte uox desuper nomẽ eius inclamitans, ait: Antoni, exurge, exi, & uide. Qui exurgens, egressus est, sciebat enim quibus respondere deberet. Et eleuatis ad cœlum oculis, uidit quendam longum atq;

terribilem, caput usq; ad nubes attollentẽ. uidit etiam pennatos quosdam euolare, cupientes ad cœlum, atq; illum extensis manibus prohibere trãsgressum: è quibus alios apprehensos elidebat ad terram, alios frustra retinere contendens, dolebat super se ad cœlestia trãsuolare: & maximum gaudium mixtum mœrore, uicti uictoresq; tribuebant. Statimq; ad eum uox facta est, dicẽs: Animaduerte quod uides. Et tunc cœpit illuminato corde intelligere, animarum esse conscensum, & diabolum prohibentem, qui & sibi retineret obnoxios, & in sanctorum quos decipere non poterat, cruciaretur uolatu. His uisionum exemplis incitatus, quotidie ad meliora crescebat. Neq; uerò id quod sibi reuelatum fuerat, causa iactantiæ fratribus indicabat: sed cum orans iugiter Dei laudaret auxilium, interrogantibus compellebatur edicere, nec spirituales filios pura in Christo anima occultare quicquã uolebat, præsertim cum huiusmodi signorum relatio, & amorem ministraret proposito, & fructum laboris ostenderet. Nunq; ille aut ira subita concitatus, patientiam rupit, aut humilitatem erexit in gloriam. Nam omnes clericos usq; ad ultimum gradum ante se orare compellens, Episcopis quoq; atq; presbyteris, quasi humilitatis discipulus, ad benedicendum se caput submittebat.

Mores Antonij.

Diaconos uerò, qui ad eum utilitatis causa ueniebant, cum pro adiutorio eorum eis præsentibus disputaret, ad orandum Dominum sibi præponebat, non erubescens & ipse discere. Nam & interrogabat frequenter eos cum quibus erat: & si aliquid ab eis necessarium audierat, se fatebatur adiutum. Habebat autem & in uultu magnam gratiam, & admirabile à saluatore etiam hoc munus acceperat. Si quis enim ignarus eius, inter multitudinem monachorum eum uidere desiderasset, nullo indicante cæteris prætermissis ad Antonium currebat, & animę puritatem agnoscebat in uultu, & per speculum corporis gratiam sanctæ mẽtis intuebatur. Nam semper hilarem faciem gerens, liquidò ostendebat se de cœlestibus cogitare, sicut scriptura ait: Corde lætante uultus floret, sed in mœrore constituto tristatur. Ita & Iacob agnouit Laban socerum suum insidias sibi machinantem, dicens ad filias eius: Non est facies patris uestri sicut heri & nudiustertius. Sic Samuel agnouit Dauid, lætificantes enim habebat oculos, & dentes sicut lac candidos. Similiter agnoscebatur Antonius, quia semper eandem faciem, inter prospera et aduersa retinens, nec secundis extollebatur, nec frangebatur aduersis. Erat autem & in uultu amabilis, & in fidei puritate mirabilis. Nunq; enim schismaticorum se miscuit communioni, anteq; eorum sciens prauitatem, atq; transgresionem. Nunq; Manichæis aut alijs hæreticis, saltem amicabilia uerba largitus est, nisi tantum ea, quæ eos possent ab iniquitatis errore reuocare: denuncians talium amicitias atq; sermones, perditionem esse animæ. Sic etiam Arianos detestabatur, ut omnibus diceret, nec iuxta eos quidem esse accedendum. Nam cum uenissent quidam Arionianitæ, reperta post eorum examinationem infidelissima secta, effugauit eos de monte, dicens, multo serpentibus deteriores horum esse sermones. Mentientibus autem Arianis aliquãdo, Antonium ita ut se credere, admiratus eorum audaciam, & iusti doloris ira commotus, rogatusq; ab Episcopis atq; uniuersis fratribus, Alexandriã descendit, ibiq; Arionianitas publico sermone condemnauit, ultimam hanc esse hæresim & præcursorem Antichristi affirmans: prędicauitq; in populo filium Dei, non facturam, non ex ullis extantibus, sed proprium & unius cum patre substantiæ, ne creatura potius aut adoptio aut appellatio uideretur: impium esse dicens, uel mente concipere, erat quando non erat: cum uerbum Dei Deus, qui est, semper patri sit coæternus, quia ex eo natus est patre, qui semper est. Vnde aiebat: Cum Arianis uobis nulla sit coniunctio. Quæ enim societas luci ad tenebras? Vos fideliter credentes, Christiani estis: illi uerbum, id est, filium qui ex Deo patre est, creaturam

Antonius semper hilari uultu cõspectus.

Antonius acerrimus hostis hæreticorum.

Confeßio Antonij & contio contra Arianos

A creaturam docentes, nullo interuallo à gentibus separantur, qui seruiunt creaturæ, potius quàm creatori, qui est benedictus in secula. Ipsa mihi credite irascuntur elementa, & omnis contra Arianum furorem secūdum Apostoli dictum, congemiscit creatura, quòd sibi Dominum suum per quem omnia, & in quo omnia facta sunt, uideat coæquari. Hæc tanti uiri prædicatio exprimi nō potest, quantum ad fidem populos roborauerit.

Lætabantur quippe hostilem & Christo inimicam hęresim anathematizari ab Ecclesiæ columna. Nulla tunc ætas, nullus sexus domi remansit. Taceo de Christianis: Pagani quoque, & ipsi idolorum sacerdotes ad Dominicum imperium cōuolabant, dicentes: Deprecamur ut uideamus hominem Dei, quia hoc apud uniuersos conspicuum erat nomen Antonij. Ambigebant quoque saltem fimbriam uestimenti eius attingere, multum sibi & tactum prodesse credentes.

Quot tunc diabolica obsidione & uarijs infirmitatibus liberati? Quot simulachris erepta sunt spolia? Quanti etiam ab errore gentilium retracti nostro iuncti sunt gregi? Tanti certè ut paucorum dierum spacio ex idolorum superstitione conuersio, omnem per annum credentium uinceret turbam. Præterea cum irruentem multitudinem comites repellerent, æstimantes tædio illi cōuentum populi fore, ipse tranquillo animo dicebat: Nūquid hic cœtus dęmonum maior est turbis? Nunquid obsequentium multitudo colluctatorum in mente nostrorum cateruis est numerosior? Accidit etiam, ut cum eum redeuntem circa portam prosequeremur, à tergo quædam mulier clamitaret, dicens: Expecta homo Dei, filia mea atrocissimo uexatˀ dæmonio, expecta obsecro, expecta, ne & ego corruens inteream. Hoc audito, admirabilis senex à *Multi gentiles per Antonium conuersi ad Christum.*

B nobis admonitus, uolens tamen & ipse paululum substitit. Cumque appropinquante muliere, puella iaceret explosa, orauit tacitus Iesum: & ad comminationem eius, statim spiritus impurus egressus est. Puella incolumis, populus in laudibus Dei, mater in gaudio fuit. Ipse autem lætabatur, quia ad desideratam solitudinem repedabat. Erat autem ualde sapiens, & hoc in se mirabile habebat, quia cum literas non didicisset, ingeniosissimus & prudentissimus, immobilis & mansuetus erat. *Antonius rudis literarum.*

Aliquando etenim philosophi duo gentiles, uenerūt ad eum, putantes Antonium se posse decipere. Erat enim in superiori monte. Quos cum uidisset, paganos intellexit ex uultu: & procedens ad eos per interpretem, ita cœpit appellare: Quare tam longè ad stultum hominē, sapientes se uexare uoluerunt: Illis dicētibus non esse illum stultū, sed & nimium sapientē, uigilanter respondit: Si ad stultum uenistis, superfluus est labor uester. Si autē putatis me sapientem esse, & sapientiā habere, bonū est: imitamini quæ probatis, quia bona conuenit imitari. Si ego ad uos uenissem, uos imitarer: sed quia uos ad me quasi ad sapientē uenistis, estote sicut ego sum, Christiani. Abscesserunt philosophi utrumque mirantes, & acumen ingenij & dæmonum expulsiones. *Acumen ingenij in Antonio.*

Alios quoque similiter mūdi sapientes, qui eum irridere cupiebant, quia literas ignoraret, tali disputatione colligauit, dicens: Respondete mihi, quid prius est, sensus an literæ? Et quid cuius exordium? Sensus ex literis, an literæ oriuntur ex sensu? Illis asserētibus, quia sensus esset auctor atque inuentor literarum, ait: Igitur si cui sensus incolumis est, hic literas non requirit. Quis præsentium post hanc colluctationem nō exclamauerit, cum obstupuerint, & ipsi qui uicti sunt, tantam in imperito literarum sagacitatem animi admirantes. Neque enim ut in solitudine & mōtibus uersatus, atque omnem ibidem exigens uitam, agrestis & rudis erat, sed iucundus atque affabilis, sermonem secūdum Apostoli præceptum, diuino conditum sale proferebat, ita ut inuidia careret, & amore omnium potiretur. *Vtrum sensus an literæ priores.*

Assertio Christianæ doctrinæ contra Philosophos.

Inter hæc quasi parum esset, bis gentilitatẽ fuisse superatam, & tertiò uenerunt uiri, omnis secularis prudentiæ nube cæcati, atq; uniuersis Philosophiæ studijs artium suarum æstimatione doctissimi. Hi cum rationem ab eo exigerent fidei, quam in Christo habemus, & niterentur arguta sophismatũ interrogatione, de diuina cruce eum illudere, intra silentium paululum uoce cõpressa, primùm eorum miseratus errorem est. Deinde per interpretẽ, qui eius uerba diligentissimè in Grecum solebat exprimere sermonem, ita exorsus est, dicens: Quid pulchrius est, quid'ue honestius, crucem colere, an adulteria? parricidium uel incæstum, his assignare quos colitis, cum in altero cõtemptus mortis insigne uirtutis sit, in altero turpis religio sit obscœnitatis magistra? Quid melius est dicere, quòd Dei uerbum manẽs ut erat ob salutem nostram humanum corpus assumpserit, ut societate mortalitatis nos eueheret ad cœlum, participesq; naturæ cœlestis efficeret: an, ut ipsi asseritis, diuinæ mentis haustum, ad terrena ueneranda caput submittere, & pecudum atq; serpentũ formis cœleste nomen includere? Quo ore Christianorum credulitatem audetis irridere, dicentium Christũ filium Dei sine sui detrimento, & cœpisse esse quod non erat, et mansisse quod fuerat, cum ipsi animam de cœlestibus detrahentes, non tantum hominum, sed & pecudum soleatis sepire corporibus, Christiana credulitas pro salute mũdi Deum suum uenisse testatur: uos uerò innatã animam prædicantes, ultro citroq; transfertis. Christiana fides quæ omnipotentiã Dei clementiamq; ueneratur, cõsequenter incarnationẽ dicit Deo fuisse possibilem, ita tamen ut non euacuauerit dignatio dignitatẽ, quos qui animam ex splendissimo Dei fonte manantem turpiter decidisse iactatis, qui mutabilẽ & conuertibilem eam post sui diminutionẽ audetis asserere, iam illam quoq; naturam dominam seculorũ, per animæ cõtumelias impia lingua temeratis. Imago enim quæ secundũ nos naturalem similitudinẽ sui retinet auctoris, cui una est ex quo defluit eademq; substantia humilitates proprias & iniurias consequenter ad suam originem remittit.

Igitur animaduertite cõtumelias animarũ, ad patrem ut appellatis earum, per uestram blasphemiam redundare. Crux Christi Domini Dei nostri nobis ingeritur. Rogo, quę hic est religionis obscœnitas? Nónne potius est crucem, aut alicuius generis mortem ab iniquis hominibus illatã patiẽter sustinere, quàm Isidis plangere post Osirim uagos incertosq; discursus. Pudeat quæso uos insidiarũ Typhonis, pudeat Saturni fugæ & deuorationis crudelissimæ liberorum. Erubescite parricidiũ Iouis & incestũ, erubescite raptum eius & coitum mulierum atq; puerorum.

Ille sicut uestri fingunt Poetæ ad explendum immanissimæ libidinis furorem, molles dedit in amore uagitus, ille in Dianæ fluxit sinus, ipse amator & precium, ille modulatus ales, Ledęos petiuit amplexus: ille in propriũ sæuiens sexum, regium puerum ministris auibus polluit. Hæc uos creditis, hæc colitis. Hæc sunt uestrorum ornamenta templorum. Aequo, deprecor, pro uestra salute, dicta pensate iudicio. Cuncta an nihil libris credenda sunt Christianis? Si nihil, nec crucis quoq; cui detrahitis nomen agnoscitis: Si uniuersa credenda sunt, cur cum in isdem libris cruci resurrectio copuletur, passionẽ diuinam stolido laceratis eloquio, & non statim iungitis cęcorũ uisum, surdorum auditum, claudorũ gressum, lepræ emundationẽ, seruiens ambulanti Deo suo mare, dæmonum fugas, resurrectionem mortuorum, & defunctorum ab inferis reditus? Hæc omnia scripturis quas interpolatis inserta sunt, & isdem uoluminibus cõtinentur pręconia maiestatis & mortis. Quamobrẽ, odio quo imbuti estis abiecto, inuenietis ilico & Deum uerum esse Iesum, & salutis humanæ gratia fragilem assumpsisse naturam. Vestram tamen nobis (si non pudet) narrate religionem, sed quas (ô error infœlix) poteris referre culturas de tanta

rerum

A rerum fœditate atque uecordia? Nisi forte, ut audio, fabulas asseritis deorum ue-strorum, & obscœnitates & crudelitates, & uanitates, & mortes, tegentes eas allegoricis uelaminibus, Liberum raptum, terram Proserpinæ, semiclaudum Vulcanum & debilem ignem, Iunonem aërem, Apollinē solem, Dianam lu-nam, Neptunum maria, & libidinum principem Iouem ætherem interpretan tes. Nec post hanc excusationis procacitatem, Deum, sed creaturas contem-pto creatore suscipitis.

Quia si pulchritudo uos elementorum ad suam traxit uenerationē, modum fas erat custodire, & oportebat mirari tantum nec colere, ne facturę ueneratio creatoris esset iniuria. Nam secundum istiusmodi, quam uos sequimini, ratio est præpostera atque peruersa & architecti honor migrauit ad domum, & medi ci scientia ad remedia conferetur, omnium quoque artificū merita uel laudes ad opera transferentur. Quid ad hæc dicitis, ut agnoscamus quæ sit crucis ridicu-læ uobis ignominiosa confusio? Hac disputatione conuertentibus inter se phi losophis oculis, simulque mussitantibus, subridens Antonius rursum per inter-pretem ait: Perdurū nanque cuncto uidet operi, quotiens iusto uniuersæ rei te-nore calcato, laboris merita factis, magis quam factoribus astruunt. Elemēta qui-dem, ut memoraui ex ipso cōspectu, suam cōprobant seruitutē. Sed quoniam uos obseruatione dialectica, necessaria ut putatis queque colligitis, hoc quoque ar tificio etiā nos nostram religionē cōpellitis affirmare. Respondete mihi: Co-gnitio Dei quemadmodū manifestius approbatur, per lectionē uerborum, an per operationem fidei? Et quid antiquius est, operatio fidei, an disputatio per argumenta procedens? Illis respondentib. firmiorē sermonibus operationem esse, & hanc liquidam de Deo cognitionem, bene eos & ipse dixisse cōsensit:
B quia operationē quę ex fide descēdit, animi generat affectus: dialecticā uero ex artificio componentiū sumpsisse oppositionis exordia. Cum ergo, ait, ope-rationē fidei animo sitam quis habuerit, superflua erit uerborū cōpositio, per quam conceptā sensu nostro credulitatē tentatis euellere, & tamen sæpe no-stras explicare intelligentias non ualetis. Ita solidiora sunt mentis opera, quam so-phismatum fraudulenta cōclusio. Nos Christiani mysteriū uitę nostrę, non in sapientia mundi habemus repositū, sed in uirtute fidei, quę nobis à Deo tribu-ta per Christum est. Hanc orationis meæ ueritatem, rerum quotidie quæ ge-runtur ordo cōmendat: uobis imperitis & literarū uestrarū ignaris ad Dei co-gnitionem, eius solum uerba sufficiunt. Ecce nos tot gentilitatis gregibus ab-stracti in uniuersum orbem quotidie propagamur, uobis uerò post aduentum Domini, nodosæ sophismatū defecerūt uersutiæ. Ecce nos simplicem Christi fidem docti idololatriā debellauimus: & per prædicationē ignominiosæ cru-cis, aurata templa deciderunt. Vos si potestis, ostendite qua cōtextione uerbo rum gentilitatem Christo præponere suaseritis. Per omnes iam terras Deus Dei filius Christus est agnitus, nihil eloquētia sophismatū, nihil disputatio Phi losophiæ multitudini potest obesse credentium. Crucifixum nominamus & uniuersi dæmones quos uos ut deos colitis, rugiunt, atque ex obsessis corpori-bus ad primū Dominicæ crucis signū fugant. Vbi sunt illa fabulosa oracula? ubi Aegyptiorū incantationes? Quò magorū profecere carmina? Certè tunc uastata sunt omnia, cum de sua cruce mundo Christus intonuit. Nihilominus uos prætermissis debilitatorū cateruis, gloriosam Iesu mortē irridere conami-ni. Illud autē quale est, quod nunquam infestatione regali cōcussa gentilitas, imò seculo cara, & hominum præsidijs fulta iam corruit.

Nos famuli Christi quo plus premimur, eo magis assurgimus & floremus. Vestra simulacra ornatis quondā septa parietibus, iam uetustate collapsa sunt. Christi uerò doctrina quæ uobis stultitia uidetur & ludus, licet tyrannica per-sequentium principū tentamēta pertulerit, licet uarijs sit incursata terroribus,

Honor creatoris non dandus creaturis.

Collatio Christianæ doctrinæ et fidei cū gentilitate.

Christiani quanto magis premuntur, eo magis florent.

nullo tamen terrarum orbe concluditur, nullo gentium barbararũ fine prohibetur. Quando enim diuinæ scientiæ tantus splendor illuxit? Quando tot simul in se cõuenere uirtutes? Continẽtia in matrimonio, uirginitas in ecclesia, floret martyrium pro Domino suo gloriosa constantia: quorum omniũ crux Christi principium est. cum interim uos inter tantos uirtutum choros, syllogismorum retia tenditis, & ueram rerum lucem tenebrosis conamini argumentationib. obuoluere. Ecce nos (ut dixit doctor noster) nõ in gentili persuasione, sed in fide apertissima suademus, quæ uerborum affirmationẽ præuenire consueuit. Assunt quippe patientes à dæmonib. uexati, quos cum in medium produxisset, uerba repetiuit dicens: Nunc uos collectionib. uestris, & quo uultis malefico carmine deos uestros quos putatis expellite: sin autem non potestis, uictas submittite manus, & ad Christi trophea confugite, & statim crucifixi credulitatẽ maiestatis potentia prosequet. Dixit, & inuocato nomine Iesu, cum uitale signum in sacro numero trinitatis pressisset in frontibus, unà cum expulsis dæmonibus, uana pręsentium philosophorũ confutata sapientia est. Expauerunt enim stupentes hominẽ, cui post tantum ingeniũ afflueret signorum diuina largitio. At ille uniuersa Christo qui curauerat ascribens, usus est affatu reciproco, & ait: Nolite me putare his sanitatẽ dedisse, Christus per seruos suos facit ista miracula. Credite & uos, & uidebitis, quia deuota Deo fides non eloquentię uanus tumor talia signa mereat. Cõfugite ad crucifixi legem, nosq; eius imitamini famulos, et hoc scientiæ fine cõtenti, nulla deinceps secularis imprudẽtię argumenta quęratis. Hactenus Antonio dicente, miro philosophi stupore perculsi, & cum honorifico salutatu ab eo recedentes, multum eius sibi fatebant profuisse conspectum. Hoc in eo uiro mirabile est, ut hominem in extremo mundi limite conditum, & fauor principũ, & omnis celebraret aula regalis. nam & Constantinus Augustus, & eius liberi Constans, atq; Constantius talia cognoscẽtes, crebrò ad eum quasi ad patrem missis literis obsecrabãt, ut reciprocis eos scriptis hilararet. At ille eiusmodi manens, qualis & antè q̃ literæ ad eum uenirent, fuerat, nec salutatione principum mouebat, & tanq̃ nõ acceptis literis, cõuocatis monachis aiebat: Reges seculi ad nos miserunt epistolas, quæ hic Christianis adhibenda miratio est? Licet enim diuersa sit dignitas, attamen eadem nascendi moriendiq; cõditio est. Illa sunt ueneratione omni percolenda, illa toto animi affectu retinenda sunt, quòd hominibus Deus legem scripserit, quòd per filium suum proprijs ecclesias ditauerit eloquijs. Quę monachis est ratio cum epistolis regum? Cur accipiã literas quibus cõsueta nesciam reddere salutationis obsequia? Igitur rogatus ab uniuersis fratribus, ut Christianos reges suis literis refrigeraret, ne scilicet per silentium eius exasperarent, ad susceptas epistolas cõuenientia rescripsit. Laudauit primùm, q; Christũ colerent. deinde salutaria persuasit, ne magnam putarent regiam potestatẽ, ne pręsentis carnis imperio tumentes, se homines esse nescirent, & iudicandos à Christo obliuiscerent. Ad postremũ clementię circa subiectos & iustitię, curam quoq; inopum admonuit, atq; unum sempiternũ esse regem omnium seculorũ Iesum Christum epistolis testatus est. His principes susceptis uehemẽtissimè lætabant. Sancta quoq; apud cũctos Antonij flagrabat opinio, ita ut eius se filios cuperẽt nominari. Magna etenim cũ aduenientibus affabilitas, omniũ in se studium cõuerterat. Postquã ergo gentiles cõfutati, reges admoniti, fratres ab eo sunt consolatione releuati, ad interiorẽ montem, & ad rigorem solitum regressus est, ibiq; sæpe cum introeuntib. deambulans, ac residens stupebat, sicuti in Daniele scriptũ est, & interiectis horarum spacijs cõsequentia respõdebat, ut intelligeret aliqua reuelationis uidisse secreta. nam in monte positus, ea quæ in Aegypto longè gerebant pręuidens, episcopo Serapioni ibi constituto narrauit.

LAMEN-

A LAMENTABILIS SEQVITVR VISIO, ET OMNI- *lachrymarum fonte plangenda.*

CVm enim cum fratribus circa se sedentibus operaretur, intentè fixit oculos in cœlum gemens atque suspirans. Et post aliquantum spacium reuelationis incœptæ, nimio dolore contremuit, & statim fixis genibus ante Dei uultum prouolutus orauit, ut clementia sua futurum auerteret scelus. Succedunt orationi lachrymę, metus ingens inuadit præsentes, obsecrant ut tantę calamitatis exponeret uisionem. Singultus occupant uocem, lingua fletib. præpedit, & in medio conatu sermo gemitu interrumpitur. Vix tamen cum uociferatione fluctuosa ait: Melius erat, ô filioli, impendens piaculum cita morte lucrari. Sic incipiens rursum lachrymis uincitur, & inter ægra suspiria tandem pectori commodans uocem, Magnum, inquit, quoddam & uniuersis seculis inauditum imminet nefas. Magno fides catholica turbine subuertetur: et homines iumentis similes, Christi sancta diripient. Vidi enim altare Domini multorũ circundatũ multitudine, qui crebris calcium ictib. omnia dissipabant. hęc est causa gemituũ quos audistis. Et facta est uox Domini dicens: Abominabitur altare meum. nec mora, uisionem sequitur effectus. Nam post annos duos, sęua Arianorum irrupit insania. Tunc ecclesiarum rapinæ, tunc diuinorum temeratio uasorum, tunc pollutis ethnicorum manibus, sacra polluta sunt ministeria, tunc paganorum opificum præsidia aduersum Christum cõparata cum assumptione palmarum, quod idololatriæ apud Alexandriã insigne est: ad ecclesiam pergere compellebantur Christiani, ut Arianorũ populi crederent. Proh scelus, horret animus replicare quæ gesta sunt: Virginum matronarumque ereptus pudor, sanguis ouium Christi in Christi templo effusus ueneranda respersit altaria, baptisterium pro uoluntate gentilium pollutum est. Nihil defuit, uisionis ueritatem monstrauit effectus: quod calcitrantium mulorum indisciplinatio, Arianorum esset impietas. Sed istam tristitiam consequentis reuelationis prosperitate consolatus est, & ait: Nolite filioli mœrori uos penitus cedere. ut enim iratus est Dominus, sic rursum miserebitur, & suum citò ecclesia recuperabit ornatum: eosque qui in persecutionibus fidem Domini seruauerint, solito uidebitis fulgore relucentes. Reuertẽtur ad foueas suas serpentes, & religio longius propagabitur, tantum uidete ne fidei uestrę sinceritas Ariana labe sordescat. Non apostolorũ, sed dæmonum & patris eorum diaboli ista doctrina est, ob id per insipientiam iumentorũ similis, pecudum eorum expressus est animus. Hucusque Antonius. Sed nos minimè conuenit diffidere, tam grande miraculum per hominem potuisse ostẽdi. Saluatoris enim promissio est, ita dicentis: Si habueritis fidem ut granum sinapis, dicetis huic monti, Transfer te, & transferetur, & nihil impossibile erit uobis. Et iterum: Amen, amen dico uobis, omne quod petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Petite & accipietis. Ipse enim suis discipulis, & uniuerso credentiũ gregi, nũc subiectionem dæmonum, nunc uariarum infirmitatũ pollicens curationem, aiebat: Gratis accepistis, gratis date. Nunquid suæ uirtutis imperio curabat Antonius? Nunquid suæ possibilitatis arbitrabatur esse quod fecerat? Orationibus, non præceptis dæmones morbique cesserũt, & ad Christi Dei nostri nominationem semper uniuersa perfecta sunt. Nemo sapientium sanitatum admirationem ascribat Antonio, sed Domino IESV, qui solitam erga creaturas suas exhibens beneuolentiam, nunc quoque per electum famulum suum indulgenter exercuit. Antonius tantum orabat, & uitæ eius merita cuncta Dominus largiebatur. Sæpe autem & contra uoluntatem ad exteriorem montem à fratrib. perducebatur. Et cum iudices, qui ad interius archisteriũ propter asperitatẽ itineris, & obsequentiũ multitudinẽ & horridã solitudinẽ ire non poterãt, precario quęrerẽt, ut eius fruerentur aspectib, nec impetrare possent, quia molestissi-

B

molestissimè ferebat uexationem discursuum. Ipsos catenatos quos aut noxietas, aut uigor publicus constrinxerat, ad eum destinabant, scientes tales ab Antonio nō posse contemni, quorum fletib. superatus, pertrahebatur ad exteriorem montem, agnoscens laborem suum utilem miseris fore. suadebatq; iudicibus qui eum inuitauerāt, ut in sententia proferenda, & odio & gratiæ, Dei timorem anteponerēt, nec ignorare eos debere quod scriptū est: Quocunq; iudicio iudicaueritis, in eo iudicabiī de uobis. Attamē inter medios sermones caræ sibi solitudinis recordabaī. Post coactā itaq; præsentiā, quam ducis preces, & quod uerius est, miserorū fletus extorserat, post salutaria monita, post reorum cōmendationem, quorundā uerò & absolutionē, postulanti duci, ut paulo largius eidem suam pręsentiam indulgeret, ait, non posse se diutius ibidem morari, grato usus exemplo quod sicuti pisces ab aqua extracti, mox in arenti terra morerentur: ita et monachos cum secularib. retardantes, humanis statim resolui confabulationibus. Ob id ergo inquit, conuenit ut pisces ad mare, ita nos ad montem festinare, ne tardantib. nobis aliqua propositi succedat obliuio. Præ tanta hominis sapiētia dux miratus, iustā de eo tulit ueramq; sententiam, dicens: Verè istum esse Dei famulū, nec in rustico homine potuisse tantam aliquando inesse sapientiā, nisi diuino amore regereī. Præterea cum Balacius qui sub Nestorio præfecto Alexandrię dux Aegypti fuit, homo Arianæ iniquitatis studiosissimus fautor, ita Christi ecclesiā persequereī, ut animo uesano uirgines monachosq; nudatos uerberaret in publico, ad eum Antonius literas misit, quarum ista sententia est: Video iram Dei uenientem super te, desine persequi Christianos, ne te ira occupet, quæ proximū iam tibi minatur interitū. Legit infelix epistolā, & irrisit: atq; in eam expuens, proiecit in terrā. portitores quoq; multis afficiens iniurijs, Antonio talia renunciari præcepit: Quoniā cura tibi tantopere monachorū est, etiam ad te mei uigoris transiliet disciplina. sed cōfestim minitatorē oppressit suppliciū, et post quinq; dies os effrenatum ultio diuina cōpescuit. Egrediī enim ad primam mansionē Alexandriæ quæ appellaī Chereum, cum supradicto Aegypti præfecto Nestorio, uehuntur equis, quos inter omnes Balacius, cuius erant mansuetissimos nutrierat. Cum ergo pariter solito sibimet equi alluderēt, mitior quo Nestorius uehebatur, morsu repentino Balaciū decussit in terrā: ac sic in eum inhians, femora eius lacerauit atq; corrosit: ut statim relatus ad ciuitatē, post tertium diem moreretur, uniuersiq; agnoscerent minarum ab Antonio prædictarum effectum quantocyus consecutum, digno persecutoris fine completo.

Cæteros ad se uenientes mira cum modestia Antonius admonebat, ut obli ta seculi dignitate, remotioris uitę beatitudinem appeterent. Si qui aūt maiori potestate premebātur, nec poterant obtinere iustitiam, ita eos obnixè defendebat, ut ipse pro illis pati uideretur iniuriā. multis utilis fuit pręclari senis oratio, multi magnis diuitijs & altiori gradu militiæ derelicto, eius adhæsere curriculis. Et ut infinita breui sermone cōprehendam, bonum Aegypto medicū Christus indulserat. Quis nō tristitiā apud Antoniū mutauit in gaudiū? quis non iram uertit in pacem? quis orbitatis luctum non ad eius temperauit aspectum? quis nō mœrore paupertatis quo premebaī abiecto, statim & diuitū despexit opulētias, & in sua lętatus est paupertate? quis post lassitudinē monachus non eius uegetatu hortatus est? quis adolescentiæ ætatis accensus ardoribus, non ex eius admonitu, pudicitiæ amator fuit? quis uexatus à diabolo, sine medela rediit? quis inimici cogitationibus distractus, non cæca tempestate sopita, sereno regressus est animo. Sciebat enim quo quisq; laboraret incōmodo, & ex uitæ meritis discretionem spirituum agnoscens, adhibebat uerborum, prout erant uulnera, sanitatem. Vnde effectum est, ut post eius doctrinam omnes diaboli panderenī insidiæ. Multæ quoq; ad eius conspectū despōsatæ puellæ, ab ipso

A ab ipso pene thalamo recedẽtes in Ecclesiæ matris gremio cõsederunt. Quid plura? Totius orbis homines ad eum confluebant, & uniuersarum gẽtiũ uarietas, bellicosissimum contra dæmones uirum conspicere gestiebant. Nullus se frustra illuc uenisse conquestus est, omnibus delectationi atque iucũdum laboris commercium fuit. Fatigatio enim itineris, emolumentum uiatici reportabat, sicut rei probauit effectus. Nam post resolutionem eius, quasi communi funere orbitatis excepto, proprium singuli parentem luxerunt. Quis autem finis uitæ eius fuerit, dignum est & me commemorare, & uos cum desiderio audire, quia & hoc in eo imitabile cunctis fuit. Iuxta cõsuetudinem ad uisendos fratres, qui in exteriori monte erant, uenit: ibique à diuina prouidentia de sua morte condiscens, ita exorsus est, dicens: Vltimam filioli patris audite sententiam. non enim arbitror, quòd in hoc seculo iterũ uos uisuri simus. Cogit conditio naturæ, ut post centenarium numerum, quem annis quinque supergredior, iam resoluar. Ita loquutus, audientium pectora contristauit, gemitus lachrimæque dicta mœrentia cõsecutæ sunt. Amplexabantur eum uniuersi, quasi iam de seculo recessurum. At ille tanquam aliena deserẽs, ad propriam patriam profecturus magna cum lætitia præcipiebat, desidiã instituto non debere surripere: sed tanquam quotidie morituros, ut antè prædixerat, à sordidis cogitationibus animam custodire, & omnem æmulationem ad sanctos quosque conuertere: ad Meletianos uerò scismaticosque, ne propè quidẽ accedere. Scitis enim, aiebat, eorum antiquam peruersitatem. neque cum Arianis communione iungamini, quia impietas eorum iam omnibus manifesta est. His etiam illud addebat, nullum debere Christianum, cum seculi uiderit potestates, pro Arianorum & Meletianorum pugnare nequitia, à Christi territum discedere ueritate: mortalium illam esse defensionem, nec diu fallacem permanere posse phantasiam. Quapropter, aiebat, custodienda est pia fides in Christo, & patrum religiosa traditio, quam ex scripturarum lectione, & crebro meæ paruitatis didicistis admonitu.

De morte Antonij.

Antonius 105. annorum.

Monet cauendos Hæreticos.

Hortatur ad fidei perseuerantiam.

B Finito sermone, fratres eum uehementissimè retardabãt, glorioso patris cupientes termino decorari. Sed multas ob causas, quas & silentio demõstrabat, pręcipuè tamen ob pręsumptã Aegypti consuetudinẽ, cõtradixit. Mos etẽm Aegyptijs est, nobilium & pręcipuè beatorũ martyrum corpora, linteamine quidem obuoluere, & studium funeri solitum non negare: terra uerò non abscondere, sed super lectulos domi posita reseruare. Hunc honorem quiescentibus reddi, inueteratę consuetudinis uanitas tradidit. De hoc Antonius sæpe & episcopos deprecatus est, ut populos ecclesiastica contestatione corrigerẽt: & laicos uiros ac mulieres rigidius ipse conuenit, dicens, nec legitimum hoc esse, nec Deo placitum: quippe cum patriarcharum & prophetarũ sepulchra, quæ ad nos usque perdurant, hęc facta conuincerent. Dominici quoque corporis exemplum oportere intueri iubebat, quod in sepulchro positum, lapide usque ad resurrectionis diem tertium clausum fuerit. atque his modis uitium circa defunctos Aegypti, etiam si sancta essent corpora, coarguebat dicens: Quid maius aut sanctius corpore potest esse Dominico? quod iuxta consuetudinem gentium cæterarum, humo conditum esse scimus. Hæc iusta persuasio multorum insitum euellit errorem: & repositis in terra cadaueribus, Domino gratias pro bono magisterio retulerunt. Metuens ergo consuetudinem supradictam, ne eodem etiam circa se haberentur errore, celeriter ualedicens monachis qui confluxerant, ad amicum uirtutis habitaculum repedauit. Post menses autem paucos, cum non mediocre incommodum senilia membra turbasset, uocatis ad se duobus fratribus, quos ibidem ante quindecim annos, modico interuallo seiunctos instituerat, quique ei iam seni cœperant ministrare, ait: Ego quidem filioli, secundum eloquia scripturarum, patrũ gradior uiam: iam

Mos Aegyptiorũ in conseruandis defunctorũ corporibus.

Postrema concio Antonij.

enim Dominus me inuitat, iam cupio uidere cœlestia: sed uos, ô uiscera mea, A
admoneo, ne tanti temporis laborẽ repente perdatis. Hodie uos religiosum studium arripuisse arbitramini, & cœptæ uoluntatis fortitudo succrescet. Varias dæmonum nostis insidias: uidistis eorum & impetus feroces, & uires effœminatas. Iesum suspirate, & credulitatẽ nominis eius uestris figite mentib. & à certa fide uniuersi dæmones fugabuntur. Mementote etiam admonitionum mearum, & incertæ conditionis uitam quotidie ancipitem pertractate: & cœleste uobis præmium sine cunctamine tribuet. Schismaticorũ quoq; & hæreticorum uenena uitate, meumq; circa eos odium sectamini, quia Christi sunt inimici. Scitis ipsi, quòd nullus mihi nec pacificus quidẽ sermo cum eis aliquãdo fuerit, propter prauã eorũ uoluntatẽ, & pertinax contra Christũ bellũ. In hoc aũt magis estote soliciti, ut Domini præcepta seruetis, ut post mortem uestram sancti quiq;, quasi amicos & notos in ęterna uos recipiãt tabernacula. hæc cogitate, hæc sapite, hæc retexite: & si qua mei uobis cura, si qua patris memoria est, si mihi uicarium rependatis affectũ, nullus ad Aegyptũ meas perferat reliquias, ne uano corpus honore seruetur: ne uituperati ritus à me, ut nostis, etiam circa me seruentur obsequia. Huius enim rei gratia, maximè huc sum regressus. Vos igitur humo tegite, uos patris operite corpusculũ: & illud quoq; senis uestri custodite mandatum, ut nemo pręter uestram dilectionẽ, locum tumuli mei nouerit. Confido in Domino, quia necessario resurrectionis tempore, hoc corpusculum resiliet incorruptũ. Vestimentorum autem meorũ sit ista diuisio. Melotem & pallium tritum cui superiaceo, Athanasio episcopo date, quod mihi nouum ipse detulerat. Serapion episcopus, aliũ accipiat melotem, uos cilicinum habetote uestimentum, & ualete uiscera mea. Antonius enim migrat, & iam nõ erit in præsenti seculo uobiscũ. Verba finierat: & osculantib. se discipulis, extendens paululum pedes, mortẽ lætus aspexit: ita ut ex hilaritate uultus eius, Angelorum sanctorum, qui ad perferendam animam B
eius descenderant, præsentia nosceretur. Hos intuens tanq; amicos uideret, animã exhalauit, & additus est patribus secundum ordinẽ scripturarũ. Seruauerunt mandata discipuli, inuolutũ ut pręceperat corpus humo operiẽtes: & nemo interim usq; ad hãc diem, præter eos, ubi sit conditũ, nouit. Legatarius aũt Antonij benedictionem, qui tritum pallium cum melote imperio eius meruerat accipere, Antoniũ in Antonij muneribus amplectitur, & tanq; magna hęreditate ditatus, lætanter per uestimentum recordatur imaginem sanctitatis. Hic Antonio uitæ terminus fuit, ista principia meritorum. Quæ licet parciori, ut prędixi, sermone narrauerim, tamẽ ex his potestis aduertere, qualiter homo Dei à pueritia ad senectã usq; peruenerit: & quòd omni semper dubitatione calcata, nec languori nec longęuæ quicq; ætati aliquando cõcesserit. Magis autem æqualitatem propositi tenẽs, nec uestimentum mutauit, nec pedes lauit, nec escam sectatus est molliorem. oculorum quoq; aciem & numerum dentium, licet paululũ ob ætatẽ uiderent attriti, nec non & pedũ incessum, totius etiam corporis firmitatẽ, ita contra iura naturæ meritorũ gratia custodiuit, ut lautorũ corporũ quæ balneis atq; delicijs cõfouent, hilarior eius caro uideretur. Hoc etiã, fratres, quòd per omnes prouincias amor eius famaq; uolitauit, quem nec librorũ dissem̃inatorũ oratio luculenta, nec mũdanæ sapictiæ disputatio, nec nobilitas generis, nec opũ infinita cõgestio cõmendauit, cui omniũ ore est ascribẽdũ nisi Christo, cuius hoc donũ est? Qui deuotos eius animos, erga suam peruidens maiestatẽ, hominẽ alio penè orbe celatũ, & inter tantas positũ solitudines Africæ, Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, Illyrico: ipsi etiam quæ urbium caput est Romæ, ut in exordio promiserat, demonstrauit. Creatoris est ista benignitas, qui famulos suos, licet nolentes, nobilitare cõsueuit, ut uirtus possibilis, nec ultra humanã esse naturã, sanctorũ doceat exemplis, et ad beatę

uitæ

A uitæ imitationem, ex fructu laboris optimus quisque impellatur. Hunc itaque fratribus librum magnopere perlegere curate, ut agnita fideli uita sublimium monachorum, sciant quòd saluator noster Iesus Christus glorificātes se glorificat: & seruientibus sibimet, non tātum regna cœlorum, sed etiam hic in ipsis montium secretis latere cupientibus, famæ tribuit nobilitatē, scilicet ut & ipsi fruantur laude meritorum, & cæteri eorum prouocentur exemplis. Si autem necessarium fuerit, & gentibus legite, ut uel sic agnoscant, quia Dominus noster Iesus Christus non solum est Deus Dei filius, sed etiam his qui eum solicitè colunt, & in eum fideliter credunt, hanc dedit potestatem, ut dæmones, quos illi deos esse arbitrantur, conculcent atque eijciant, deceptores scilicet hominum, & totius corruptionis artifices.

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO D. CLAVDIO A' BAVMA, ELECTO BISONtinæ diœcesis Archiepiscopo, Gilbertus Cognatus Nozerenus S. P. A



Emor in clientelam me semel receptum à Reuerendiss. T. A. Pręsul illustriss. ne quid in officio cessem, quantum mea conditio patitur, dicare tibi uolui gustum laborum meorum, quos hisce Christi natalicijs exantlaui. in quorum commendationem nihil ferè adijcio, ne uidear hæsitare de A. T. perspicacia. Cæterùm Simeonem Metaphtasten de diuo Nicolao, magno Myrensi episcopo, & Athanasium de D. Antonio Aegyptio monacho, è græco in latinum uersos, ueteres licet, noua tamen & emaculatior commendabit facies. Extrema uerò codicis pars placere poterit, etiam nouitatis nomine. In historia porrò superioris, præclara testimonia extant ueri episcopi, seu prædicatoris Euangelici: ideóque digna est quæ diligenter cognoscatur, atq; etiam in ecclesia tractetur, ut intelligant homines pij, quod officium olim habuerint ueri Episcopi in Ecclesia, & quòd hac nostra ætate tãtum ferè hæreat episcoporum titulus in illis hominibus, qui nomen Episcopale sibi usurpant, & nulla cura aut cogitatione ueri Episcopalis officij tanguntur. Et quanquam B quibusdam utraq; superfluis in multis referta uideatur, tamen ideo quæ in ea sunt optima & utilia, cõtemni non debent. Itaq; ut huiuscemodi morosis hominibus seruiatur, ambas historias, cum aliquot alijs, in breuissima compendia, quoad fieri potuit, redegi, atq; simpliciter & perspicuè enarraui. Hæc autem qualiacunq; tuæ A. præ cæteris probari cupio, cuius perpetuus fauor, & alacritatem mihi acuit, & benemerendi auget studium. Sed non detinebo T. A. diutius, cui quamprimum libuerit, uel horulam hisce nostris historijs impendisse, non pœnitebit spero. Quod superest, oro, ut erga Cognatum tui similis esse pergas: cui precor omnia prospera, tuisq; digna uirtutibus. Datum Nozerethi, ipsis nonis Ianuarij, 1552.


EX primo Actorum apostolicorum capite constat, Mathiam fuisse unum ex discipulorum numero septuaginta uocatum à Christo ad cognitionem euangelij, cuius & apostolus factus est, cum nihil minus futurum esse speraret: estque hic locus ualde cõsolatorius adflictis conscientijs quæ facilius in tentationibus acquiescũt uerbo Dei, cum audiunt omnes sanctos peccatores fuisse & ex gratia Dei conuersos ad Christum per quem & saluati sunt. Porrò quanquã ad apostolatum per Christum ipsum non est uocatus Mathias: tamen quia non humano iudicio, sed sorte iuxta uoluntatem Dei delectus est in locum Iudæ Iscarioti proditoris, & cooptatus est duodecimus in numerum apostolorum undenarium, præter suam & aliorum expectationem, ideoque hoc ipsum non minorẽ commendationem diuinæ gratiæ ac uoluntatis meretur, quàm si à Christo ipso ad apostolatum uocatus fuisset. Apostoli enim nihil in hac causa priuata authoritate agentes, rem omnem per orationem Deo commiserunt. Atque ita contigit ut sorte eligeretur Mathias in numerum apostolorum. Cæterùm post Pentecosten digreßis apostolis in alias atque alias orbis partes, Mathias dicitur in Iudæa docuisse Euangelium. Sunt qui existimant ipsum in Aegyptũ peruenisse ubi est irruptio Apsari & Hyßiportus, atque ibi Christum prędicasse & tandem morte affectũ. Sed hæc ut uariant apud scriptores, ita incerta quoque sunt. Illud autem certißimum, quod non docuit aliud, quàm Euangelium Christi, iuxta mandatum Christi: Ite in orbem uniuersum, & prædicate Euangelium. Item: Docẽtes seruare omnia, quæ ego præcepi uobis. atque hoc etiam nomine
B Mathiam passum esse & morte adfectum, dubium non est. Iuxta illud quod Christus ipse futurum esse apostolis, atque adeò omnibus ueris prædicatoribus prædixit, Math. 10. cap. propter confeßionem nominis sui. Est igitur in tota historia Matthiæ confirmatio quædam doctrinæ & fidei nostræ in Christũ, quem ipse prædicauit alijs, & per quem ipse seruatus est.

DE SANCTO MATHIA APOSTOLO.

Baptista Mantuanus.

Mathia donate Deo: sic namque latino
Diceris eloquio, lingua Theodorus Achiua.
Nomina res sequitur: nam cùm post funera Iudæ
Sacrilegi uellet fractum reparare senatum,
Et numerum supplere Deus, te lumine fuso
Cœlitus & radijs circum tua tempora mißis
Illustrauit, & hoc dignum monstrauit honore.
Hæc sors illa fuit quam coram patribus olim
Te supra cecidisse ferunt. apparuit isto
Indicio quidnam de te sentiret Olympus.
Propterea lux hæc Martis uicina Calendis
Est sacrata tibi: quotiens adiungitur isti
Vna dies mensi: quod fit, cum quattuor annos
Atropos occarit uigesima quarta locanda est
Semper hyperbolicæ sedes ea debita luci.
Præter enim bis sex menses sex continet horas
Annus, & ex istis quarto subnascitur anno
Vna dies horis sexto finita Calendas
Martis, & hinc mensis uigesimaquarta secundi
In geminas lux uersa dies bis sexta uocatur,
Idque ideo talem nomen transfudit in annum.
Iulius hoc Cæsar distinxit tempora quondam
Ordine, & in partes diuisit quattuor annum,
Quæ redeunt uerso sua per uestigia cursu.
At Deus in finem qui dirigit omnia, parti
Officium dat cuique suum. nam frigore pulso
Attribuit ueri flores, exordia frugum:
Primigenas autem fruges sibi uendicat æstas,
Vt corylos, pira, pruna, cicer, frumenta, fabasque.
Cætera ad autumnum ueniunt: at fessa ferendis
Frugibus hyberno tellus sub frigore dormit
Ac reparat uires, & fit fœcunda cubando.
Contigit id præclarum illud dignumque notatu,
Quòd ueluti patrum numerum superadditus auges
Sancte senex, sic quæ mensem producit & auget,
Lux tibi sorte datur: positus pro limite talis
Sol tuus augmenti fit casu illustrior illo.
Sed mirum est quod fama refert, hunc scilicet annum
Ominis esse mali, solitumque offendere fruges
Atque hominum uarios infortunare labores.
Tum male depangi uites, mala semina, uicis
Rura putant credi, pecoris male pignora nasci,
Semina pomorum pedibus conuersa supinis,
Et capite in terram memorant adolescere nusso.
Sæpius audiui, cum quis dare rebus agendis
Principium uellet, dici, Meliora require
Tempora, hyperbolico frustra conaberis anno.
Nil tamen interpres cœli, nil Tuscus aruspex,

Nil magus inuenit, quod dici debeat huius.
Causa mali, quod uirus agat tam triste per orbem.
Quo fit ut errorem nugis uulgaribus istum
Attribui debere putem. fœlicior iste
Iudice me credi debet: quia longior annus.
Scilicet in syluis arbor magis ardua fertur
Dignior: in caulis taurus præstantior alta
Cui ceruice magis caput à tellure leuatum est.
Grana magis laudant quæ sunt maiora coloni.
Hæc mala Saturno quidam tribuere putantes,
Sidus id infestum terris discrimina in annos
Talia consuetum semper transfundere quartos.
Sicut & in febri quam fert Saturnius humor,
Mittitur in quartum morbi uiolentia solem.
Sed tenebras palpant, cæcoq; errore feruntur.
Quisquis enim nescit rerum dignoscere causas,
Effectus, ut scire aliquid uideatur, Olympo
Imputat, ignorans istis defenditur armis.
Si tamen occulti quicquam fortasse ueneni
Annus habet: tu sancte pater, qui sidera calcas,
Et super excelsi resides curuamina mundi,
His occurre malis, talemq; interfice pestem.
De fato non una tuo sententia patrum.
Sunt qui pacifica dicant te morte receptum
In superos: sunt qui Romano more securi
Percussum, exhalasse animam, cum ponere nolles
Sacra Ioui, memorent. Omnes uno ore fatentur,
Te postquam longè ac latè Iudæa per arua,
Perq; Palæstinas urbes, Syriamq; per omnem
Errasti Christo famulans, in sidera sumptum.
Aspice nos igitur cœli de sedibus illis
Quas habitas, hodieq; meas bonus accipe uoces,
Atq; tuam facias in nos descendere sortem.

DE MARCO EVANGELISTA.



Arcus Euangelista qui & Ioannes uocabatur, patruelis Barnabæ, discipulus & interpres Petri fuit, quem Petrus in epistola prima sub finem filium uocauit spiritualem, & propter quem Paulus & Barnabas 16. Actorum contendunt. Nam Paulus à ministerio Euangelico ut timidum repellebat. Barnabas uerò assumendum ut non pœnitendæ spei iuuenem suadebat. Sed dum neuter hic sua sententia cederet, distrahuntur, nec sine maxima Euangelij fruge. Nam dum Paulus electo Sila in Syriam, Barnabas uerò cum Marco suo in Cyprum abiret, latius propagabatur Euangelium. Is anno ab assumpto Christo decimo Romę Matthæi Euangelium in compendium redegit, quod Petrus probauit, & ecclesiæ legendum tradidit. Missus tandem in Aegyptum primus Alexandriæ Christum annuncians, ecclesiam tanta doctrinæ & uitæ continentia constituit, ut omnes Christi sectatores redderet. Mortuus est autem ibidem octauo Neronis anno, & sepultus Alexandrię 33. annis post Christi passionem, in cuius locum successit Anianus. Eius uitam etiam ex probatioribus autoribus collectam descripsit Theodorus Bibliander.

DE EODEM, ET FORMIS EVANGELISTArum, Baptista Mantuanus.

Marce comes Petri quondam, Leuitica proles,
Cui faciunt uates os effigiemq; leonis,
Vt perhibent quidam, quorum sententia neruis
Nititur infirmis, & cruribus ambulat ægris.
Exit enim de somniferæ caliginis umbris
Inscrutabilibus uatum monstrosa loquentum
Visa per ambages hominem ducentia longas.
Quo fit, ut interpres nullus cognouerit illas
Quattuor effigies quæ distribuuntur in istos
Quattuor autores. ideo diuersa loquuntur,
Nec sapiunt unum. tamen hæc inoleuit ubiq;,
Perduratq; fides librorum exordia propter,
Vt Matthæus homo, Marcus leo, prima Iohannes
Sit uolucris, Lucas crescens in cornua taurus.
Marcus enim regale aliquid dignumq; leone
Principio fatur, sonat alta arcana Iohannes,
Et penetrat stellarum ignes uisu atq; uolatu.
Ingreditur Matthæus humi, dum sanguine Christum
Ducit ab humano. Lucas uelut hostia ad aras
Ducta sacerdotum, primis sonat orgia uerbis.
Talibus antiqui dictis secreta laborant
Declarare tuæ patres mysteria formæ.
Sed quid opus uano consumere tempora nixu?
Hæc tua Marce dies, quæ nascitur ante Calendas,
Septima cum redolens tellus parit omnia Maias,
Tu recitas breuibus Christi miracula chartis.
Indice te carni primum didicere salutem,
Qua stetit in campis Aquileia palustribus olim.
Vrbs Aquileia potens, magnæq; colonia Romæ.
Tu petis Aegyptum peregrina per æquora uectus.
Multaq; pro Christo Pharijs perpessus in oris,
Dum per humum traheris coniecto ad colla rudente,
Occidis, & terras fugiens ascendis Olympum.

DE

DE CLEMENTE EPISCOPO.

A Clemens Petri in episcopatu successor fuit, quo ueluti amanuensi usus est etiam Paulus apostolus, quem Philippēsibus scribens, ob insignem pietatem præ cæteris uxori suæ commendauit. Scripsit itinerarij uitæ libros uiginti. Disputationis Petri lib. 1. Item epistolas aliquot, in quibus sunt duæ ad Iacobum apostolū de morte Petri. Item unā ad Corinthios. Claruit anno 103. Obijt tertio Traiani anno.

DE D. CLEMENTE IDEM BAPTIsta Mantuanus.

Altera Clementi lux tinnula uerberat æra.
Spargit humum redolente thymo, suspendit ad aras
Virgineas lauros, & purpureos amaranthos.
Nam cum cessat humus flores proferre, coronas
Transit in hybernas tepidis amaranthus in undis
Lotus, & hæc primùm reparat medicina colorem.
Hic Romanus erat, satus ex primoribus urbis,
Ore clientelis ac sanguine clarus & auro.
Hunc sibi mandauit Petrus succedere, tanti
Instituens regni hæredem. Reuerentius autem
Prætulit ipse sibi geminos Cletumq; Linumq;,
Insignes pietate uiros, ætate priores.
Adde quòd hunc morem de successore creando
Taliter expungi penitùs, ne forsitan illinc
Sumeret ambitio uires, debere putauit.
Hic quia Faustinam magni de sanguine Neruæ,
Sisiniumq; uirum illustrem cum coniuge Christo
Subdiderat, Roma procul ablegatus ab urbe,
Hellespontiacæ petijt confinia terræ:
B *Perueni tq; Paron, lapides ubi multa secabant*
Millia Christigentum Parios, quibus ala theatra,
Templa deûm, regumq; domos ornare solebant.
Vt didicit quàm magna foret penuria genti,
Dulcis aquæ, miserās turbā, prece mouit Olympū.
Nec mora, sublato uidit penè uelleris agnum
Albicomi, stantem uicini in uertice saxi.
Accessit, ferroq; locum percussit acuto.
Ecce latex fluit ubertim de marmore fracto,
Atq; coit qua terra cauo submittitur agro.
Et quia magnus ad hæc miracula littore ab omni
Græcorum concursus erat, ne templa deorum
Desolata forent, Traiano à Cæsare missus
Aufidianus ad hoc littus tentauit eorum
Immutare animos, Christumq; abolere minando.
Ast ubi se frustra niti cognouit, in ipsum
Desæuire caput statuit, iuguloq; ligata
Anchora in Aegæas Clemens demergitur undas.
Sed cum Christigenæ starent ad littora tristes,
Et simul ob tanti patris dispendia flentes,
Corneli Phœbiq; preces fecere marinos
Ire procul, fluctus & iter præbere per alta
Aequora murorum in speciem pendentibus undis:
Ergo introgressi passum tria millia, templi
Instar opus uidere nouum de marmore, & album
Sarcophagum cum relliquijs: stabatq; sepulchro
Proxima quæ fuerat funesti conscia casus
Anchora, in abstruso maris hæc habitacula fundo
Condidit ipsa suo diuina potentia testi.
Mox ubi discessit populus, uia clausa repentè,
Et uada constrauit pelago salis unda relapso.
Dicitur hunc morem per secula longa quotannis
Obseruasse fretum. nam cum natale redibat
Martyris, excluso ducebat semita ponto
Turmatim populos usq; ad subaquatica templa.
Sed sensim labente fide, cum tempore diui
Autores istorum operum mortalia regna
Despexere, malis offensi moribus, atq;
Neglecti à nobis, nos neglexere uicissim.
Sic periere fidem decorantia plurima nostram.

DE CYPRIANO EPISCOPO.

Caecilius Cyprianus ecclesiæ Carthaginensis in Africa episcopus, qui alio nomine Thascius dictus est, ut legitur lib. 4. epistola 9. cuius hodie diuersa & præclata opera latino sermone extant: floruit sub Valeriano & Galieno principibus. Sed propter Christianismi assertionem primò in exilium actus, deinde reuocatus, cum edictum, quo capite cædendus decernebatur, audisset, Deo gratias egit, nihil præ se tristitiæ ferens. Deinde suis precepit, ut speculatori à quo percutiendus erat, quinq; & uiginti aureos mercedi darent, quasi beneficium ab eo, non interitū accepturus. Itaq; oculos ipse sudario tegens, extensum ceruicem gladio subiecit, & coronam accepit martyrij: tam animi constantia in patiendo clarus, quàm eruditione in docendo. Anno Christiano 249.

DE SANCTO CYPRIANO BAPTIsta Mantuanus.

Versibus in nostris non es fraudandus honore,
Magne pater Cypriane, tuo. uerùm tua uirtus
Longius exposcit, quàm nunc excudere carmen
Sim potis. in præsens satis est uestigia laudum

Summa sequi, metamq́; breui circundare gyro.
Tu prius ad sacrum quàm te diuina uocaret
A cultu Iouis antiqui clementia fontem,
Rhetor eras, totam sapiens Demosthenis artem,
Nec quisquam melius causas orare forenses
Tum poterat. Labi tuus Arpinatis ab ore
Sermo uidebatur, totumq́; Helicona sonare,
Atq; Medusæos fontes. tua namq; trahebat
Vulgus & egregios ad se facundia ciues,
Vt fertur traxisse feras Oeagrius Orpheus.
Ast ubi te Christi melior diatriba recepit,
Conuertisti oculos ad sacra uolumina, & illis
Noctes atq; dies studijs sublime dedisti
Ingenium. pietas uerò te tanta repentè
Corripuit, tua sic charitas præcordia cœpit,
Vt non iam mortalis homo, sed missus Olympo
Spiritus humana posses sub imagine credi.
Tunc tua Carthago Libyci regina profundi
Quæ dederat natale solum, genus unde trahebas,
Te sibi pastorem fecit, quo tempore Romæ
Incidit in rigidos præsul Cornelius enses.
Tunc uelut ex humili lampas si in tecta feratur,
Alta loco magis apparet, tua gloria latè
Claruit, & totum radios porrexit in orbem:
Magnus eras, & magna tui monumenta supersunt
Eloquij, quæ nectarea dulcedine lactant.
Nos quoq; nunc & cœli animas ad limen ituras,
In sermone tuo Christi documenta relucent,
Vt solet in uasis terso rutilantibus auro
Vua recens, quam Creta tulit, quam Lesbia multo
Sole colorauit per apricos uinea colles.
Et quia tunc regnabat adhuc antiqua deorum
Impietas, multi nostrûm diuersa ferebant
Supplicia, exilium, gladios, ignemq́; erasq́;,
Vincla, famem, Plutone truces agitante tyrannos.
Si quos audieras istis succumbere pœnis,
Verbo aderas: longè positos quò tendere uerba
Non poterant, subitò scriptis animare solebas.
Talibus adiuti clypeis, pleriq; triumphum
Emeruere, quibus iam diffidentia uires
Fregerat, & segni titubans in pectore torpor.
Tu quoq; dum Christi causam tutaris, & omnem
Impendis pietati operam, lacerasq́; deorum
Nequitiam, procul à patria migrare coactus
In deserta meas, atq; inter lustra ferarum
Transigis insontem spacians per littora uitam.
Tum Cæsar Galienus erat, solusq́; Latinum
Imperium capto regni consorte gerebat.
Præfectus uerò Libycis Gallerius oris,
Ipse sub hoc demum patriam reuocatus in urbem,
Duceris ad templum Iouis, & dare thura iuberis.
Quod renuens, magnisq́; deos clamoribus omnes
Intrepidè obiurgans, Iouis obtruncaris ad aram.
Mox ueluti paulò ante necem mandata dedisti
Carnifici, merces à curatore soluta est
Certa tuo, quia te uitæ spoliauerat huius
Tristibus ærumnis, luteoq́; absoluerat antro.
Gaude igitur parta per tot discrimina pace,
Et nobis placare Deum Cypriane memento.
Lux tua Septembris lux est bis septima, quando
Dicitur illustri crux exaltata triumpho.
Propterea Phœbo tribuunt tua festa sequenti,
Et uenit ad celebres tecum Cornelius aras.

DE B. NICOLAO EPISCOPO.



Icolaus temporibus Constantini Cæsaris in Mirea celebri ciuitate Lyciæ episcopus fuit. Cæterùm ut præclaras uirtutes sancti uiri clarius cognoscamus, ordine singula recensebimus. Natus est Nicolaus in florentissima olim Lyciæ regionis Patara urbe, ex honestis & opulentis parentibus. Puer adultus iam destinatus est à primis annis ad discendas literas, fuitq; ab ineunte ætate in primis studiosus pietatis. Nam sententias scripturæ sacræ, quas uel in schola uel in publicis concionib. audierat, ediscere solebat: atq; in huius rei studio tãtopere feruebat puer, quòd quando reliqui eiusdem ætatis adolescentes dimissi à præceptoribus, lusibus operam dabant, ipse se plerunq; ab illis subducebat, & conferebat se in ecclesiam, ut sacras lectiones audiret. Nam illę tunc temporis publicè in ecclesia tractabantur. Fuit itaq; hæc indoles ingenij, & hoc studium pietatis in Nicolao, quod singulari quodam beneficio Dei contigisse illi non est dubiũ. Et quia natura ducebatur adfectu quodam erga religionem, certum est non deseruisse eum hoc suum institutum in perdiscenda scriptura sacra, in qua haud dubiè constituit ætatem suam consumere. Proinde mortuis parentibus nihil per ambitionem aut insolentiam tentare cœpit. Nam contentus relictis à parentibus opibus, delegit priuatim honestè uiuere, ducta haud dubiè in matrimonium uxore honesta, pro ratione illorũ temporũ, & pro studio suo erga pietatem. Neq; uerò uana quadam persuasione addictus fuit pietati, sed studuit eam re ipsa etiam & bonis operibus in iuuãdo proximo suo exornare. Vltrò enim de suis facultatibus inopia laborantib. subueniebat, & inter hæc officia charitatis

A charitatis illud præcipuum exemplum commemoratur: quòd conciui cuidam
inopi tres filias iam nubilas habenti, tantum pecuniæ tribuit, quãtum satis esse
posset ad honestè collocandum puellas in matrimonium. Et hæc sunt uera bo-
na opera quæ scriptura ex fide tanq; ex arbore fructus dicit prouenire. Iam ue-
rò cum iuxta præscriptam regulam Pauli de eligendo episcopo haberet Nico
laus eruditionis & pietatis probatum testimonium, accidit quòd mortuo My-
ræ urbis episcopo, ipse per occasionem in episcopum sit designatus, idq; con
tra ipsius uolũtatem. Nam cum isto tempore nemo facilè reperiretur aptus ad
hoc officium, & qui suscipere uellet ob grauitatẽ tanti muneris, præsertim isto
tempore quo non solum persecutionibus, sed uarijs quoq; hæresibus & sectis
ecclesia oppugnabatur: constitutum itaq; erat inter episcopos & presbyteros
alios, ut quicunq; sequenti die primus in templum ueniret, is episcopus ordi-
naretur. & cum iam seduli in oratione fuissent episcopi & cum reliquis homi-
nibus pijs tota ea nocte ut Dominus uirum pium in messem suam extruderet,
accidit ut Nicolaus ignarus huius cõuentionis, summo mane ueniret ad tem-
plum oraturus cum alijs pro successu ecclesiæ in eligendo episcopo. itaq; hac
occasione ipse statim episcopus designatus est. Et quanq; sedulò reluctaretur,
agnosceretq; se indignum hoc tanto munere: tamen præter suam uoluntatem
episcopatum suscipere coactus est, & qui ciuis iam erat antea publicus eccle-
siæ superintendens, ac pastor factus sit. Porrò postq; publicæ gratiæ actæ sunt
Deo pro inuento episcopo, & cura ecclesiæ gubernandæ commissa est Nico-
lao ab episcopis & presbyteris: summa cura aduigilauit, ut iuxta præscriptum
Pauli officijs ueri præsulis fungeretur. Nam quod ad potissima officia episco-
B pi attinet, sedulus fuit in orando, diligenter meditabatur in sacris literis, efficax
erat in docendo, alacer in exhortando, & arguebat cum omni præcipiendi stu
dio, ut sana doctrina fidei & bonorum operũ conseruaretur. Hic uerò si tem-
porum & annorum statum consideres, non dubium est pium uirum grauissi-
ma certamina sustinuisse contra inualescentes hæreses Arrij & aliorum, non-
nunquam etiam se magnis periculis obiecisse propter salutem ecclesiæ suæ.
Quod attinet ad uitæ mores exemplar gregis commissi fuit: uixit enim sobriè
& frugaliter. Omnibus se æquabilem præbuit, & quantum in ipso erat, inopia
laborãtes adiuuit. Memorabile inprimis hoc exemplum est, quod narratur de
D. Nicolao, qui, cum esset publica fames in Lycia regione, audiuit fortè appu-
lisse in portum naues frumento onustas, adijt ipse nautas, rogans ut aliquan-
tum frumenti quisq; ex sua naui uẽderet in subsidium populi: quod illi se non
posse facere, affirmabant. nam mensuram frumenti acceptam reddendam esse
Cæsaris præfecto in alia quadam urbe. Ille nihilominus instabat, rogans, ut fa-
cerent quod ab ipsis peteretur. Ecce, inquit, promitto uobis curaturum Deum
quòd nullam frumentorum diminutionem sentiet Cęsaris exactor. Dominus
enim qui dixit, Date & dabitur uobis, efficere potest, ut propter hoc benefi-
cium nihil decedat frumento. id quod factum quoq; est. Nam acquiescentes
nautæ uerbis & persuasionibus Episcopi Nicolai, subuenerunt hominibus fa
me periclitantibus. & postea compererunt eandem mensuram frumentorum
beneficio Dei singulari conseruatam esse & integram adhuc in reddendo mi-
nistris imperatoris. Obseruatu dignissimũ est hoc exemplum & minimè con-
temnẽdum, quippe quòd testatur Christi promissionem ueram esse, Date, &
dabitur uobis. Vsu enim cõperimus, beneficia collata in usum indigẽtis pro-
ximi, à Deo cumulatiori mensura reddi. Cæterùm grandæuus iam Nicolaus
episcopus & ætate & laboribus fessus, ægrotare cœpit: & cum sensit ob corpo-
ris nimiam debilitatem iam finem uitæ suæ adesse, conuocatos fratres & pres-
byteros docet ac hortatur, ut à sana doctrina fidei nõ discedant: ac ipse nõ mul
to pòst tradidit spiritum suum in manus patris. Sunt qui affirmant interfuisse

ipsum Niceno concilio: sed incertum est. Apparet enim grandiori ętate fuisse Nicolaum, & iam sub ipsum tempus Nicenæ Synodi mortuum. A

DE SANCTO NICOLAO BAptista Mantuanus.

Post nonas cum prima dies ascendit ab ortu,
Thura cremant Cilices, redolent altaria myrrham,
Terra crocũ quod Tmolus alit; uiret undiq; laurus:
Pendula litoreas figunt ad limina myrtos.
Nicoleos Pataræus adest, qui oracula Phœbi
Sustulit, & Lycias fecit desistere sortes.
Credimus hunc nondum uoces formare potentem,
Quamprimum spirare datum est, habuisse dierum
Notitiam, sciuisse Deum, diuinaq; iura.
Ieiunabat enim (testis Pamphylia, testes
Phœnices, Lycij, Cilices, & Achaica tellus,
Mercurij Venerisq; diem.) Nam lactea matris
Nutrimenta semel tantum potare solebat.
Cum puero creuit pietas, reuerentia, & omnis,
Vt paucis utar, diuina humanaq; uirtus.
Quidam ciuis erat Pataræ malesanus, opumq;
Prodigus: hunc iuuenis rebus iam funditus haustis,
Velle inopes stupro natas exponere, sanctus
Audierat. quod ne fieret, tali obstitit arte.
Manè sub auroræ radios ter in illius ædes
Conflatum nitidos aurum proiecit in orbes.
Hac ope paupertas hominis curata, pudorem
Virgineum, miseræq; domus seruauit honorem.
Vrbs Cilicum præclara Myron pastore carebat,
Propterea de uicinis regionibus illuc
Pontifices se contulerant: precibusq; petebant
Aßiduis, quid uellet agi sententia diuûm.
Dumq; ita consultant, uox hæc audita per umbras,
Intempesta suos dum nox conuolueret ignes:
Nocte fores templi qui primus adiuerit, esto.
Nec mora, dum templi limen custodia seruat,
In foribus Nicolaus adest. collega patrum
Suscepere hominem, tanquam si lapsus Olympo
Esset & à superis, atq; imposuere coronam.
Quot uerò memorabilibus resplenduit actis,
Prodigijsq; potens, non est mea pandere Clio.
Pauca tamen narrare libet. Cum turbine nautæ
Deprensi Cilices magno clamore uocarent
Nicolai uiuentis opem, descendere quidam
Cœlituum uisus sancti sub imagine patris:
Qui freta depulso fecit placidißima uento.
Tres pueros, quos impatiens Proconsulis ira
Iusserat occidi, properans subtraxit ab ictu
Ensis, & absoluit iustos à crimine falso.
Cum Tiliam Triuiæ sacram prostrasset, in aura
Est audita graui fugiens dea flere ululatu.
Cum ieiuna fames illas sæuiret in oras,
Venit ad appulsas uicina ad littora puppes,
Et Cereris magnam Pharias quæ annabat ad urbes
Mercatus partem, nautis, Mihi credite, dixit,
Crescet uestra ceres: eadem mensura redibit,
Quæ fuit in Sicula, Cererem quæ protulit, ora. B
Sic senior, sic dicta fides sine fraude secuta est.
Cætera prætereo longum factura uolumen.
Pertransire tamen nequeo quod funere dicto
Cœpit ab illius membris decurrere riuus
Imbris odorati, qui longa in secula fluxit,
Perpetuò labens morbos auferre solebat.

DE D. NICOLAO DIMETER IAMBICVS Laurentij Priuei.

Cur templa tam frequens chorus
Christo sacrata maximo
Adit? Quid illuc numinis
Pronis adorat uultibus?

Nescis celebres ferias
Summo dicatas præsuli,
Quem Palladi Tritoniæ
Addicta turba percolit?

Illum'ne dicis qui semel
Certis diebus ubera
Materna suxit abstinens,
Et tunc agens infantiam?

Is est, egenas munere
Qui liberauit uirgines
Cupam uolentes Cypriæ
Offerre fœdo numini.

Quem nautæ ponto uocant
Sæuo repulsi uertice,
Per quem Dei sublimitas
Tot edidit miracula.

Et nos in ædem protinus
Tanti patroni claritas
Deducat, ut laudes Deo
Cuncti canamus maximo.

DE BEATO NICOLAO, NICOLAI HORII REMENsis Præfecti auxiliaris, carmen Sapphicum.

Prome iam dulces pia musa cantus,
In quibus diuus Nicolaus amplè
Luceat, quum sit uario referri
Carmine dignus.

Talis est laudum cumulus beati
Ciuis, ut nostris quotiens labellis
Effluat, cursim iuuenes senesq;
Reddat ouantes.

Huic

A Huic patrem matremq; fuisse dites,
Haud negat quisquam: superiq; iussa
Principis seruasse, poliq; puncto
Astra petisse.
Corpus excellens, faciesq; pulchra,
Huic erant: ingensq; dabat uidenti
Gaudium, sed pectus erat sub astris
Pulchrius olim.
Mirus apparet Nicolaus orbi.
Nam die prima simulatq; natus
Est, stetit dulcis laticis capaci
Rectus in aere.
Iam suos artus macerabat infans,
Lac sibi certis minuens diebus.
Sed libris olim quotiens refertum
Limen obiuit?
Quo magis coetum fugeret petulcum,
Et nouo chartas studio teneret,
Aureas massas dedit, ut puellae
Lustra cauerent.
Perge nunc laudes memorare Clio,
Dum pius mundo Nicolaus esset
Vrbis antistes, fuit à superno
Principe factus.
Haud superbiuit tamen ille, uerùm
Omnibus supplex humilisq; rebus
B Tunc erat, magnum superumq; regem
Saepe rogabat.
Ad poli curam populi mouebat,
Foeminas idem fugiebat omnes,
Floccipendebatq; animi sereni
Robore mundum.
Doctus & prudens erat, atq; felix:
Ob Deum castos tenuabat artus.
Haud recusabat uiduas tueri
Ocyus idem.
Sedulus nautis positis periclo
Affuit, uectumq; per aequor auxit
Triticum uirtute Dei, ut leuamen
Pluribus esset.
Daemonis foedos miserosq; ritus
Eruit, nautasq; malis resoluit,
Huius, ac ternos fuit innocentes
A' nece tutus.
Principes soluit, quibus imperator
Iusserat poenam necis irrogari.
Mortuus tandem fuit, ac superna
Tecta subiuit.
Huius ingressu Domini fatendum est
Protinus sanctos cecinisse ciues.
Expedit paucis numeris decora
Caetera Clio.
Ille quum saxo tumulatus esset,
Fluxit excellens oleum sacrato
Vertice ipsius, medicina multis
Optima longè.
Reddita est diui meritis nefando
Vita, Iudaeoq; fides recepta.
Territi fures, & ab indecoro
Tramite moti.
Huius est miro auxilio citatus
Spiritus caesus puer. alter undis
Laetus exiuit. iuuenis potenti est
Rege solutus.
Carmen hoc ciuis Nicolae coeli
Offero: gratumq; tibi sit, opto.
Nos procellosum quasi nauigantes
Respice pontum.

Idem ad eundem.

Haud legem patris spreuisti maxime pastor,
Sole sub ardenti quum tibi uita foret.
Conditor immensus magno te uexit honore:
Mortales docuit uox tua melliflua.
Saepius aethereum uoluisti pectore solem.
In te regnauit candida uirginitas.
Te sator aeternus summo complexus amore,
Te propter quondam maxima fecit huml.
Omnibus exemplum sacrae pastoribus aedis,
Atq; salutifera diceris esse uia.
O te felicem, toto sublatus ab orbe,
Principis auxilio dulce cacumen habes.
Nunc ubi praecipuo longè fulgore coruscans,
Aethereumq; patrem, coeligenasq; uides.
Semper ibi uiues, te non terrebit abyssus
Horribilis. tecum gaudia semper erunt.
Hoc utinam sacro lustretur dogmate pectus,
Vitaq; sub coelo sit mihi longa satis.
Ipsa tuas laudes amplum nudabo per orbem,
Quas numeris dignas pluribus esse liquet.

DE ANTONIO MONACHO.


ANtonius monachus natione Aegyptius, cuius uitam Athanasius Alexandrinae urbis episcopus insigni uolumine, Graeco sermone descripsit, bonis & opulentis parentibus prognatus erat: & iam inde à puero pietatis studia sectatus, atq; ut diligentius meditaretur in rebus sacris, uitam amauit solitariam & secessum, ibiq; parcissimè & sobriè uixit. Grauissimas sępe tentationes & insidias daemonum pertulit, easq; uicit, sed fide & oratione. Accidit autem quòd ob magnitudinem & uehementiam tentationum exanimis fieret, ac penè mortuus putaretur: ceterùm reuersus ad sese, illusit diabolo, inquiens: Fides in Christum inexpugnabilis murus est nobis. Porrò tentationes Antonij argumento sunt, eam esse infirmitatem natu-

ræ humanæ, etiam in pijs, quòd nisi adsit Deus, non possunt aduersus tentantem sathanam persistere, imò etiam in tentationibus uidentur nonnunquam quasi relicti à Deo. id quod Antonij exemplũ testatur, qui ubi redijsset ad se post graues satanæ impetus, magno cũ suspirio dixit: Vbi eras bone Iesu, ubi eras? Quare nõ à principio adfuisti ut adiuuares? Et uox facta est ad eum: Antoni, hic aderam, sed expectabam uidere certamen tuum. quasi dicere uellet: Ideo permisi te tentari & cædi à diabolo, non ut perderem te, sed probarem ac confirmarem fidem tuam. A

Porrò quod ad uictum Antonij attinet et curam corporis, edebat ut reliqui homines, sæpe solus, sæpe cum fratribus. Accidit autem non semel, quod cum sederet prandens cum fratribus suis à cibo qui fuerat appositus meditationibus & memoria escæ spiritualis abstrahebatur. Et quanquam ipse modico cibo uteretur, tamen admonebat fratres reliquos habendam esse magnopere corporis curam, dicens, corpus non esse enecandum penitus, ne operatio contra uoluntatem creatoris dissolueretur: & ob id omne studium animæ cõferendum, ne uitijs corporeis pollueretur.

Quod attinet ad professionem Christianę fidei, tutatus est eam magna constantia & grauitate tum contra Manichæos & Arianos. quos Antichristi prę cursores appellauit: tum contra Philosophos etiam, quibus ludibrio erat doctrina de Christo crucifixo. Accidit quod tentãdi Antonium causa uenissent Philosophi duo homines sapientes & acuti in eum locum ubi tum habitabat Antonius cum suis discipulis monachis: hos ipse ultrò accessit, et primùm confutauit idolatriam gentium, deinde doctrinam de Christo crucifixo talem esse ostendit. quam non intelligere rationis humanæ captu, sed credere ex prædicato uerbo oporteret homines. Sophismata, inquit, fallacia sunt, nos Christiani uitæ nostræ non in sapientia mũdi habemus repositum, sed in uirtute fidei, quæ nobis à Deo tributa per Christum est. Ecce nos simplicem fidem edocti, idolatriam debellauimus, & per prædicationem ignominiosæ crucis Christi aurata templa deorum ceciderunt. Vbi nunc sunt fabulosa oracula, ubi Aegyptiorum incantationes, quo magorum profecere carmina? Certè uastata sunt, & ceciderunt omnia postquam Euangelium de Christo cœpit. Quin & illud mirum est, quòd impius cultus Dei ac idolatria nunquam regali infestatione cõcussa, imò hominibus & mũdo chara, & hominum præsidijs fulta iam corruit, cum interim nos Christiani infirmi sumus, nullo freti externo præsidio: & quo plus premimur, eo magis assurgimus & floremus. Christi doctrinã quę uobis stultitia & ludus uidetur, licet tyranni grauiter persequuntur, licet uarios perferat terrores, nullo tamen terrarum orbe concluditur, nullo gentium barbararum fine prohibetur. Sed hæc ad Philosophos. Atqui uerò præclara hæc pietatis testimonia fecerunt, ut Constantinus Augustus. & filij eius Constans ac Constantius, quibus regnantibus floruit Anno Christiano 330. magna Antonium in admiratione haberent, ad eumque tanquam ad patrem subinde literas mitterent consilij capiendi causa. & rescripsit ad illos Antonius, ac primùm hortatus est, ut potissimam curam haberent synceræ religionis conseruandæ. Deinde ut in imperio constituti, homines se esse agnoscerent, nullaque tyrannide uterent. Nam Christum iudicem haberent, ideoque clementia utendum esse erga subditos, & curam pauperum non esse posthabendam. Vsu aliquãdo uenit, quòd cum operaretur aliquid Antonius assidentibus fratribus intentè oculos in cœlum fixit atque suspirans: & cum ualde turbaretur, genibus flexis orare cœpit. Interrogatus à fratribus semel atque iterũ, Quid rei esset cur tantopere commoueretur, uix tandem cum ingenti mœrore & fletu respondit: Magno ô fratres, turbine. fides Christiana post nostra tempora subuertetur. Vidi enim altare Domini malorum circundatum multitudine, qui crebris calcium ictibus B

omnia

A omnia dissipabant. Hæc causa est gemituum quos audistis. Significauit haud dubiè hac uisione Deus, in nouissimis temporibus prophanationē illam testamēti Dominici, quādo omnia sacra humanis traditionib. polluta & dissipata erant. Accidit ut tempore quodam euocaretur Antonius cum aliquot fratribus suis à iudice quodam præfecto, eam ob causam, ut sontes aliquot captiuos & plectendos consolaretur. itaq; monuit primùm iudices, ut in sententia proferenda, & odio & gratiæ timorem Dei anteponerent, & iustè iudicarent. Et postq; commonendo iam ad pietatem usus est suo officio, nō passus est diutius se precibus iudicis retardari, ne ipse & fratres sui ab instituto suo studio retraherentur, inquiens: Quòd sicut pisces extra aquam mox in arenti terra putrescerent, ita & monachos ac studiosos iuuenes prophanorū hominum conuictu ac familiaritate utentes deprauari, & prophanis confabulationibus corrumpi, ideoq; conuenit nos ad intermissa studia nostra redire, ne tardantibus nobis, aliqua propositi succedat obliuio. Balacius quidam dux in Aegypto sub Nestoreo præfecto, Alexandriæ persequebatur Euangelium, & uere credentes. Nam Arianę sectę addictus erat. Hunc monuit Antonius per literas, ut non ita crudeliter grassaretur contra Christum. nam futurū alioqui, ut breui iusto Dei iudicio periret. Desine, inquit, persequi Christianos, ne te ira Dei occupet. Cęterùm cum hanc admonitionem Antonij contemneret Balacius superbè, accidit quòd post paucos dies, cum equitaret iuxta Nestoreum, casu inopinato equus Nestorei repentino morsu eum decuteret ab equo cui insidebat: & propemodum lacerasset, nisi accurrētium ministrorū præsidio fuisset seruatus. Delatus in urbem est grauiter læsus, & non multo pòst magno cruciatu interijt, suæq; impietatis pœnas dedit. Sed de his iam satis, reliquum est,
B ut de morte eius quædam asscribamus.

Quodam tempore conuenerunt plurimi seniorum ad beatum Antonium, in Thebaidæ partibus commorantem, ut de rebus sacris cum eo cōferrent. Et cum hæc quæstio esset præposita inter patres: Quæ'nam uirtus Christianum hominem in officijs pietatis rectè conseruaret: alij aliter responderunt, quisq; pro suo captu. senserūt enim alij, id commodè ieiunijs uigilijsq; fieri, alij uerò nuditate & contemptu rerum externarum: alij etiam conducere ad hoc uitam solitariam. quidam etiam id per charitatis officia erga hospites fieri posse censebant. & cum dissentirent inter se opinionibus patres, respondit tandem beatus Antonius, inquiens: Omnia quidem quæ dixistis, utilia sunt Christianis, sed his principalis gratia tribuenda non est, idq; plurimorum fratrum casus cōfirmant, qui uersantes in his obseruationibus decepti sunt, eo quòd in bono quod cœperant, modum & discretionē non tenuerunt. In omnibus ergo quæ agimus discretio anteponenda est. Constat sine discretionis gratia & modo nullam perfici uel diu stare uirtutē posse. Voluit haud dubiè significare sanctissimus uir, moderatione quadam utendum esse unicuiq; in faciendo officio suo, ut nec laboribus & ieiunijs frangatur corpus, neq; rursus ocio & luxu diffluat. Porrò addidit D. Antonius exemplū Heronis senis, quo ostendere patribus uoluit, non posse sine graui periculo corporis & animæ prætermitti modum ac discretionem. Vixit, inquit, hic senex solitariam uitam, nam perpetuò intra cellam latitauit. & magna quadam seueritate animi immutabilem ieiunij cōtinentiam exercuit: adeò etiam, ut nec in die Paschæ rigorē abstinentiæ solueret. Sed quid factum est, tandem præsumptione sua deceptus, semetipsum in profundissimum puteum præcipitauit, idq; ex persuasione satanę, qui sese in angeli cœlestis formam commutauerat, eiq; consuluerat hanc esse uoluntatem Dei, ut hoc modo suæ uirtutis magnum meritum probaret, si inde illæsus exiret. Sed uix semiuiuus ex puteo cum ingenti omnium fratrum dolore extractus est, & triduo pòst uitam finiuit. Et id quod deterius est, ita in

deceptionis ſuæ pertinacia remanſit, ut nullis uerbis ſibi paſſus ſit perſuaderi, A
ſe ſatanæ calliditate fuiſſe deluſum. Addidit hoc quoq; exemplum, inquiens:
Quid etiam de illo monacho referam, cuius nomẽ, quia adhuc ſupereſt, ſileo.
Is longo tempore diabolum in angeli claritate ſuſcepit, reuelationibus eius ſæ
pe deceptus, credidit eum internuncium iuſtitiæ eſſe. Nam per omnes noctes
in eius cellula lumen abſq; ullius lucernæ officio præbebat diabolus. Ad extre
mum uerò, iuſsit eum filium ſuum, quo cum eo pariter in eodem monaſterio
commanebat, offerre uictimam Deo, ut ſcilicet hoc ſacrificio Abrahæ patri-
archæ meritis coęquaretur. Cuius perſuaſione ille ſeductus hoc cœpit tentare:
& ſacrificaſſet filium, niſi per occaſionem puer de cella ex eius manibus ela-
pſus celeriter aufugiſſet. Adhæc accidit quòd uenator quidam ſuperueniens
in eremo uideret diuum Antonium cum fratribus ludẽtem, id quod offendit
eum. Antonius itaq;, ut erat pius uir & prudens, pariter oſtẽdere uoluit, quòd
oporteret aliquando remitti fratrum labores, dixit ad uenatorem: Age, pone
ſagittam in arcu tuo, & intende neruum. Id uerò ultro fecit uenator. Idem, ut
rurſus & ſine intermiſsione faceret, præcepit. Reſpondit itaq; uenator, ſe non
poſſe toties intendere arcum, & tam diu intentum retinere, niſi rumpere tan-
dem & perfringi neruũ cum arcu uellet. Tum uerò dixit Antonius: Ita quoq;
eſt in exercitijs pietatis. Quòd ſi ſupra modum & ſine menſura tendimus fra-
tres, citò deficiũt. Expedit ergo & laboribus quietem aliquam & ceſſationem
nonnunq; intermittere. Poeta idem dixit uno uerſiculo:

Quod caret alterna requie, durabile non eſt.

Dicere etiam ſolebat Antonius: Quia quidam non caſtigant, ſed conterunt
corpora ſua in abſtinentia, & quia diſcretionem non habent, longè facti ſunt
à Deo, quòd neq; ſeruire proximo, neq; utiles eſſe in ſuo miniſterio potuerũt. B
Id quod de ſe dicitur diuus Bernardus conqueſtus eſſe. Huius porrò memo-
randa eſt hæc ſententia: Nunq; homo bonus eſt, etiam ſi bonus eſſe deſideret,
niſi Deus in ipſo habitauerit, quia nemo bonus, niſi ſolus Deus. Oportet ergo
ut nos ipſos ſemper incuſemus, & nunq; ſecuri ſimus. Semper enim reliquum
aliquid in nobis deprehẽdimus, propter quod orare cogimur, Dimitte nobis
debita noſtra. Dictauit Aegyptiaco ſermone ad diuerſa cœnobia apoſtolici
ſenſus atq; ſermonis uarias epiſtolas: quibus extat inſignis illa, ad Arſenoitas
epiſtola una, ad alia cœnobia epiſtolæ ſex. Sunt etiam qui dicunt ſcripſiſſe o-
pus, quod Meliſſam, id eſt, apiculam inſcripſit. Sed de his iam ſatis.

Cum ageret Antonius annum quintum ſupra centeſimum, ſenſit præ cor-
poris & uirium ſuarũ imbecillitate ſe diutius uiuere non poſſe, ideoq; de mor-
te ſua iam inſtante commonebat fratres, & teſtamentum conditurus, in hanc
ſententiam alloquutus eſt fratres: Ego iam ex uoluntate Dei ingrediar uiam
patrum meorum, & uidere cupio cœleſtia: ſed uos ô uiſcera mea admoneo, ut
cogitetis hanc uiam momentaneam eſſe, & magnas inſidias eſſe, atq; feroces
impetus ſathanæ: ideoq; Chriſtum ſuſpirate, & fidem in nomine eius infixam
animis ueſtris retinete, nam per eam uniuerſi dæmones fugabuntur. Ad hoc
illud ſedulo moneo, ut ſchiſmaticorum & hæreticorũ uenena uitetis, meumq;
erga eos odium ſectemini, quia Chriſti ſunt inimici. Scitis ipſi nullũ mihi unq;
cum illis pacificum ſermonem aut familiare colloquiũ fuiſſe, idq; propter de-
prauatam illorum uoluntatem, & pertinax bellum cõtra Chriſtum. In hoc au-
tem ſolliciti eſtote, ut Domini præcepta ſeruetis. Hæc cogitate, hæc ſapite, hęc
retexite, & ſi qua cura mei uobis eſt, ſepelite corpus meum, ut nemo locum tu-
muli mei nouerit, ne in Aegyptum relatum corpus meum, uano aliquo hono
re adficiatur. Mos enim Aegyptijs erat, nobilium & præcipuè martyrum bea-
torum corpora non ſepelire, ſed aromatis perun cta, & linteamine tantum ob-
uoluta ſuper lectulos ponere uel in arculis cõſeruare. Et non dubium eſt hunc
morem

A morem ungendorum corporum Iudeos ab Aegyptijs mutuatos esse, atq; hinc est quòd & ossa Iacob Patriarchæ transtulerunt filij Israel in terram Canaan. Vestiméta sua legauit Antonius, partim Athanasio, partim Serapioni episcopis, partim etiam fratribus. Et hoc ipsum testatur, monachorum uitam tum liberam fuisse. Huius quoq; uitam Dorotheus græcè conscripsit, quæ Romæ in Pontificia bibliotheca extare dicitur.

DE S. ANTONIO, BAPTISTA Mantuanus.

Septima post decimam torpentis frigore Iani,
Antoni tibi festa dies altaria cingunt
Frondibus, hybernas quæ non timuere pruinas.
Laurus adest, hederæ ueniunt, prouinca lacertis
Quæ sparsis proserpit, humi redolentia myrti.
Vimina pacificæ per templa ligantur oliuæ,
Et quos fama refert immortales amaranthi.
Te memorant olim Satyros uidisse bicornes,
Panaq; capripedem, dum per deserta uagaris
Inuia trans Memphin, trans centum mœnia portis,
Inclyta solivagi lustrans uestigia Pauli.
Te memorãt non cũ Lapithis (quæ gloria parua est)
Non cum Centauris, sed quod mirabile multo
Amplius est, cum tartareis belialibus olim
Decertasse, ipso stante ad spectacula Christo:
Qui quia te uidit pugnasse uiriliter, ire
Continuò totum tua nomina fecit in orbem.
B *Tu satus in campis ubi quondam mœnia magnus*
Fecit Alexander domini seruantia nomen.
Diceris ignipotens, & fers incendia dextra,
Quòd tu uis ignem potis est extinguere sacrum.
Et quia (res miranda) soles quandoq; proteruos,
Et nimis infrenes, qui relligiosa malignis
Templa domos animis audent uiolare, furenti
Aggrederis morbo, subitaq; uredine torques.
Sæpius hoc aliàs nostro quoq; tempore uisum
Non semel est: salit extemplò per uiscera pestis
Ignea, & ossa rapit, neruosq; imasq; medullas
Fulminis in morem uorat, in nihilumq; resoluit.
Et sunt qui diuos ausint contemnere, necdum
Tot moniti exemplis homines aduertere possunt
Esse Deum, sanctasq; animas humana potentes
Vlcisci scelera, atq; animos cohibere furentes.
Cum demum tetricæ post tot miracula uitæ,
Iam longæuus iter uellet conuertere ad astra,
Discipulos circunstantes sermone potenti,
Quem dabat affecti cordis suauißimus ardor,
Erudijt, longum conuersus ad oscula tandem,
Aeternùm, dixit, mea uiscera sancta ualete.
His dictis alacri tandem prætendere uultu
Lætitiam, & tanta uisus clarescere luce est,
Vt iam cum superis uersari & uiuere credi
Posset, & ante Deum mutata aßistere uita
Dumq; ea sic fierent, subitò uelut ultima flamma,
Quæ fugit absumpta penitus face, purior auro
Spiritus in tenues abiens se sustulit auras.
Nunc colit, æternumq; colet sublimia mundi
Culmina, perpetuæ gradiens per pascua uitæ.
Et quoniam nox ista uigil solet esse quotannis,
Currite uotorum memores, deponite lænas,
Rhenones, duplicesq; togas. accurrite nudi,
Et pulso in lucem somno uigilate reuersam.
Ponite segnitiam. surgit iam uespera, flammis
Iam rogus in templi medio rutilantibus ardet.
Fallite colloquijs noctem: percurrite sanctos,
Qui coluere olim deserta Aegyptia patres,
Arsenium, Vitalem, Helenum, quo tempore Paulus
Et quare ad steriles primus deuenit arenas,
Dicite, sit sermo uobis Euagrius, Efren,
Et Cronius. magno de Beßarione loquendum.
Pambus et Eulogius memoretur, et inclytus Ammõ,
Ac reliqui, quorum consors Antonius orcum
Vicit, & in terras fecit descendere diuos.
Pergite, cum rapida cœli uertigine tempus
Euolat, & celeres ad cursum concitat oras.
Iam cecinit mediam uolucris Titania noctem,
Et leo decedens summo declinat Olympo.
Ne sinite extingui flammas, date ligna ministri,
Et ramis onerate focos. opus ignibus altis
Expugnare gelu, flatusq; Aquilonis acuti
Pergite. iam totus Chiron surrexit ab undis.
Incipit apparere Caper. iam Lucifer altus
Astra fugat. uicina dies albescit ab ortu.
Præcipitat Cancer. gelidis iam terminus umbris
Pyramides dudum magnæ tinnire parenti
Incipiunt. canit excubitor feruentius ales.
Matutinus adest, Tyriaq; in ueste sacerdos
Fert manibus calices, genibus procumbite flexis:
Atq; Deum, ne uos tetrico pater arguat ore,
Quærite, & ad cœlum totas conuertite mentes,
Ite domum. nec uos hodie dementia cogat
Fingere personas, sumptisq; incedere laruis.
Sancta dies sanctæ debet succedere nocti.

DE MARTINO EPISCOPO. A



PRimum quod ad temporis rationem attinet, fuit Martinus in illorum episcoporũ numero, qui sub Iuliano & Valentiniano imperatoribus, doctrinam Euangelij & synceram religionem, aduersus Arianorum hęresim constanter tutati sunt. atq; ex hac ipsa circunstantia temporũ æstimare licet, fuisse Martinum uerè pium præsulem, & uigilãtem in tuenda Euangelij doctrina assertorem. Parentes nobiles habuit, sed impios ac hostes Christianæ religionis. Pater tribunus militum fuit sub Iuliano Cęsare, atq; hoc ipsum magnæ tum dignitatis officium erat, quod non nisi summis uiris contingebat. Porrò educabatur Martinus ad militiam quoq; patris sui exemplo. Cęterùm cum Euangelium tum passim prædicaretur, puer adhuc Martinus ad audiendum sacras conciones subinde in templum ibat, ac catechismum Christianæ doctrinæ perdidicit: & postea, quanquam renitentibus parentibus, baptizatus est à sancto Hilario episcopo. Hic uerò quantam censes eum crucem, quanta odia & persecutiones, & parentum & aliorum sustinuisse? Cęterùm matrem tandẽ ad Christianismum conuertit. pater ipsius mansit impius, haud dubiè in gratiã Iuliani cæsaris, qui summus contemptor fuit religionis Christianæ. Porrò cum audisset Martinus Hilarium episcopum Pictauiẽsem redijsse ad suam ecclesiã ex exilio, in quod pulsus erat per Arrianos, qui tum in admiratione apud principes erant, & manifesta ui grassabantur in uerè pios, nam & ab ijsdem Martinus quoq; profligatus & eiectus erat ex urbe, ubi in schola Euangelium docebat discipulos, quos habuit (uenit ad Hilarium episcopum) eiusq; doctrina & cõuersatione tantum promouit, in cognitione scripturarum, quòd & ipse monasterium instituit, hoc est scholam, in qua sacras literas docebat. Accidit autem, ut Turonenses episcopum ac superintendentẽ in sua ecclesia non haberent: itaq; Martinus ab illis uocatus est in episcopum, ut respiceret Ecclesiam sua uigilantia, ne qua hæresis & falsa doctrina irreperet. Erãt enim tum magna & aperta pericula ab hæreticis. Proinde factus Martinus Turonensium episcopus, Christum syncerè prædicabat, non sectas, sed tanq; fidelis dispensator Euangelium Christi pręd̃icauit. Pręterea quoq; extra populi frequentiam monasteriũ, hoc est, publicam scholam constituit, in qua latinè literas sacras tractabat, in usum studiosorum, de quibus spes erat, ut in docendo Euangelio, aliquando Ecclesię possent prodesse. Et fuisse scholam hoc monasterium, satis ex historia ęstimare licet, quæ testatur habuisse Martinum supra octoginta discipulos & auditores in hac sua schola, illosq; intentos studijs scripturę sacrę uixisse sobriè, & continentissimè extra omnem luxum. Nihil enim perinde obest ingenijs, q; luxus & ebrietas. Atq; ex hoc ipso collegio discipulorum Martini, multos factos esse episcopos Ecclesiarum, testatr historia. Atqui hoc ip sum arguit satis, qua de causa & monasteria & collegia canonicorum primùm sunt instituta. et in ipsis ædificijs collegiorum multa sunt uestigia, quæ scholas olim fuisse comprobant, & scholarum speciem adhuc hodie prę se ferũt. Proinde in officio sui episcopatus hoc unum conatus est Martinus, ut Christum fideliter doceret, & pro facultatibus suis pauperes semper adiuuaret. Fuit itaq; omnibus uirtutib. ueri episcopi instructus iuxta præscriptum Pauli 1. Timoth. 3. cap. In doctrina potens erat ad docendum suos, & ad conuincendum aduersarios. In uitæ conuersatione & moribus lenis & sobrius. Ad hoc patiẽtissimus quoq; in aduersis. nam ab ipsis presbyteris & collegis suis sępe grauissimas iniurias passus est. In orando & precationibus assiduus fuit: adeò etiam, quod ut Seuerus discipulus eius scribit, nullum unq; horarum momentum prætierijt, in quo non aut orationi aut lectioni incumberet. Hæc demum sunt testimonia ueri Episcopi. Nam quòd docere & prædicare Euangelium debeant Episcopi, etiam

ueteres

A ueteres canones testantur. Magnis tentationibus exagitatus est Martinus à sathana, ut specie sanctimoniæ & pietatis deceptus, deficeret à uera cognitione uerbi, ad impietatem aliquam. Accidit enim quodam tempore, ut diabolus regia purpura & diademate ornatus, appareret ei sub persona Christi. Cumq; taceret Martinus, uiso hoc spectaculo, ait ad eum diabolus: Agnosce Martine quem colis, Christus ego sum, descensurus ad terras, prius me tibi uolui manifestare. Et cum adhuc Martinus nihil responderet, rursus ait: Martine cur dubitas credere, cum me uideas? Christus ego sum. Tunc ille uerbo Dei instructus per spiritum sanctum, ait: Meus Christus crucifixus fuit, & uulneratus: ideoq; te tali in habitu non recipio, neq; in te credo. Ad hanc uocem ille euanuit. Monemur hoc exemplo, ne apparitionibus spirituum credamus. Satan enim hoc agit, ut transformet se in angelum lucis, ut Euangelij ueram doctrinam obscuret. Porrò cum ageret iam Martinus annum octogesimum suæ ætatis, debilitari cœpit, & in febres incidit. Atq; cũ grauiter ægrotaret, ut spes uitæ reliqua amplius non esset, hortatus est discipulos ad religionis studium, & ut hæreses pugnãtes cum doctrina fidei uitarent. Illi uerò flentes dixerunt: Cur nos pater deseris? aut cui nos desolatos relinquis? Inuadent enim gregem tuum lupi rapaces. Ille uerò & luctu & precibus eorum motus, dixit: Domine, si adhuc populo tuo sum utilis, non recuso laborẽ: fiat uoluntas tua. Sed ipse oculis in cœlum fixis orans, non multo pòst expirauit, astantibus presbyteris. In eius exequijs multi præclari uiri interfuerunt, qui postea Episcopi facti sunt. Constat quoq; ex historia Martini, diaconos & archidiaconos dispensatores eleemosynarum tunc fuisse in Ecclesia, non appellationes dignitatum. Legitur enim, quòd præceperit archidiacono Martinus, ut pauperi cuidam

B uestem daret. Ille uerò cum id facere neglexisset, & postea cum per occasionem uideret Martinus, adhuc nudum hominem nulla ueste utentem, ipse suum pallium illi donauit. Ambrosius Episcopus alicubi meminit Martini in suis scriptis.

DE S. MARTINO, BAPTISTA Mantuanus.

Per postica Nepæ fugiens ad limina tendit
Prima sagittiferi Titan retrogradus astri.
Cras cum sole senex aderit coniunctus ab Arcto,
Iam parat Arcturus sua sidera, cygnus ab Austro:
At simul hybernos solem comitantur ad ortus.
Autumnum missura foras subit hostia furtim
Tristis hyems, humeros niuibus conspersa, caputq;
Nubibus ut quodam pluuiali umbrata galero
Alget: & amphitapi circum uelaminis oras,
In glaciem uentis fluidum glomerantibus imbrem
Stiria fit: dicas hyali translucida frusta.
Dura manus longos neruis extantibus ungues
Porrigit, & cilijs horrent caua lumina toruis.
Stat corio defensa rudi surasq; pedesq;,
Fronte truci, mento incano, uoce aspera & ægra,
Naribus immundis, & semper in ora fluente
Pituita, pulmonem agitans præcordia uellit
Tussis, it incuruo pendens in pectora tergo:
Atq; uacillantem sustentat arundine gressum.
Aemonias igitur sole ingrediente sagittas,
Surgit hyems, onerosa inopi, damnosa senectæ.
Temporis hæc inter duplicis confinia cum lux
Altera post decimam redijt, Martinia festa
Lætabunda colit solenni Ecclesia ritu.
Sabariensis erat ciuis Martinus: at intra
Italiam Ticini alitus, damnata parentum
Numina cõtempsit: Christũq; sequutus, ad undam
Sponte salutarem teneris confugit ab annis.
Cum puer esset adhuc, tacitam cupiebat eremum
Viuere. Tunc etiam nudum miseratus egentem,
Cum sæuiret hyems solito crudelior, ense,
Quo præcinctus erat, chlamydem diuisit: & illum
Parte tegens, aliam sua traxit ad ilia partem.
Necdũ tinctus erat, sed adhuc catechumenus illud
Tam magnæ pietatis opus puer inclytus orsus.
Expulerant lucem tenebræ, per somnia Christum
Audijt ad diuos illa sub ueste loquentem:
Me tunica Martinus adhuc catechumenus ista
Induit. hinc cõstare potest, quòd habetur olympo
Calculus humanorũ operum, quòd debita nostris
Præmia sunt operis, & quòd Deus omnia curat.
Miles erat proauos imitans, studiumq; paternum:
At cum pugna foret iam proxima, sanguinolentam
Destituens artem, renuit stipendia: sed ne
Segniter ac timidè posset fecisse putari,
Auxilio diuûm defensus, & auspice Christo,
Cum fremeret Mauors, & cum sæuiret Enyo,
Hostiles stetit ante acies sine lancea & ense.
Tunc in flore fuit diuina scientia. Christum
Qui sapiebat, oues Petri pascebat, & agnos.

Pictauense pedum gestabat Hilarius, alta
Insignis pietate senex. Martinus ab illo
Iura ministrandi sacris temploq; recepit.
Mox patrios longo repetens sudore penates,
Transtulit ad Christũ matrẽ. pater arma sequutus,
Infamesq; deos, sua in impietate remansit.
Mox rediens, uita functas in membra reduxit
Treis animas: uixitq; diu secretus ab omni
Plebe, sub occulta sanctis cum fratribus æde.
Cum uerò foret orbum illis pastore diebus
Turonense solum, Martinus idoneus illi
Officio uisus, populo plaudente cathedram
Sublimem suscepit, inops auriq; animiq;,
Diues opum, quibus arx emitur cœlestis Olympi.
Innumeris postquam toto resplenduit orbe A
Prodigijs, postquam multas est passus ab Ari
Gente minas, longa moriens in pace reliquit
Cœlo animã, spolium terris, famamq; perennem.
Hæc est læta dies, ista populusq; patresq;
Luce cados relinunt, & defæcata per omnes
Vina ferunt mensas, ac libera uerba loquuntur.
Talis apud ueteres olim sacrata Lyæo
Lux erat, à priscis uocitata Pithœgia Graijs,
Quod signata dies aperiret dolia festus.
Sol hodie si clarus obit, denunciat acrem
Atq; molestam hyemem: si nubilus, aera mitem
Prædicat hybernum. dant hæc prognostica natis
Pastores ouium, cum feria fantur ad ignem.

F I N I S.

IN APOSTOLORVM MARTYRVMQVE HISTORIAS Index copiosissimus, in quo numeri asterisco * notati, Lectorem ad secundum Tomum remittunt.

A

K

L

Ludouicus

monasticæ

T

FINIS.

ERRATA, PER OPERAS COMmissa, sic emendabis.

Pag.39.uers.10.paululum 42.17.tumultum 175.2.Cæsarem & in Tomo secundo, 9.penul. nomen edidit 23.9.conspectu 22.ult.inediam, pro mediam 28.32.frequentaretur 30.1.energumeni solent ferre 30.50.spiritu 33.20.sacrarium & ibid.22.quidam, pro quidem 44.16.ullam, pro uallem 45.22.hominem & ibid.38.dummodo ut, &c. 57.39.pepigerat 70.10.Dominum & ibid.15.omnino 72.25.hominum 73.42.incendium 79.15.iure, pro ture 89.24.Quadam 88.2.indicante & ibid.15.aliquando & ibid.30.Antonius & ibid.ult.cum exisset 89.37.nobis colluct. 94.3.uirginitas

SERIES CHARTARVM.

a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z. Aa Bb Cc Dd Ee Ff. A B C D E F G H I K L M N O P Q.

Omnes duerniones, præter a b Ff terniones.

BASILEAE, EX OFFICINA IOANnis Oporini, Anno Salutis humanæ M. D. L I I.

Mense Martio.

L00
008
———
108
020
———
0 0 0
8 6 4
———
8 6 4 . 0

pruebas ———
regalo ———
doblar papel =
espadilla partir —
~~[illegible]~~ pliello .
pruebas de ypartas :


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm